INSTITUTIONES

THEOLOGICAE

QUAS

FR. MICHAEL MARCELLIUS

EREMITA AUGUSTINIANUS

AD USUM SCHOLARUM SUI ORDINIS

CONCINNAVIT

TOMUS III.

IN QUO PERTRACTATUR DE MYSTERIO SANCTISSIMAE TRINITATIS, DE ANGELIS, DE DEO CREATORE, DE PRIMO HOMINE, AC DE PECCATO ORIGINALI.

EDITIO PRIMA

SUB AUSPICIIS FAUSTISSIMIS

Illmi, ac Rmi D.

FELICISSIMI SALVINI

ACULAE EPISCOPI

TYPIS AC SUMPTIBUS VULGATA

FRANCISCI XAVERII TOMASSINI

FULGINII 1846.

FR. PHILIPPUS ANGELUCCI

MATHELICENSIS

SACRÆ THEOLOGIÆ MAGISTER, ORDINIS EREMITARUM
S. P. AUGUSTINI VICARIUS GENERALIS

Cum opus inscriptum : Institutiones Theologicae etc. *elaboratum ab admodum Reverendo Patre Magistro Fratre Michaele Angelo Marcelli, recognitum et approbatum fuerit a duobus Theologis sacri ejusdem nostri Ordinis a nobis deputatis, tenore præsentium facultatem concedimus, ut typis mandari possit, si iis, ad quos reliquum spectat, ita videbitur.*

Datum in Conventu nostro S. P. Augustini de Urbe die 28 *Junii* 1844.

Fr. PHILIPPUS ANGELUCCI Vic. Gen.

Loco ✠ Sigill

Magister Fr. Philippus Cascia *Ordinis Secr.*

INSTITUTIONUM THEOLOGICARUM

LIBER XVI.

IN QUO ADVERSUS JUDÆOS, AC VETERES ET NOVOS HÆRETICOS DE DIVINARUM PERSONARUM DISTINCTIONE DISPUTATUR.

Opuscula nostra de Deo ejusque attributis, Deo ipso adjuvante, ad finem, ut potuimus, tandem perduximus. Par est, ut modo de Deo, prout trinus est in personis, ac in essentia unus, disserere instituamus. Ac principio quidem contra Judaeos, haereticosque omnes tam veteres quam recentiores de divinarum personarum distinctione. Et de pervicacia sane Judaeorum in divinarum personarum distinctione neganda, non est cur tantopere miremur. Novum enim Testamentum, unde lumen sumere possent, rejiciunt omnino; in veteri autem, quod ab ipsis tanquam Dei verbum agnoscitur, nonnisi vestigia aliqua, et quidem hominibus carnalibus, ut ipsi sunt, admodum obscura, ineffabilis hujus mysterii inveniuntur. Sed illorum potius mirari subit caecitatem, qui de christiano nomine gloriantur, quique etsi fateantur, novum Testamentum ab hominibus Spiritu Sancto inspirante fuisse exaratum, cum Judaeis nihilominus conveniunt, magisque sibi contorquere debent ingenium, ut oraculorum, in quibus praeclara de sacratissimo hoc mysterio commemoratio occurrit, luci tenebras offundant, quam facere debeant, ut modum percipiant, quo in unitate naturae tres subsistere possint personae. Contra ergo hujus generis homines disputabimus hoc in libro; et adversus Judaeos pluralitatem, adversus autem haereticos etiam trinitatem demonstrabimus personarum; ut qui extra veritatis semitam errant, viam ingrediantur, duce Spiritu Sancto, veritatis et fidei, per quam vitam aeternam nobiscum consequi valeant.

CAPUT I.

An ex V. T. adstrui possit pluralitas divinarum personarum.

Nimis longus fierem, si nomina singula illorum, qui post Judaeos à Divinitate personas eliminare conati sunt, recensere in animo haberem; quum in nullum fidei catholicae dogma omnes artes suas machinationesque magis explicaverit impia haeresis, quam in hoc de altissimo divinissimoque mysterio Trinitatis. Nam personarum pluralitatem e medio tollere ausi sunt Simon Magus qui, teste Irenaeo lib. 1. adv. haer. cap. 22. docebat, *semetipsum esse, qui inter judaeos quidem quasi Filius apparuerit; in Samaria autem quasi Pater descenderit; in reliquis vero gentibus quasi Spiritus Sanctus adventaverit*; tum circa an. Christi 140.

Valentinus asserens, ut Athanasius lib. II. contra Apollinar. refert, totam Trinitatem fuisse passam, et anonymi quidam discipuli, ut puto, Simonis et Valentini, de quibus inqnit Justinus in dial. cum Tryph: *Qui dicunt Filium esse Patrem, comperiuntur neque Patrem scire*; Montanistae praeterea, qui vocabantur *Catà Eschinem*, quorum Tertullianus meminit lib. de praescript. cap. ultimo: *Privatam blasphemiam illi, qui sunt Catà Eschinem, hanc habent, qui adjiciant etiam hoc, ut dicant, Christum esse Filium, et Patrem.* Idem Tertullianus scripsit adversus Praxeam, quem eodem laborasse errore certum est. Huic S. P. Augustinus adjungit Hermogenem, a quo Hermogeniani dicti sunt. Nonnulli alii ab Origene lib. 8. cont. Celsum commemorati docebant, quod *Servator sit ille universorum Deus, nempe* Pater. Noaetus quoque dicebat, *Christum eumdem esse Patrem, et Spiritum Sanctum*, ut Augustinus testatur lib. de haer. cap. 36. Sed qui errorem hunc prae ceteris defendit acriter atque disseminavit, fuit profecto Sabellius; unde sectae, quae Sabelliana dicta est, nomen dedit. Hic in Lybia sive Pentapoli, oppido Ptolemaide, in Cyrenaica provincia ortus, virus suum propinare coepit fidelibus circa annum Christi 257. ut narrat Eusebius H. E. lib. 7. cap. 4. *Hujus haec opinio est*, addit Epiphanius haer. LXII. *eumdem esse Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum, ut ad eamdem hypostasim tres appellationes conveniant, aut perinde atque in uno homine corpus, et anima, et spiritus est.* Non multo post, anno nimirum 265. Paulus Samosatenus Sabellio ex parte adhaesit, ea de caussa damnatus in concilio Antiocheno an. 270. Neque Priscillianistae a Priscilliano hispano sic nuncupati, praetermittendi sunt, qui et ipsi *Sabellianam sectam*, ut ait S. P. Augustinus lib. de haer. cap. 70. *tenent, eumdem ipsum esse dicentes, non solum Filium, sed etiam Patrem, et Spiritum Sanctum.* Horum vestigiis insistens postremis temporibus alter hispanus Michael Servetus septem edidit de Trinitate libros titulo hoc inscriptos: *De erroribus Trinitatis*; quibus tanta impudentia blasphema Sabellii dogmata conatus est renovare, ut tandem Genevae, quo se receperat, agente Calvino, an. 1553. vivus cum suis libris combustus fuerit. Novissimi denique aetate, impietate vero primi qui fidei sanctissimae Trinitatis, omnium veterum haereticorum deliramenta recoquentes, acerrimum indixere bellum, fuerunt Sociniani a Laelio ejusque fratris filio Fausto e nobili Socinia senensi familia sic appellati. Horum contra Trinitatis mysterium portenta, quum manifesta sint omnibus, superfluum est recensere. Id nunc innuisse sufficiat, subscribere illos blasphemiae Sabellianorum. Adversus itaque hujus furfuris homines modo aggredimur demonstrare, dari in divinis Trinitatem personarum, idque ex V. T. ut non haereticos modo, sed et Judaeos suadeamus, ducemus exordium. Sit igitur

CONCLUSIO I.

Ex V. T. suaderi potest pluralitas divinarum personarum.

Prob. pluribus inde excerptis testimoniis. I. Gen. cap. I. ita Moyses

describere aggreditur mundi conditionem: *In principio creavit Deus caelum, et terram*. Qua in sententia animadvertendum est, haberi hebraice verbum *baràh*, *creavit*, numeri singularis conjunctum nomini *Elohim*, *Deus*, numeri pluralis. Unde hoc exurgit argumentum. Laudato in versiculo sacer auctor narrat mundi hujus creationem ab eo fuisse factam, qui unus simul est, et multiplex: unus, quia inquit, *creavit:* multiplex ob vocabulum *Elohim* numeri pluralis. Mundi autem creatio a Deo, qui solus infinitam virtutem necessariam ad creationem habet, facta est; unde Deus unus simul est ac multiplex. Non multiplex equidem ratione naturae, ipsis non repugnantibus adversariis; unde multiplex in personis. II. Item Gen. cap. 1: *Faciamus*, inquit Deus, *hominem ad imaginem, et similitudinem nostram*. Et illico, v. nimirum 27. sequenti, subdit Moyses: *Et creavit Deus hominem ad imaginem suam*. Hic etiam de Deo unitas enunciatur et pluralitas: unitas*: et creavit Deus*; pluralitas, quia inquit*: Faciamus*. Unde idem recurrit argumentum. Optime Theodoretus Q. XIX. in Gen: *Cum dixit*, *faciamus*, *numerum expressit personarum*. *Cum dixit ad imaginem*, *eamdem naturam expressit*. Versant hoc argumentum post Justinum, Chrysostomum, et Ambrosium, omnes plane theologi. III. Ejusdem libri cap. 19. haec occurrunt*: Igitur Dominus pluit super Sodomam et Gomorrham sulphur*, *et ignem a Domino de caelo*. Juxta autem hebraicum textum legitur: *Igitur Iehovah pluit super Sodomam et Gomorrham sulphur*, *et ignem a Iehovah de caelo*. Nomen porro Iehovah, ut omnes norunt, tetragrammaton est, quod ad Deum O. M. dumtaxat exprimendum usurpatur. Unde quum in allegata sententia Dei summi tetragrammaton nomen repetatur cum particula, *ex*, vel *ab*, eaque repetitio pluralitatem denotare non possit Deorum, consequitur pluralitatem significare personarum. Urgent hoc testimonium adversus Judaeos Justinus martyr in dial. cum Tryph. et Irenaeus lib. 3. adv. haer. cap. 7. Contra Sabellianos autem illud idem usurpat concilium Sirmiense in haec verba*: Si quis*, *pluit Dominus a Domino*, *non de Filio*, *et Patre intelligat*, *sed ipsum a se dicat pluisse*, *anathema sit*. *Pluit enim Dominus Filius a Domino Patre*. IV. Eamdem praeterea demonstrant veritatem omnia illa Scripturae loca, in quibus sermo fit de Deo in numero plurali. Ita Gen. cap. 3. Deus (hebraice Iehovah) Adamum redarguens inquit: *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est*. Ejusdem libri cap. 11. *Venite*, (inquit Iehovah) *descendamus*, *et confundamus linguam eorum*. Porro numerus hic multitudinis ad divinam referri non potest naturam; ac proinde ad divinas referri debet personas. V. Demum huc faciunt verba illa psal. 2. *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu*, *ego hodie genui te:* Quae sane verba sunt Dei Patris ad Filium. Neque enim dici potest dicta esse a Davide ad Salomonem, quum de solo Messia intelligi possint quae sequuntur: *Dabo tibi gentes haereditatem tuam*, *et possessionem tuam terminos terrae*. Et illa psal. 109: *Dixit Dominus Domino meo*: *Sede a dextris meis*, quae dixit Pater ad Filium, de quo ibidem legitur: *Ex utero ante Luci-*

ferum genui te, solius Filii propria. Et illa aliaquae Isaiae cap. 6. occurrunt: *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus Dominus Deus Sabaoth*: quae de pluralitate esse accipienda personarum tradit Rab. Jonatan. Antiquum igitur Testamentum praeclarissima nobis exhibet argumenta suadentia in Divinis pluralitatem personarum.

CONCLUSIO II.

Ex eodem V. T. non subobscure deducitur
Trinitas quoque personarum.

Prob. Laudata hactenus Scripturae testimonia expresse commemorant Patrem, et Filium; illa praesertim psal. 2. et psal. 109. Sed Patris, et Filii, et Spiritus Sancti luculentissima mentio occurrit praecipne psal. 32. in haec verba: *Verbo Domini caeli firmati sunt*, *et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum;* in quibus nomen Domini significat proculdubio Patrem; nomen Verbi Filium; et per Spiritum oris ejus venit Spiritus Sanctus.

Objectiones refelluntur.

Obj. 1. Ex primo Gen. versiculo 1. haud demonstrari potest pluralitas personarum; conjungere enim pluralis numeri nomina cum verbis nnmeri singularis phrasis est et modus loquendi hebraicae linguae, ut innumeris exemplis suaderi potest. Sic v. g. Gen. cap. 24. ubi in nostra latina Vulgata legitur: *Posuit manum suam super femur Abraham domini sui*, in hebraico textu, si ad litteram transferatur, habetur: *super femur Abraham dominorum suorum*. Similiter Ex. cap. 20. latini legunt: *Non habebis Deos alienos*; Hebraei autem: *Non erit tibi Dii alieni*. Item *Elohim* pluralis terminationis conjungitur cum adjectivo singulari, Isaiae cap. 19: *Dominorum fortis*: et quam saepissime Moysi, Aaron, Samueli, aliisque tribuitur principibus. Ex quo itaque singulari verbo *baràh*, *creavit*, nomen Dei *Elohim* pluralis numeri jungatur, inferre non licet, latere ibi mysterium Trinitatis.

Resp. Non inficiamur phrasim esse hebraicae linguae, ut quoties de quavis re, quae non sit Deus, sermo instituitur, quam saepissime singularia verba nominibus jungantur numeri pluralis. Negamus tamen phrasim illam locum habere, ubi sermo fit de Deo. Et 1. quidem anctoritate freti Rabinorum. Nam in Berescith Ketanà legitur: *Nisi hic sermo scriptus fuisset, non licuisset dicere*: *Creavit Elohim*. Idem, totidemque verbis R. Huna in min. Comm. Gen. repetit. Et in Thalmude cod. Megillah cap. 7. narratur, Moysem a Deo afflatum, ut pluralis nnmeri Dei nomen in describenda mundi creatione adhiberet, admiratione plenum manum sustinuisse, donec a Deo iterum jussus est, ut ita scriberet. Quae narratio, licet judaicam redoleat fabellam, demonstrat tamen, non esse

hebraicae linguae phrasim Dei nomen pluralis terminationis conjungere verbo numeri singularis. 2. Favet nobis auctoritas quoque christianorum hebraicae linguae peritissimorum, Augustini videlicet, Stenchi, Lirani, Pauli Brugensis, Delahaje, Ludovici Cappelli, Drusii, Hunnii, Salomonis Glassii, Alstedii, Meisnerii, et aliorum, qui communi consensu fatentur in versu primo Gen. latere mysterium. 3. Adde his modo quod, quum multa sint in hebraica lingua Dei nomina numeri singularis, ut *El*, *Eloha*, *Iehovah* etc. assumendo Moyses nomen numeri pluralis, mysterium procul-dubio insinuare sibi proposuit. Exempla autem in contrarium allata ad rem minime facere nullo negocio demonstratur. Non quidem primum; falsum est enim hebraicum textum ad litteram habere: *Super femur Abraham dominorum suorum*. Littera namque *Jod*, quae ibi habetur, non ad numerum, sed ad affixum pronominis distinguendum posita est; unde optime vertit noster interpres: *Super femur Abraham domini sui*. Deinde allato in exemplo legitur hebraice, *Adonai*, Dei nomen appellativum, non *Elohim* quod est primitivum. Porro in nominibus dumtaxat primitivis Dei negamus locum habere hebraicam phrasim jungendi illa singularibus verbis. Neque majoris ponderis est exemplum alterum: ideo enim cap. 20. Ex. dicitur, *Elohim*, quia sermo fit de diis gentium, qui sunt numero plures. Ponitur autem singulare verbum, *non erit*, ad significandum non esse illos colendos eodem honore, quo colitur Deus O. M. Sed neque ad rem facit tertium ex Isaia decerptum exemplum, tum quia occurrit ibi nomen non primitivum, sed appellativum, *Adonim*; tum etiam, quoniam nomen pluralis numeri cum adjectivo singulari conjunctum est ad distributionem exprimendum singulorum; praedicit enim ibi propheta singulos Aegypti reges futuros crudeles, unde sensus est: tradam Aegyptum in manu dominorum, quorum unusquisque erit fortis, vel *dominorum crudelium*, ut habet nostra latina Vulgata. Nil denique conficit postremum allatum exemplum: ideo quippe Moyses, Aaron, reges, ac judices Dei nomine pluralis terminationis appellantur, quoniam plures revera numero sunt. Ideo autem, dum nomen illud de singulis enuntiatur, verbo jungitur singulari, quoniam unusquisque Dei summi vices gerit ac majestatem.

Sed adversarii regerunt: sunt ex nostris Bellarminus, Petavius, Bonfrerius, Maldonatus, Simonius, qui in primo Genes. versiculo nullum latere mysterium affirmant.

Respondemus autem laudatos modo scriptores liberioris hac in caussa fuisse ingenii; praesertim vero Simonium, quem cum Socinianis facere demonstrat cl. Bossuetius in opere posthumo de traditione SS. PP. His autem opponimus nos commemoratos supra scriptores, quibus addimus Galatinum, Zanchium, et Hoernebek.

Obj. 2. Nec verba illa: *faciamus hominem etc.* pluralitatem demonstrant personarum. I. Enim non sunt verba unius divinae personae alias alloquentis, sed potius Dei alloquentis Angelos, quorum usus est ope in hominis conditione; solet siquidem Deus in rebus maximis ministerium as-

sumere Angelorum, ut in deceptione Achab factum est 3. Reg. cap. 22. Ita Rabini doctissimi Aben Ezra, Maimonides, et Selomoh. II. Vel sunt verba Dei seipsum adhortantis ad hominis creationem, ad instar artificis, qui statuam fabricaturus, seipsum excitat dicens: *age*, *statuam effingamus*. Ita Judaei apud Basilium, et Theodoretum, quibus subscripsit olim Marcellus Ancyranus ap. Euseb. lib. 4. cont. eumdem Marcellum, et subinde Socinus com. in hunc loc. III. Dici etiam potest terminatio illa pluralis signum dignitatis et majestatis, non plurium personarum. Principes enim virique illustres de seipsis plurali numero loqui solent. Ita Laban filiam suam Rachelem spondens Jacob, ubi in nostra latina Vulgata Gen. cap. 29. legitur: *hanc tibi dabo*, in hebraico codice habetur: *hanc dabimus tibi*. Plura hujus generis alia affert exempla Wolkelius.

Resp. ad 1. verba illa: *faciamus hominem*, nequeunt esse verba Dei directa ad Angelos, ut Rabini somniarunt. Etenim 1. ad mundi conditionem non assumpsit Angelos ille, qui per Isaiam cap. 44. inquit: *Ego sum Dominus faciens omnia*, *extendens caelos solus*, *stabiliens terram*, *et nullus mecum*. Et merito, quoniam ad creandum virtus requiritur infinita, quae communicari a Deo nequit Angelis. 2. Et quamvis daremus posse Deum infinitam creandi virtutem Angelis communicare, certum est tamen creationem hominis sibi soli Deum vindicare; tum quia Gen. cap. 3. legitur: *creavit Deus hominem*; et cap. 5. *in die*, *qua creavit Deus hominem*; tum etiam quia homo factus dicitur non ad imaginem Dei et Angelorum, sed solum ad imaginem Dei: *ad imaginem Dei creavit illum*. 3. Non diffitemur uti quandoque Deum in rebus etiam maximis Angelorum ministerio: sed vel in hominis formatione, vel ubi ad agendum virtus infinita requiritur, accidisse, id porro negamus. Neque adversariorum caussam juvat exemplum Achabi; ideo enim in illius deceptione Angeli, et quidem mali, ministerio usus est Deus, quoniam summam illius bonitatem majestatemque dedecet homines in mendacium inducere, non dedecet autem hominem e nihilo educere.

Ad 2. respondeo 1. cum Basilio hom. IX. in hexam: *Quis faber aerarius*, *vel lignarius*, *solus ipse quidem*, *nec alio quoquam sibi cooperante stipatus*, *interque suae artis instrumenta desidens*, *sibi ipsi admurmurat dicens*: *faciamus gladium*, *aut compingamus aratrum?* Etiamsi hac loquendi forma uterentur homines, nequit illa tamen locum habere in Deo; possunt enim homines ita loqui vel ad seipsos in magnitudine operis excitandos, vel ad excutiendum veternum: quae duo nequeunt movere Deum ens sapientissimum, potentissimum, ac semper agens. 3. Demum, quamvis in adversariorum sensu prolata essent verba illa: *faciamus hominem*; eodem sensu tamen pronuntiari non potuerunt sequentia: *ad imaginem*, *et similitudinem nostram*.

Ad 3. Falsum est Deum in sacris litteris de se illustrium virorum more loqui pluraliter. Nam *si Deus propter auctoritatem*, *et majestatem*, *de se loqueretur in plurali*, *oportuisset eum ita loqui*, *vel semper*, *vel ut plurimum*, *praesertim cum legem daret in Sina*. *Tunc*

autem loquutus est de se in singulari. Ita argumentum solvit Theodoretus q. 20. in Genesim. Deinde falsum est quoque, principes, tribunos, aliosque praeclaros viros in sacra Scriptura de se plurali numero loqui. Pharao siquidem, Abimelech, ambitiosissimi judices ac reges omnes judaei de seipsis loquentes singulari semper numero utuntur. Laban vero in exemplum assumptus, non suo tantum, sed et totius familiae nomine alloquitur Jacob. Ac tandem negari etiam potest, in latina lingua pluralis numeri locutionem signum esse majestatis illius, qui loquitur: Laurentius enim Valla latinae linguae peritissimus elegant. lib. 3. ita scribit: *Quia gloriosius est, quemvis unum per se, quam cum pluribus rem claram gessisse, principes modestiae gratia, ne soli videantur omnia gerere, loquuntur fere pluraliter; ut nos Maximilianus Romanorum Imperator etc.*

Obj. ultimo. Multominus personarum denotant pluralitatem reliqua e veteri Testamento desumpta testimonia. Et I. verba illa: *Dominus pluit etc. a Domino*, hunc exhibent sensum: *Dominus pluit a se*, vel *ex alto*, juxta haebraici idiomatis proprietatem, quod nominis usurpat repetitionem loco pronominis, ut Genes. cap. 4. Lamech ad uxores suas: *Audite me*, inquit, *uxores Lamech*, pro, uxores meae. Neque reponere juvat concilium Sirmiense testimonii illius sensum determinasse: tum quia conciliorum definitionibus Judaei non tenentur; tum etiam quia synodus illa conventiculum fuit Arianorum. II. Vox illa pluralis numeri, *ex nobis*, in textu altero: *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est*, refertur proculdubio ad Angelos, quorum scientiam Adam concupierat; neque enim verisimile est scientiam appetisse divinam. III. Ad Angelos quoque referenda esse verba illa: *Venite, descendamus, et confundamus etc.* docent Philo, Abenezra, Sclomoh, aliique viri doctissimi. IV. Ac postremo in V. T. Scripturis nimis aperte praedicatur et commendatur unitas, quoties sermo fit de Deo, ut Deut. cap. 6: *Audi Israel, Dominus Deus noster, Deus unus est*; et Isaiae cap. 64: *Ego Dominus, et non est alter*; et sic alibi; unde verisimile non est voluisse prophetas pluralitatem commemorare personarum.

Resp. ad 1. haebraica phrasis, quae nomen loco pronominis aliquando repetit, ut in exemplo ex Lamecho deprompto, locum non habet ubi Scriptura loquitur de Deo, praesertim si Dei nomen adhibeat tetragrammaton *Jehovah*, ut hoc in testimonio, ne Judaeis occasionem praebeat idololatriae. Neque vero repetitio illa significare potest, *ex se*, vel, *ex alto*, quum ibi habeatur expresse *de caelo*, idipsum significans. Quod de Sirmiensi concilio additum est, facilem habet solutionem, si animadvertamus non urgere nos illius auctoritatem adversus Judaeos, sed contra recentiores Sabellianos, ut eos in Scripturarum interpretatione falsitatis revincamus. Et quamvis synodus illa conciliabulum fuerit Arianorum; in iis tamen, quae contra Photinum definivit, in magna habetur existimatione etiam ab Hilario in libro de synodis: quod illius definitio definitioni cohaereat primi concilii Antiocheni contra Paulum Samosatenum, et menti Justini, Tertulliani, Irenaei, ex eo Scripturae testimonio argumentum desumentium ad demonstrandam Filii divinitatem.

Ad 2. dico 1. Ante illa verba: *Ecce Adam etc.* scriptum est: *Et dixit Jehovah*, quod nomen nequit Angelis convenire. 2. Verba illa: *sicut unus ex nobis*, omnimodam denotant similitudinem inter eos, qui sub voce *nobis* intelliguntur, quae inter Deum et Angelos non reperitur. 3. Adam autem debitae considerationis praetermissione potuit utique appetere scientiam divinam, quomodo Lucifer; qui licet Adamo nobilior, non veritus est tamen dicere: *Super astra ascendam, et similis ero Altissimo*: quamvis Augustinus affirmet peccasse Adam, ne contristaret uxorem.

Ad 3. nec ante nec post illa verba: *Venite, descendamus etc.* mentio ulla fit Angelorum. Et praeterea: de illo mentio fit in laudata sententia, qui revera descendit, divisit, dispersit. Hic autem fuit Deus, non Angeli: *atque ita divisit eos Dominus, et dispersit eos Dominus etc.*

Ad 4. saepe in V. T. commemoratur Dei unitas, non raro etiam pluralitas, ut ex allatis apparet testimoniis. Quando commendatur unitas, referimus ad unitatem naturae per oppositionem ad deos ethnicorum: quando vero commemoratur pluralitas, referimus numerum ad personas in unitate naturae subsistentes, ut ex hactenus disputatis apparet.

SCHOLION

Quum Deus patriarchis et prophetis aperte revelaverit mysterium Trinitatis, merito inquiritur, cur eamdem notitiam negaverit vulgo Judaeorum. Basilius seleuciensis orat. de Moyse, et Isidorus Pelusiota lib. 2. ep. 143. respondent factum id esse, ne Aegyptiorum more, quibuscum diu vixerunt, in idololatriam laberentur. S. P. Augustinus autem in qq. V. T. cap. 86. ut homines gradatim mysteriis sublimibus imbuerentur. Utraque responsio optima est.

CAPUT II.

Idem de divinarum personarum Trinitate dogma demonstratur etiam ex novo Testamento.

Quum nulla fere in N. T. pagina sit; quae expressam non contineat Trinitatis commemorationem, integrum necesse foret illud exscribere, si omnia, quae inde depromi possunt testimonia, in animo esset recensere. Ut modum igitur aliquem in disputando teneamus, ex innumeris nonnulla dumtaxat urgebimus adversus Antitrinitarios, illaque a falsis eorum interpretamentis vindicabimus.

MOMENTUM I.

Ex historia baptismatis Christi.

Narratur historia baptismatis Christi Matth. cap. 3. Marci cap. 1. et

Lucae cap. 3. in haec verba : *Jesu baptizato , et orante , apertum est caelum : et descendit Spiritus S. corporali specie sicut columba in ipsum : et vox de caelo facta est : Tu es Filius meus dilectus ; in te complacui mihi* . Habetur hic expressa totius Trinitatis commemoratio . Fit nempe mentio Patris , cujus vox de caelo facta est , dicens : *Tu es Filius meus* . Commemoratur et Filius , de quo Pater inquit : *Tu es Filius meus dilectus etc.* Nominatur denique Spiritus Sanctus , qui descendit corporali specie sicut columba in Filium . Quare habetur hoc in loco expressa SS. Trinitatis commemoratio et fides .

Sociniani ad argumenti hujus vim eludendam respondent , nomine Filii in laudata mox sententia intelligi Christum filium quidem Dei , sed per gratiam et adoptivum , non naturalem Deoque consubstantialem . Et nomine Spiritus S. , non personam aliquam aut rem subsistentem , sed virtutem ac efficaciam Dei designari . Dici vero apparuisse in specie columbae ad denotandum non impetu quodam , ut super Apostolos , sed leniter ad instar columbae descendisse .

A vero tamen quam longissime aberrant Sociniani , dum haec effutiunt . Et quoad primum spectat , nescio num vividiori uti posset Scriptura phrasi ad Filium exprimendum naturalem . Ubi enim in nostra latina Vulgata legitur : *Filius meus dilectus* , in graeco Lucae textu habetur : ὁ υἱός μου ὁ ἀγαπητός , cum articuli videlicet repetitione , quae rem quamdam in suo genere singularem significare norunt omnes . Quod si de Christo ut Dei filio adoptivo loqueretur Scriptura , ubi singularis illa ratio filii Dei ? Multi siquidem tunc in turba erant filii Dei adoptivi , in primisque Joannes . Hinc optime Hilarius lib. 4. de Trinit. ad illa verba : *hic est Filius meus etc.* inquit : *An ne tibi in eo , quod dicitur , hic est , non hoc significare videtur , alios quidem cognominatos ab eo in filios ; sed hic filius meus est ? Donavi adoptionis plurimis nomen ; sed iste mihi filius est* . Quoad alteram spectat cavillationem : primo , eodem modo mentio fit ibi Spiritus Sancti , ac Patris , et Filii . Hi personae sunt , non mera Dei attributa absoluta , non virtus , non gratia . Cur non et ille ? Praeterea : Spiritui , de quo Evangelista , characteres attribuuntur , qui virtuti aut proprietati nequeunt convenire ; de illo namque dicit assumpsisse speciem columbae , descendisse de caelo , super Christum mansisse . Quis non videt characteres ejusmodi denotare personam ? De gratia quippe Dei ac ejus virtute dici non solet in Scripturis , quod sensibilem speciem assumat , et oculis conspiciatur corporeis : *Et vidit Jesus Spiritum Dei descendentem* .

MOMENTUM II.

Ex forma baptismatis .

Christus Apostolos alloquens Matth. cap. 28. ita baptismi formam illis praescripsit : *Euntes ergo , docete omnes gentes , baptizantes eos in nomine Patris , et Filii , et Spiritus Sancti* . Quibus in verbis integra de

Trinitate fides continetur: 1. enim quum semel ibi dicatur, *in nomine*, hoc est, *in auctoritate*, vel *potestate*, sequitur unicam dari in divinis naturam, quomodo una est in divinis auctoritas atque potestas. 2. ex quo autem expressa habeatur Patris, Filii, ac Spiritus S. commemoratio; quis, nisi stupidus, Trinitatem ibi non videat personarum? Optime Pelagius 1. R. P. in epist. ad Chidelbertum regem: *In nomine, inquit, non nominibus, ut et unum Deum per indistinctum divinae essentiae nomen ostenderet, et personarum discretionem suis demonstratam proprietatibus edoceret, quia dum tribus unum deitatis nomen est, aequalitas ostenditur personarum, nihil extraneum, nihil accedens in eis promittit intelligi*.

Multa ad hoc argumentum respondent Sociniani. Et I. Spiritus S. in forma baptismi commemoratus, nomen est Dei virtutem potestatemque significans, non rem subsistentem sive personam; non enim baptizatur homo persona aliqua, sed gratia et caritate. II. Quid est baptizari in nomine Patris, et Filii, et Spiritus S. nisi Patris, et Filii, et Spiritus S. tingi baptismate? Ast potest quis tingi baptismate in nomine alicujus, qui non sit Deus; et in nomine plurium, quorum non una sit eademque natura? Apostolus enim in ep. I. ad Cor. cap. 10. loquens de Israelitis inquit: *Omnes in Moyse baptizati sunt, in nube, et in mari*. Nec Moyses divinam habebat naturam, neque nubes et mare consubstantialia erant Moysi. III. Totam, vim consubstantialitatis personarum reponunt catholici in eo, quod in forma baptismi semel habeatur, *in nomine*. Verum ex eo non sequitur unam eamdemque esse in Patre, Filio, ac Spiritu S. naturam; quemadmodum non sequitur unam esse naturam in Angelis, Archangelis, et Trinitate, ex quo in ordine commendationis animae jubeat Ecclesia recitari: *Proficiscere anima christiana in nomine Patris, in nomine Filii, in nomine Spiritus S. in nomine Angelorum, Archangelorum etc.* IV. Ac denique baptizari in nomine alicujus nihil aliud est, quam se illi devovere fide et obsequio. Potest autem homo sese devovere fide et obsequio duobus, quorum unus sit Deus, alter vero creatura? Exodi enim cap. 14. de filiis Israel legitur: *et crediderunt Deo, et Moysi servo ejus*. Quare baptisma collatum in nomine Patris, et Filii, et Spiritus S. non arguit Trinitatem personarum in unitate naturae.

Verum hae cavillationes Antitrinitariorum caussam minime juvant. Atque ad 1. ipsis fatentibus Socinianis, Pater, et Filius, in quorum nomine baptizamur, personae sunt. Baptizamur autem in nomine quoque Spiritus Sancti; unde et hic persona est, non Dei virtus atque potestas. Deinde baptizari *in nomine*, idem est ac baptizari in auctoritate, in potestate, in virtute. Quare si vera sit haereticorum interpretatio, formae baptismatis sensus erit: baptizantes eos in virtute virtutis, in potestate potestatis; quo quid insulsius? Rursus Spiritus S. in cujus nomine baptizari nos jubet Christus, alibi saepe dicitur *missus*, *venire*, *descendere*, *sedere*, *consolari*, etc.; quae proprietates sunt personarum. Ac tandem Spiritum S. in quo baptizamur, personam esse, non Dei efficaciam atque virtutem, luculenter declarat Apostolus Act. cap. 19. Interrogati enim ab eo discipuli

quidam Joannis, an accepissent Spiritum Sanctum? *Illi dixerunt ad eum: sed neque si Spiritus S. est, audivimus. Ille vero ait: in quo ergo baptizati estis?* Sane discipuli illi Joannis Dei virtutem, hoc est, gratiam sanctificantem habebant; respondent nihilominus nihil de Spiritu S. audivisse. Illud autem quod ajunt, baptizari hominem non persona aliqua, sed gratia et caritate, absolute pronunciatum falsum est. Nam inquit Apostolus induere nos per baptismum Christum Jesum, quem personam esse non diffitentur Sociniani. Distinguendum itaque est inter caussam efficientem, et caussam formalem baptismi. Persona Spiritus S. cum Patre, et Filio, caussa est efficiens baptismi; caritas vero et gratia est ejusdem baptismi caussa formalis. Utramque complectitur Joannes Baptista Matth. cap. 3. dicens: *Ego baptizo vos in aqua in poenitentiam; qui autem post me venturus est, ... ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto, et igne;* baptismo nimirum Spiritus S. gratiam producente et caritatem.

Ad 2. Non potest conferri baptisma proprie dictum nisi in nomine Dei O. M. Nam per baptisma foedus quoddam initur inter illum, in cujus nomine baptizamur, ac illum, qui baptizatur. Is in cujus nomine baptisma confertur, gratiam se daturum promittit, qua peccata abluantur, ut anima sanctificetur; unde baptizari dicuntur homines in remissionem peccatorum. Homo autem baptisma recipiendo sese totum devovet, inque illius jurat doctrinam, cujus nomine baptizatur. Ast elargiri gratiam in remissionem peccatorum solius Dei est, juxta illud Isaiae cap. 43: *Ego sum Deus, qui deleo iniquitates propter me*. Et, *nemo remittere potest peccata nisi Deus*. Et rursus, soli Deo in receptione baptismi se devovere potest, ac in illius dumtaxat jurare doctrinam, secundum illud Christi apud Matth. cap. 4: *Dominum tuum adorabis, et illi soli servies*. Dubitari ergo non potest, quin ille in cujus nomine, vel cujus baptismo nos baptizamur, sit vere et proprie Deus. Hinc Paulus in ep. 1. ad Cor. cap. 10. discipulis suis ad fidem recens conversis schismata exprobrans et contentiones: *Numquid*, inquit, *in nomine Pauli baptizati estis?* Ac si diceret: non Pauli vos estis nec Cephae, sed Dei; quoniam baptismate ac nomine Dei abluti estis. Quod autem inquiunt, baptizatos fuisse israelitas baptismate Moysis, adeoque conferri posse baptisma in nomine alicujus qui non sit Deus, facilem habet solutionem, si animadvertamus non uno semper sensu baptismi nomen usurpari. Aliquando enim sumitur pro re sacra producente gratiam, ut est baptisma christianum: aliquando pro quavis ablutione sive religiosa sive profana, ut erant apud phariseos *baptismata calicum, et urceorum, et nevamentorum, et lectorum*, de quibus Marcus cap. 7: et non raro figurate etiam pro animi tristitia atque moerore; unde ajebat Christus paullo ante passionem suam: *Baptismo habeo baptizari, et quomodo coarctor* etc. Baptismus ergo ille Moysis, de quo Apostolus, non fuit veri nominis et proprie dictus baptismus, sed improprie et per quamdam cum vero baptismo analogiam sic nuncupatus; quoniam filii Israel sese devoverunt Deo in manu Moysis per stupenda signa nubis et maris. E contra baptisma a Christo institu-

tum, baptisma est fidei et gratiae; atque idcirco Sacramentum proprie et rigoroso sensu dictum, quod divinam supponit auctoritatem, per eam vocem, *in nomine*, expressam, quae non habetur apud Apostolum Moysis baptismum commemorantem. Eodem modo diluitur et illud quod addunt, Moysem videlicet, nubem et mare ejusdem non esse naturae, licet Israelitae baptizati dicantur in Moyse, in nube et in mari. Nam unitatem naturae arguunt catholici ex formula illa, *in nomine*, quam non adhibet Paulus de Moysis baptismate in nube, et in mari loquens. Hinc Auctor de profes. regulae cathol. ad Theophyl. inter opera Athanasii jure redarguit haereticos, quod a baptismatis forma voces illas abraserint, *in nomine*, ad naturae tollendam unitatem: *Cur tu*, inquit, *hoc nomine deitatis sublato, Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, baptizas dicendo: baptizo te in Patre, et in Filio, et in Sancto Spiritu, et non in uno nomine?*

Ad 3. Latissimum discrimen est inter ordinem commendationis animae, et formam baptismi. Primo enim, non sub uno eodemque nomine invocantur Trinitas, et Angeli, atque Archangeli, quemadmodum in forma baptismi. Deinde in commendatione animae τὸ *in nomine* significat simplicem invocationem, quum Angeli quoque atque Archangeli, ut in auxilium animae in extremo discrimine positae occurrant, invocentur. Ast τὸ *in nomine* in forma baptismatis, non invocationem modo, sed et auctoritatem potestatemque significat, ut in superioribus diximus.

Ad 4. Minime dubium quin homo devovere se possit simul et semel Deo, et creaturae; sed non eodem modo. Deo videlicet tanquam supremo Domino; homini autem tanquam ministro Dei, ut ex allato exemplo patet. Israelitae nempe Domino, tanquam Deo; Moysi vero, tanquam servo ejus. Verum in baptismate suscipiendo sese devovet homo fide et obsequio toti Trinitati, quoniam semel habetur, *in nomine*. Ad rem Dydimus lib. 2. de Spiritu S. *Quis non ex ipsa cogetur veritate suscipere indifferentiam* (hoc est aequalitatem) *sanctae Trinitatis, dum una sit fides in Patre, Filio, et Spiritu Sancto, et lavacrum detur, atque firmetur in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti?*

MOMENTUM III.

Ex Spiritus S. promissione a Christo facta discipulis.

Haec occurrunt Joan. cap. 9. et 15. Christus suos alloquens Apostolos inquit: *Ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, Spiritum veritatis*. Et, *Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me*. Hic profecto Trinitas habetur divinarum personarum. Habetur scilicet mentio Filii rogantis, Patris rogati, et Spiritus Sancti, qui a Patre, et Filio procedit.

Nec audiendi sunt Antitrinitarii reponentes, Christum non esse Deum, quoniam de illo dicitur, rogasse Patrem: quod, inquiunt, Divinita-

ti repugnat. Nec esse Deum Spiritum S. quum missus dicatur a Patre, et Filio; missio enim servitutem importat. Non sunt, inquam, audiendi: nam Christus rogasse dicitur Patrem secundum humanam naturam, non in propria divinitate, qua aequalis est Patri: Spiritus autem S. mittitur quidem a Patre, et Filio; ast non tanquam servus a Domino, sed tanquam divina persona ab aliis personis procedens, ut inferius dicemus.

MOMENTUM IV.

Ex unitate testimonii divinarum Personarum.

Johannes in sua ep. I. cap. 5. inquit: *Tres sunt, qui testimonium dant in caelo, Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus; et hi tres unum sunt*. En Trinitas personarum, Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus. *Et hi tres unum sunt*; Igitur in tribus hisce personis unica subsistit natura.

Incredibile dictu est quot tenebras lucidissimo huic testimonio offundere tentent Sociniani. In primis ajunt celebrem illum versiculum non esse genuinum S. Johannis opus, sed aliqua manu intrusum in textum; unde ad faciendam fidem non valet. Qua in re, quum consentientes habeant nonnullos quoque catholicos, Erasmum puta, et Richardum Simonium, de versiculi illius germanitate seorsim agemus capite sequenti. Nunc illorum objectamenta dumtaxat refutabimus, quae contra praefatum urgent testimonium, illius supposita sinceritate.

Respondent itaque Trinitatis hostes, I. laudata Johannis verba pluralitatem personarum minime demonstrare; sed Verbi, ac Spiritus S. nomine intelligere Dei virtutes a se emissas. Unde inquiunt, cur una eademque persona Patris, vel per se vel per virtutes a se emissas, per Verbum scilicet ac Spiritum Sanctum, non potuit triplex testimonium in caelo perhibere? II. Praeterea etiamsi ex allata Johannis sententia pluralitas colligeretur personarum, numquid proinde colligi posset etiam consubstantialitas? Minime: quamvis Johannes dicat, *et hi tres unum sunt*. Nam etiam de Spiritu, aqua, et sanguine in sequenti versiculo 8. dicitur, *et hi tres unum sunt*; nec proinde tria haec eamdem habent naturam.

Vana autem sunt Socinianorum haec interpretamenta. Et ad 1. Verbi, ac Spiritus Sancti nomine virtutes in ea sententia intelligi non possunt: tum quia tanquam duo testes a Patre distincti ab Evangelista commemorantur: cum etiam quoniam in eadem epistola et alibi saepe Verbo, ac Spiritui S. characteres adscribit, qui nonnisi personae conveniunt: tum denique quia si Pater per Antitrinitarios persona est testificans, non video cur personae esse nequeant Verbum, et Spiritus S.

Ad. 2. Nonnulli allato argumento reponunt clausulam illam versiculi 8. *et hi tres unum sunt*, desiderari in codicibus vetustissimis; adeoque non posse ex illa desumi argumentum seu comparationem. Ajunt alii inter utrumque versiculum latissimum esse discrimen, quoniam in vers. 7.

inquiunt, legitur: *et hi tres unum sunt*; in 8. autem habetur: *et hi tres in unum sunt*, ut legitur in graeco textu. Volunt alii legendum esse in v. 8. *Hi tres in nobis sunt*, ut legit Vigilius Tapsensis in lib. cont. Varimadum. Quidam denique rationem discriminis repetunt ex vers. 9. *Si testimonium hominum accipimus*; *testimonium Dei majus est*. Stet cuique ex allatis solutionibus sua probabilitas. Verior tamen responsio est clausulam illam, *et hi tres unum sunt*, unitatem naturae utrobique denotare; ita ut vers. 7. sensus sit, *et hi tres*, unam habent naturam: sensus autem vers. 8., *et hi tres*, significant unam naturam. Et en quomodo. Spiritus, Sanguis, et Aqua signa sunt seu sacramenta Patris, Filii, ac Spiritus Saneti. Spiritum denotare Patrem patet ex Johannis Evangelio cap. 4. ubi legitur: *Spiritus est Deus*; nempe Pater, ipsis fatentibus Socinianis: Sanguinem esse signum Filii patet ex eodem Evangelista cap. 1. *Verbum caro factum est*: Quod vero aqua saeramentum sit Spiritus Sancti testatur idem Johannes cap. 7. *Flumina de ventre ejus fluent aquae vivae*: *hoc autem dicebat de Spiritu*, *quem accepturi erant credentes in eum*. Porro cum de pluribus signis seu sacramentis dicitur quod sint *unum*, τό *unum* non ad signa ipsa seu sacramenta, sed ad rem per signa seu saeramenta significatam refertur. Puta si dieam: petra, leo, vitis etc. (quae signa et saeramenta sunt Christi Domini) sunt unum; sensus est non signa haec, sed Christum per haec significatum esse unum. Quare versiculi 8. sensus est: *Spiritus*, *Sanguis*, et *Aqua*, tria haec quae signa sunt Patris, Filii, ac Spiritus S. *sunt*, hoc est, denotant *unum*; nempe unam eamdemque naturam in Patre, Filio, et Spiritu Sancto. Ita S. P. Augustinus lib. 2. eont. Maximin. Arian. cap. 22. Atque ita aliud ex vers. 8. depromi potest adversus Socinianos argumentum.

Sed alia quoque ratione idem solvi potest argumentum, si videlicet ad illius epistolae seopum attendamus. Scripsisse eam epistolam Johannem contra Ebionitas et Basilidianos, qui jam in Ecclesiam grassari coeperant, affirmat Hieronymus in lib. de Scriptorib. eccles. Ebionitae Christi divinitatem denegantes blasphemabant fuisse illum purum putumque hominem ex hominibus genitum: Basilidiani e contra humanitatis Christi veritatem infieiantes docebant corpus illius merum fuisse phantasma, omniaque apparenter feeisse. Adversus ergo Ebionem urget Evangelista vers. 7. eapitis 5. ep. I. affirmans Christi Domini divinitati testimonium in eaelo perhibere Patrem, Verbum, et Spiritum Sanctum: eontra Basilidem vero veritati humanitatis Christi testimonium suppeditare Spiritum, Sanguinem, et Aquam, intelligens nomine Spiritus sanctissimam Christi animam, quae a eorpore in ara Crucis soluta est, *Et inclinato capite emisit Spiritum*: per Sanguinem autem, et Aquam eruorem, qui e latere ejus laneea eonfosso egressus est; unde hic resultat sensus. *Spiritus Sanguis*, *et Aqua*, *hi tres unum sunt*; ad unam nimirum pertinent veram ac realem, non phantastieam Christi humanitatem: Atque ita Socinianorum corruunt cavillationes.

Ad reliqua haereticorum objectamenta responsio.

Quae ex N. T. adversus divinarum Personarum distinctionem afferri ab Antitrinitariis solent innumera propemodum sunt; quorum complura ubi de Verbi cum Patre aequalitate, reliqua vero ubi de divinitate Spiritus S. agemus, refutabimus. Argumenta siquidem omnia, quibus haeretici, aut Filii, aut Spiritus S. cum Patre consubstantialitatem evertere conantur, facere videntur etiam contra Trinitatem Personarum. Aliqua ergo hoc in loco afferemus; unde

Obj. I. Christus Johan. cap. 17. Patrem alloquens sic inquit: *Haec est autem vita aeterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum.* Solus Pater dicitur a Christo Deus; unde Filius, ac Spiritus S. Deus non sunt. II. Vana autem responsio catholicorum dicentium Christum appellare solum Patrem Deum per exclusionem deorum gentium, non vero sui ipsius, et Spiritus S. Nam *haec est vis vocis solius*, inquit Crellius, *ut omnes alios excludat a communione praedicati, praeter eum, cui apponitur. Is autem, cui vocula solus apponitur, est Pater Jesu Christi: praedicatum est verus Deus, seu Deus summus;* unde a consortio divinitatis, non dii gentium modo, sed et Filius, et Spiritus S. excluduntur. III. Et ita quidem etiam Apostolus de Deo sentiebat. Nam in ep. I. ad Cor. cap. 8. *nobis tamen*, inquit, *unus Deus Pater, ex quo omnia, et nos in illum; et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, et nos per ipsum.* Ubi quamvis Apostolus Patrem commemoret et Filium, solum tamen Patrem Deum appellat. IV. Etiam Paulus, inquiunt catholici, per hanc sententiam excludere voluit deos Gentilium. Sed sic exponendo textum decipiuntur; Paulus enim explicans quis sit ille unus, qui alienos excludit deos, simpliciter dicit esse Patrem, non Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum: Quod facere quidem debuisset, ut Corinthii in perfecta christiana fide confirmarentur.

Resp. ad I. Christus solum Patrem dicit esse Deum per deorum Gentium, non autem per sui ipsius, et Spiritus S. exclusionem: nam Christi Domini scopus laudato in loco est praescribere Gentilibus modum aeternae comparandae salutis; illumqne in eo consistere docet, ut deorum ejurata pluralitate, in institutam a Christo religionem ingrediantur. Haec ab iis, quae Paulus habet in ep. I. ad Thessal. cap. I. lucem acquirunt; ibi enim ita scribit Apostolus: *Ipsi enim de nobis annuntiant qualem introitum habuerimus ad vos, et quomodo conversi estis ad Deum a simulacris, servire Deo vivo et vero, et expectare Filium ejus de caelis etc.* Hinc Ignatius martyr in ep. ad Magnes: *Qui ad multitudinem impactis deorum, unum et solum verum Deum annunciat Patrem suum.* Et Athanasius orat. 4. cont. Arian: *Quapropter cum Pater solus Deus, et verus appellatur, non ad exauctorationem ejus appellatur, qui dicit: Ego sum veritas: sed ad demolitionem eorum, qui ex natura tales non sunt, qualis est Pater, et Patris Verbum; neque veri dii sunt.* Lau-

data itaque Christi sententia multitudo excluditur deorum. Quod vero a consortio divinitatis pluralitas non excludatur Personarum, inde colligit S. P. Augustinus lib. 2. cont. Maximin. cap. 15. quod hoc modo disponi debeant Johannis verba dicentis, *Haec est autem vita aeterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum*; nempe, *te et quem misisti Jesum Christum, cognoscant solum verum Deum*: ita Augustinus. Augustino autem adstipulatur Paulinus Aquilejensis lib. 4. cont. Felicem, ubi sic inquit: *Ordo verborum est, ut cognoscant te, et quem misisti Jesum Christum, solum verum Deum*. Qua posita dispositione verborum Christi, aeterna vita comparari nequit nisi ab iis, qui Patrem ac Filium ejus Jesum Christum Deum solum et verum esse credunt; proindeque τό *solum* a divinitate pluralitatem non excludit Personarum.

Ad 2. Falso supponit Crellius vocabulum, *solum*, in allata sententia rationem habere subjecti; quum ad praedicatum, *Deum*, revera pertineat; ut luculentissime patet ex textu graeco, ubi articulus τὸν praeponitur vocabulo μόνον, quum praeponi deberet adjectivo ἀληθινόν, si *solum* locum teneret subjecti: ita enim graece legitur, ἵνα γινώσκωσί σε τὸν μόνον ἀληθινὸν Θεόν. Consentientem hac in re habemus ipsum Faustum Socinum Crellii magistrum in ep. 2. ad Matthaeum Radecium. Jam vero si vocula *solum* locum teneat praedicati, totum corruit Crellii argumentum. Aliud quippe propositio haec, *Pater solus est Deus*; et aliud haec alia, *Pater est solus Deus*, significat. Prior etiam Personas; altera vero deos dumtaxat Gentilitatis a divinae naturae excludit participatione. Vide Petavium lib. 3. theol. dogm. cap. 1. et Henricum Bisterfeldium in confutat. crelliani operis.

Ad 3. Etiam Apostolus ad inanium deorum, non divinarum Personarum exclusionem, solum Patrem appellat Deum. Scribit namque ad Corinthios ex ethnica superstitione ad veram fidem nuper conversos hortans eos, ne idolothytis contra conscientiam vescantur; atque hoc utitur argumento: Etsi idolum nullius sit efficaciae, quoniam nullus est Deus nisi unus; proindeque idolothytis vesci ex se non sit illicitum: nihilominus edenda non sunt cum infirmorum offensione. En integra Pauli sententia: *De escis autem, quae idolis immolantur, scimus, quia nihil est idolum in mundo, et quod nullus est Deus, nisi unus. Nam etsi sunt, qui dicantur dii, sive in caelo, sive in terra (siquidem sunt dii multi, et domini multi) nobis tamen unus Deus, Pater etc.* Ceterum non excluduntur per illa verba Filius, ac Spiritus S. a consortio divinae naturae. Nam sicuti ex quo dicat Apostolus Christum esse unum Dominum, non sequitur Patrem non esse Dominum; ita cum de Patre dicitur quod sit unus Deus, non sequitur Deum non esse Filium, et Spiritum S.

Ad 4. Non opus erat ut Apostolus doctrinam de Trinitatis mysterio eo in loco traderet Corinthiis; hoc namque jam antea verbo et scripto ipse praestiterat: sed ibi scopus ejus erat hortari illos, ut ab idolothytis abstinerent, etiamsi idolum cui escae a Gentilibus offeruntur, nihil sit in mundo; quoniam verus Deus unus est, ut ex capitis lectione luculen-

tissime constat. Deinde observat Chrysostomus hom. 20. in ep. I. ad Cor. noluisse Apostolum ad Corinthios recens ex ethnicismo ad fidem conversos scribentem, Patrem Dominum, et Christum Deum appellare, ne cum Deum et Deum, Dominum et Dominum audirent, in ejuratam relaberentur superstitionem. Ejusdem oeconomiae caussa Apostolum non meminisse eo in loco Spiritus S. affirmant Basilius, Theodoretus, Oecumenius, ac Theophilactus: Quae Patrum animadversio ipsius Pauli verbis nititur in ead. epist. cap. 3. *Et ego, fratres, non potui loqui vobis quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Tamquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi non escam: nondum enim poteratis: sed nec nunc quidem potestis: adhuc enim carnales estis.*

Obj. 2. Idem Apostolus in I. ad Timoth. cap. 2. scribit: *Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum homo Christus Jesus.* Solus Pater hic dicitur Deus summus, et cum exclusione quidem Filii: quoniam appellat hunc mediatorem Dei et hominum. II. Et revera per Apostolum, Deus unus est, inquit Crellius. Christus Jesus non est ille unus Deus; distinguitur enim ab illo uno Deo: unde non est divina persona, ut catholici tenent. III. Repugnat verae divinitati vices gerere mediatoris Deum inter et homines: Christus appellatur ab Apostolo mediator Dei et hominum; Quomodo ergo Deus est?

Resp. ad 1. Etiam hoc in loco docet Paulus Deum unum esse per exclusionem deorum Gentium, non Filii aut Spiritus Sancti. Ita locum exponunt Chrysostomus, Theodoretus, Ambrosius, Oecumenius, Theophilactus.

Ad 2. Duas admittimus in Christo naturas, divinam unam, alteram humanam. Cum Apostolus a Deo qui unus est, Christum secernit, de hoc loquitur secundum humanam naturam, non illum autem excludit quatenus habet naturam divinam; unde inquit: *Unus mediator Dei et hominum homo Christus Jesus.*

Ad 3. Et secundum eamdem humanam naturam Christus per Apostolum, mediator Dei est et hominum: Sed quoniam sola humana natura ad tam sublime obeundum munus par esse non potest; hinc unita illi est natura divina hypostatice, quae humanitati actionibus pretium tribueret infinitum ad satisfaciendum de toto rigore justitiae Deo pro humani generis peccatis. Sed de hoc fuse suo loco disputabimus.

SCHOLION.

Quoniam multa sunt N. T. loca in quibus solus Pater Dei nomine appellatur, ut levi brachio solvi omnia possint, duo haec prae oculis habeant tyrones: 1. Scripturam solum Patrem appellare Deum, ut a participatione divinitatis deos, quos colere superstitiosa Gentilitas solet, excluderet, quemadmodum in responsionibus diximus: idque locum habet praesertim ubi sacri Scriptores eos alloquuntur, qui ab idolorum cultu nuper conversi erant. Ideo autem Patri potius quam Filio, aut Spiritui S. Dei

nomen attribuunt: quoniam gentiles quoque Deum illum summum, quem ceteris praeesse arbitrabantur, sub hoc nomine Patris suo modo agnoscebant. 2. Quod si ad illos in N. T. dirigatur oratio, qui ad fidem venerant ex judaismo, tunc eo sensu soli Patri adscribitur divinitas, quod ipse quum ingenitus sit, fons est et origo totius divinitatis: Filius enim a Patre per generationem, Spiritus autem S. a Patre et Filio per processionem accipit esse, ut in sequentibus dicemus. Posteriorem hanc regulam tradit Gregorius Nazianzenus, et Graecis omnibus communis est. Sic autem ille scribit car. 3. de Spiritu S. *Quod si quae de Filio audimus, aut bono Spiritu in divinis litteris, aut deiferis viris, tanquam secundas a Deo Patre habeant: sic illa intelligere jubeo te, secundum rationes sapientiae late se extendentis, ut ad radicem principii expertem haec ascendant, non divinitatem secent: ut unum habeas principatum, non multiplici cultu partitum; ex Unitate Trinitas est, et rursus ex Trinitate Unitas.*

CAPUT III.

An vers. 7. cap. 5. ep. I. Johannis: Tres sunt, qui testimonium dant in caelo etc. *sit ipsius Johannis genuinus foetus.*

Illud de quo modo sumus disputaturi est veluti ad praecedens caput appendix: in eo enim incumbimus ut celeberrimi S. Johannis caelestis de Trinitate testimonii, quod ibi dedimus, germanitatem ab haereticorum criticorumque calumniis vindicemus. Agnoscentes enim Antitrinitarii argumenti illinc eruti vim familiaribus sibi argutiunculis se non posse tam facile eludere, versiculum illum non genuinum, sed aliena manu assutum et insitum esse contendunt. Ita Socinus com. in hunc locum, cui Sociniani omnes subscribunt, et Johannes Clericus par. 3. art. crit. sect. 1. cap. 15. ex haereticis; ex catholicis autem Richardus Simonius H. C. N. T. cap. 18. et alibi. Illud autem maxime dolendum est quod hujus generis arma Socinianis suppeditaverit licet, ut reor, non malo animo Erasmus qui ductus non magni momenti argumentis, primus versiculi hujus germanitatem aperte negavit, eaque de caussa in duabus quas adornavit N. T. editionibus graecis illum expunxit: quamvis in eadem non semper sententia perstiterit; quum in tertiam editionem ex Anglicano antiquissimo codice veterem restituerit lectionem. Bene ergo et naviter tum contra Fidei hostes, tum contra morosos nostros criticos oportet dimicare.

CONCLUSIO.

Genuinus est, non adscititius cap. 5 ep. I. *Johannis*: Tres sunt etc.

Prob. 1. Scriptum quod ab omnibus Ecclesiis sive graecis sive latinis tam publice quam privatim veluti genuinum sacri auctoris opus agnoscitur, illius esse auctoris cui tribuitur, absque ulla haesitatione

credendum est; quum difficile omnino sit, tot ac tantas numero et dignitate Ecclesias in re adeo gravi simul aut voluisse aut potuisse errare: Porro omnes sive graecae sive latinae Ecclesiae versiculum hunc 7. cap. 5. ep. I. Johan. et in publicis et in privatis lectionibus ipsi Johanni, non aliis adscribunt. Et de latinis nemini dubium: quoniam singulae catholicorum Ecclesiae nostra utuntur Vulgata, in qua verba illa leguntur. Quod graecas vero spectat Ecclesias, vel ipse Simonius fatetur haberi caeleste illud testimonium in *Lectionario*, quod Ἀποστόλων ab ipsis vocatur, quodque diurna atque nocturna manu Graeci versant.

Respondent adversarii versum hunc septimum in plurimis Ecclesiis orientalibus, ut in Syriaca, Arabica, Aethiopica non legi; quum Bibliorum codices hisce linguis conscripti et in Polyglottis procusi eo versiculo careant.

Leve prorsus argumentum. Primo quoniam graecae omnes latinaeque Ecclesiae simul conjunctae, numero et auctoritate ceteras antecellunt; proindeque non quid pauci illiteratique Syri, Aethiopes, et Arabes, sed quod Graeci omnes ac Latini tenent admittendum est. Secundo minime constat an novum Testamentum Syriacum, Arabicum, et Aethiopicum in Polyglottis typis impressum illud revera sit, quod ii populi in publicos usus olim habebant: an potius, quod pro certo teneo, desumptum fuerit ex veteribus eruditorum codicibus M. S. Nam orientales illi catholici versiculum illum modo in propriis Bibliis habent.

Prob. 2. Complures Patres, ex illis etiam qui ante Hieronymi aetatem floruerunt, sententiam illam, *Tres sunt, qui testimonium dant in caelo etc.* tamquam ex sacra Scriptura depromptam passim commemorant. Et I. Tertullianus adversus Praxeam cap. 15. *Ceterum*, inquit, *de meo sum et Paracletus, sicut et ipse de Patris. Ita connexus Patris in Filio, et Filii in Paracleto tres efficit cohaerentes, alterum ex altero. Qui tres unum sunt, non unus, quomodo dictum est: Ego, et Pater unum sumus, ad substantiae unitatem, non ad numeri singularitatem.* Ad divinarum consubstantialitatem Personarum demonstrandam duo hic affert Tertullianus testimonia Scripturarum, *Ego, et Pater unum sumus:* et, *Hi tres unum sunt*. Quare sicuti genuinum unum, ita et alterum agnoscit. Neque dici potest alludere Tertullianum ad versum immediate sequentem 8. *Spiritus, sanguis, et aqua: et hi tres unum sunt;* quoniam loquitur ibi de Patris, Filii, ac Spiritus S. connexu, *qui tres unum sunt* in unitate naturae, juxta illud, *Ego, et Pater unum sumus*. Atque eo magis testimonium hoc Tertulliani est faciendum, quod sua aetate extarent adhuc Apostolorum autographa scripta; *ipsae litterae authenticae*, ut ille inquit lib. de praescript. cap. 36. II. Beatissimus Cyprianus in lib. de unit. Eccl. cap. 4. ita scribit: *Dicit Dominus: Ego, et Pater unum sumus. Et iterum, de Patre, Filio, et Spiritu S. scriptum est. Et hi tres unum sunt*. In epist. autem ad Jubajanum: *Cum tres*, inquit, *unum sint, quomodo Spiritus S. placatus ei esse potest, qui aut Patris, aut Filii inimicus est?* Quibus in verbis observandum est cum Ar-

naldo in diss. de Becae M. S. non respicere Cyprianum, ut Simonius contendit, ad vers. 8. ejusdem quinti capitis. Si namque ita se res haberet, non dixisset S. martyr: *De Patre, Filio, et Spiritu S. scriptum est: et hi tres unum sunt*; neque enim statim in mentem venit Spiritum, Sanguinem, et Aquam significare Patrem, Filium, et Spiritum S.: sed longo verborum circuitu opus est ut tria illa signa esse intelligamus Patris, Filii, et Spiritus S.; unde ita scribere debuisset. De Patre, et Filio, et Spiritu S. intelligitur quod scriptum est de Spiritu, Sanguine, et Aqua: *et hi tres unum sunt*. III. Eugenius carthaginensis Antistes apud Victorem Vitensem in lib. 3. de pers. wand. ita loquitur: *Et ut adhuc luce clarius unius divinitatis esse cum Patre, et Filio Spiritum S. doceamus, Johannis evangelistae testimonio comprobatur. Ait namque: Tres sunt, qui testimonium perhibent in caelo, Pater, Verbum, et Spiritus S. et hi tres unum sunt*. Maximum verba haec suppeditant pro nostra sententia argumentum: tum quoniam pars sunt formulae Fidei exhibitae Hunnerico Wandalorum regi ariano *cum consensu omnium Africae, Mauritaniae, et Sardiniae, atque Corsicae Episcoporum* (numero 400.) *et Confessorum, qui in catholica permanserunt fide*; quod argumento est singulas eas Ecclesias versiculum in propriis Bibliis legisse: tum etiam quoniam formula illa Fidei laudatum continens testimonium oblata fuit ariano principi contra arianos omnes; proindeque non timuerunt ne in dubium revocaretur. Formula autem illa Fidei edita fuit anno 484. post Christum natum. IV. Idacius Clarus, vel ut alii volunt, Vigilius Tapsensis lib. 1. cont. Varimad. *Item ipse Johannes*, inquit, *ad Parthos: Tres sunt, qui testimonium perhibent in terra, aqua, sanguis, et caro; et tres in nobis sunt: et tres sunt, qui testimonium perhibent in caelo, Pater, Verbum, et Spiritus S. et ii tres unum sunt*. Mirari non subit si ordine inverso Johannis verba recitet auctor: laudare namque illa videtur, more veterum, ad sensum potius quam ad litteram: vel in illos forte incidit codices, in quibus vers. 7. nostrae Vulgatae numero octavo positus erat, et octavus numero septimo. V. S. Fulgentius testimonium illud Johannis variis profert in locis, in lib. videlicet de Trinit. cap. 4. in opere cont. Pintam episcop. arian. et in resp. ad 10. Arianor. objectionem. Illius verba paullo post dabimus. Nunc animadverto dumtaxat episcopum Ruspensem versiculum hunc in suis operibus adeo fidenter urgere, et quidem contra Arianos, ut suspicari non liceat quin ea aetate etiam Ariani ut genuinum Apostoli foetum illum existimarent. VI. Auctor prologi in epist. canon. qui B. Hieronymo vulgo tribuitur, inquit: *In quo ab infidelibus translatoribus multum erratum esse fidei veritate comperimus, trium tantum vocabula, hoc est aquae, sanguinis, et Spiritus in sua editione ponentibus, et Patris, Verbique, ac Spiritus S. testimonium omittentibus, in quo maxime, et Fides catholica roboratur, et Patris, et Filii, et Spiritus Sancti una divinitatis substantia comprobatur*. VII. Auctor Decretalium, qui saeculo equidem octavo scripsit, in Higyno caeleste illud laudat testimonium. Auctor item tractatus contra Arium inter opera S. Athanasii;

Fragmenta concilii Lateranensis IV. Manuel Calecas, omnesque posteriorum saeculorum scriptores vers. 7. cap. 5. ep. I. Johannis tamquam illius genuinum opus in propriis operibus laudant.

Respondet Simonius 1. nullum ex Cypriano desumi posse pro nostra sententia argumentum; quum ad vers. 8. non 7. respexerit, ut testis locupletissimus est Facundus Hermianensis lib. 1. pro defen. trium capitulor. cap. 3. ubi postquam pluribus demonstraverat Spiritum, sanguinem, et aquam Patrem, Filium, ac Spiritum Sanctum significare, inquit: *Quod Johannis Apostoli testimonium B. Cyprianus carthaginensis antistes et martyr, in epistola sive libro, quem de Trinitate* (Unitate) *scripsit, de Patre, Filio, et Spiritu S. dictum intelligit.* 2. Neque confici aliquid potest ex prologo in epist. canon. quum opus sit non S. Hieronymi, sed ignoti nominis auctoris.

Verum parvi momenti sunt haec. Et ad 1. Facundo Hermianensi auctoritatem apponimus S. Fulgentii, qui in respon. ad X. object. Arianor. ita scribit: *In Patre ergo, et Filio, et Spiritu S. unitatem substantiae accipimus, personas confundere non audemus. B. enim Johannes Apostolus testatur dicens: Tres sunt qui testimonium perhibent in caelo, Pater, Filius, et Spiritus S. et hi tres unum sunt; quod etiam beatissimus Cyprianus in epistola de unitate Ecclesiae confitetur dicens .... et iterum de Patre, Filio, et Spiritu Sancto scriptum est: et tres unum sunt.* Porro nonne Fulgentii magis quam Facundi auctoritas facienda est? Equidem tum quoniam antiquior est et sanctior Facundo Fulgentius; tum quoniam ex eadem cum Cypriano erat Ecclesia Africana. Et Facundum deceptum fuisse patet ex Arnaldi superius allata animadversione. In quo tamen excusatione dignus est. Quum enim in codice quo ipse utebatur, nonnisi octavus occurreret versiculus; et aliunde verba illa, *tres unum sunt*, laudata a Cypriano fuisse cognosceret: putavit non ad 7. quem ignorabat, sed ad 8. respexisse versiculum.

Ad 2. Missa quaestione illa: an prologus in epist. canon. sit revera S. Hieronymi? quam erudite PP. Maurini, Johannes Laurentius Berti, aliique versant, in dubium verti nequit quin ejusdem prologi auctor saeculo saltem VII. scripserit; saeculo namque octavo inter reliquas Hieronymi praefationes jam recensebatur: atque idcirco auctor ille antiquissimus est. Affirmat autem ex translatorum incuria versiculum illum 7. suo loco excidisse; quare erat antiquitus in autographo Johannis.

Prob. 3. Particula illa Scripturae tamquam genuinum opus auctoris, cui tribuitur, agnoscenda est, quae sub illius auctoris nomine scripta in codicibus vetustissimis invenitur: Versiculus autem 7. cap. 5. ep. 1. Johannis sub illius nomine scriptus invenitur in vetustissimis codicibus sive graecis, sive latinis. Et quoad codices latinos, eruditissimi Monachi Benedictini adnot. in prol. in ep. canon. affirmant versiculum illum in pluribus reperiri codicibus, et in antiquissimo praesertim Corbejensi. Theologi Lovanienses ex infinito codicum numero, quos ad novam Vulgatae editionem adornandam undique collegerunt, fidem faciunt in quinque dumtaxat ver-

ba illa desiderari. Correctorium Bibliorum, quod in bibliotheca Sorbonica asservatur, duo habet notatu digna: primum ex magno MSS. numero quae correctores consuluerunt, in paucissimis Johannis versiculum desiderari; secundum, haec adnotatio: *Hic corrupti sunt quidam libri Graecorum, ut ait B. Hieronymus, qui hoc capitulum non habent, in quo maxime fides catholica roboratur*. Richardus ipse Simonius fatetur se incidisse in codicem 800. annorum in quo caeleste illud Johannis testimonium legitur. Extabat denique in latinis codicibus, quibus Tertullianus, Cyprianus, Eugenius carthaginensis cum 400. aliis episcopis, et Fulgentius, Vigilius Tapsensis, aliique utebantur. Quoad codices vero graecos, affirmat Amelotius congregationis oratorianae presbyter se laudata verba vidisse in codice Vaticano antiquissimo. Laurentius Valla, Calvinus, et Beza testantur in melioribus reperiri codicibus. Robertus Stephanus sexdecim consuluit optimae notae codices, et in novem ex illis testimonium invenit. Erasmus ipse, qui in duabus prioribus editionibus versiculum e textu eraserat, ex vetustissimo codice Brittanico veterem in tertia editione restituit lectionem. Similia habent auctor correctorii Bibliorum, Grotius, Salmeron, alii; fidem videlicet faciunt caeleste illud testimonium in plerisque graecis codicibus haberi.

Respondent adversarii deesse versiculum illum in duobus antiquis MSS. bibliothecae Burgensis, in codice Vaticano, teste Bombasio; in septem MSS. bibliothecae regiae Parisiorum; in quinque bibliothecae Colbertinae, et in aliis bene multis sive graecis sive latinis, ut affirmat Simonius.

Non inficiamur desiderari comma illud de quo disputamus, in enumeratis codicibus; imo fatemur deesse quoque in codice Alexandrino, et in Barberiniis, quibus correctores Bibliorum usi sunt sub Clemente VIII. Ast contendimus in omnes illos codices, ob amanuensium incuriam et oscitantiam, errorem irrepsisse. Neque id certe difficile est ad suadendum. Quoties enim bis verba eadem repetuntur, nil facilius ut amanuensis, praetermissis intermediis, oculo et manu ad ea excurrat, quae sequuntur. Inde repetit Hieronymus quod in Septuaginta interpretum versione Ierem. cap. 35. desideretur hoc comma: *Quid clamas super contritione tua? Insanabilis est dolor tuus*. Sic enim juxta hebraeos ac latinos integer textus habet: *Omnes amatores tui obliti sunt tui, teque non quaerunt; plaga enim inimici percussi te castigatione crudeli. Propter multitudinem iniquitatis tuae dura facta sunt peccata tua: quid clamas super contritione tua? Insanabilis est dolor tuus, propter multitudinem iniquitatis tuae, et propter dura peccata tua feci haec tibi*. Ubi animadvertis bis illa repeti verba, *propter multitudinem etc.* ex quo factum est, ut librarius ad illa verba eadem, *propter multitudinem etc.* quae secundo repetuntur, oculo excurreret, relictis intermediis, *quid clamas etc.* Aliud ejusdem generis exemplum afferunt Monachi Benedictini adnot. ad Hieron. prolog. in ep. can. Hoc idem factum esse arbitramur in casu nostro. Quum enim versiculi 7. et 8. iisdem incipiant verbis, *Tres sunt, qui testimonium dant*, eisdemque verbis desinant: *Et hi tres unum sunt*,

postquam librarius scripserat: *Tres sunt, qui testimonium dant*, recurrens oculo ad codicem quem escribebat, pro illis verbis, *in caelo*, *Pater*, *Verbum*, *et Spiritus Sanctus*: *et hi tres unum sunt*, incidit in illa alia vers. 8: *Spiritus*, *sanguis*, *et aqua*: *et hi tres unum sunt*, eaque, relictis prioribus, escripsit: sicque ex uno codice in alios error derivavit.

Prob. ultimo thesis ex scopo et contextu illius capitis. Et primo ex scopo: scripsit enim Johannes, ut supra cum Hieronymo animadvertimus, adversus illos qui verbi negabant divinitatem, et illos qui carnis Christi veritatem inficiabantur. Debuit ergo v. 7. priores, vers. autem 8. posteriores haereticos refutare. Ex contextu: nam versiculus 8. incipit a particula, *Et*, quae profecto conjunctionis est nota; adeoque aliud praecedens supponit testimonium. Deinde vers. 9. legitur: *Si testimonium hominum accipimus*, *testimonium Dei majus est*. Sublato autem versiculo septimo, ubi est testimonium Dei?

Reliquae adversariorum conjecturae expelluntur.

Obj. I. Usque ad medium saeculum V. nemo unquam ex Patribus versiculi illius septimi meminit. Post quintum vero saeculum scriptores bene multi ecclesiastici illum omiserunt. Quod argumentum etsi negativum videatur, vim tamen habet argumenti positivi: tum quia ex Patribus nonnulli fuerunt, ut Athanasius, Hilarius, Gregorius Nazianzenus, Leo magnus, et alii qui contra Arianos quum dimicarent, eo testimonio utpote ad Verbi cum Patre consubstantialitatem demonstrandam validissimo uti debebant: tum quoniam aliqui ut Ambrosius, S. P. Augustinus, Cyrillus Alexandrinus cum Arianis disputantes ad vers. 8. illos provocarunt, nulla vers. 7. facta mentione: tum denique quoniam nec illi caeleste agnoverunt testimonium qui ex professo commentaria ediderunt in epist. I. Johannis, ut Oecumenius, et venerabilis Beda. II. S. Hieronymus primus fuit qui in cap. 5. ep. I. Johannis comma illud invexit; ei enim adscribitur prologus in epist. canonicas. Ita post Erasmum hariolatur Socinus. III. Inquit Simonius: hoc modo suam habuit originem versus de quo disputatur. Quum nomine Spiritus, sanguinis, et aquae, quorum commemoratio fit in commate 8. juxta nostram Vulgatam, aliquis intelligeret Patrem, Filium, ac Spiritum Sanctum, interpretationem hanc apposuit ad marginem. Factum est subinde ut incuriosus aliquis amanuensis verba illa, quae legebantur in margine, ad textum pertinere crediderit; ac proinde illa in textum ipsum intruserit. Hujus conjecturae, subdit, argumentum est quod in regia Bibliotheca codex 500. circiter annorum habeatur, in quo e regione versiculi 8. ad marginem legitur: *Idest Spiritus Sanctus*, *Pater* (αὐτὸς ἑαυτοῦ) *ipse sui ipsius*) hoc est, *Filius*, ut divinat Simonius.

Resp. ad I. Falsum est neminem usque ad medium saeculum quintum ejus meminisse versiculi. Constat enim ex dictis laudari a Tertulliano, Cypriano, quibus addi potest Idacius Clarius senior qui floruit sae-

culo quarto, et cui eruditi nonnulli tribuunt verba quae sub Vigilii Tapsensis nomine supra dedimus.

Ad 2. Non diffitemur laudatos omnes in argumento Patres versiculum illum silentio praeteriisse. Contendimus tamen illorum silentium germanitati ejus non derogare: tum quia innumeros alios habemus Patres de testimonio illo loquentes, ut supra dictum est: tum etiam quoniam inciderunt hi Patres in codices ob amanuensium incuriam modo superius exposito deturpatos. Neque dici potest illorum Patrum silentium vim habere argumenti positivi; quum alii sint Patres qui non silent, et caussa de illorum silentio adducatur, ut mox a nobis allata est.

Ad 3. Ne quod nuper dictum est repetam, vel auctor prologi in ep. can. est B. Hieronymus, vel non. Si primum dicas, summae impudentiae est fraudis falsitatisque accusare tantum virum, de cujus sanctitate et doctrina satis in Ecclesia constat. Si autem prologum non esse S. Hieronymi teneas, jam per se ruit argumentum. Potes vero citra piaculum utramlibet amplecti opinionem, quum de prologi illius auctore inter eruditos non constet.

Ad 4. Hoc argumentum frigidas ac levissimas, Simonio familiares, redolet conjecturas, quae fidem penes cordatos viros non inveniunt. Et primo quidem, ipso fatente Simonio, septimus iste versiculus jam a saeculo V. coeperat in Ecclesia obtinere; arbitratur enim primum, qui illius meminerit, fuisse Victorem Vitensem. Quomodo nunc ergo ad codicem provocat 500. annorum? Deinde divinet Simonius si potest, quid verba illa αὐτός ἑαυτοῦ sibi velint. Nam aliud est dicere, *Tres sunt qui testimonium dant in caelo, Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus*; aliud vero, *Idest Spiritus Sanctus, Pater ipse sui ipsius*. Atque hoc modo se habet celebris de illius versiculi germanitate controversia.

CAPUT IV.

Ex traditione quoque Trinitas demonstratur Personarum.

Non eodem modo de Patrum traditione circa divinarum personarum numerum veteres ac recentiores Antitrinitarii philosophantur. Negabant illi praefracte antiquos Patres, eos praesertim qui ante I. Nicaenum concilium floruerunt, nonnullis tantum exceptis, plures in divinis agnovisse personas. Hi e contra concedere videntur; sed insolentissime affirmant sanctos illos viros Platonicorum philosophia deceptos hac in caussa a vero exorbitasse. Unde nostrum erit hoc in capite demonstrare Patrum traditionem pro Trinitate stare divinarum personarum, et quidem breviter; quoniam potiora Patrum dicta dabimus, ubi de Filio ac Spiritu Sancto seorsim pertractabimus. Et I. in aciem prodeat Clemens Romanus qui pontificatum gessit usque ad an. Christi 98. Hic apud Basilium lib. de Spiritu Sancto cap. 29. *Vivit*, inquit, *Deus, et Dominus Jesus Christus, et Spiritus Sanctus*; quibus in verbis etiam Trinitatis confirmat consubstan-

tialitatem; quum eadem vita vivere dicat Patrem, Filium, ac Spiritum Sanctum. Neque reponant Antitrinitarii laudata verba neque in priori neque in posteriori inveniri S. Clementis epistola: primo enim id esset falsitatis arguere magnum Basilium qui verba illa tamquam Clementis commemorat: deinde quum alterius Clementis epistolae non nisi fragmenta quaedam nunc habeamus, pro certo tenendum est ex fragmentis quae interciderunt, verba illa exscripsisse Basilium. II. Justinus martyr in dialogo quem cum Tryphone judaeo circa an. 140 habuit, ita loquitur: *Verum hunc ipsum* (Patrem) *et qui ab eo venit, Filium, et Spiritum Sanctum colimus, et adoramus, cum ratione, et veritate venerantes*. Tres hic commemorantur sub uno cultu adoratae personae, Pater, Filius, ac Spiritus S. III. Eodem saeculo anno nimirum 166 pro christianis scribebat Athenagoras qui in sua apologia ita inquit: *Quis igitur non miretur, cum audiat nos qui Deum Patrem praedicamus, et Deum Filium, et Spiritum S. eorum in unitate virtutem etc. atheos vocari?* Quae Athenagorae sententia non suam dumtaxat, sed universae illius temporis Ecclesiae continet fidem; non enim suo tantum, sed et omnium christianorum nomine apologiam ethnicis exhibebat. IV. Tertullianus secundi et tertii saeculi scriptor, qui anno 220 obiit, in lib. de pudicit. cap. 21. ait: *Est Trinitas unius divinitatis, Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus*. V. Circa annum 234 florebat Hippolytus martyr qui librum suum adversus Noetum sic inscripsit: *De Deo trino, et uno: et de mysterio Incarnationis contra haeresim Noeti*. VI. Notissima est Cypriani aetas: hic porro lib. de unit. Eccl. cap. 4. *De Patre*, inquit, *et Filio, et Spiritu S. scriptum est: Hi tres unum sunt*. VII. Eodem saeculo anno videlicet 265 ad superos rediit Dionysius Alexandrinus qui primus contra Sabellium prolixas scripsit epistolas, quarum exemplaria ad Xystum Rom. Pont. misit, ut ex Eusebio lib. 7. H. E. cap. 6. colligitur. In illis autem haec Dionysius scribit: *Nam de dogmate illo, quod nuper apud Ptolemaidem urbem Pentapoleos commotum est pleno impietatis, ac blasphemiae adversus omnipotentem Deum Patrem Domini nostri Jesu Christi: pleno etiam incredulitatis erga unigenitum ejus filium primogenitum omnis creaturae, Verbum, quod inter homines versatum est: pleno denique stuporis adversus Spiritum Sanctum, cum ab utraque parte, et litterae ad me allatae essent, et fratres mecum disserturi venissent, epistolas quasdam, quantum Deo juvante potui, tractatoris more fusius scripsi, quarum exemplaria ad te misi*. Hic animadverto 1. Dionysium Alexandrinum tres expresse commemorare divinas personas, Patrem, Filium, ac Spiritum Sanctum. 2. Sabellii sententiam dogma ab eo appellari impietatis, blasphemiae, incredulitatis, stuporisque plenum. 3. Dionysii Alexandrini fidem fuisse illo tempore fidem universalis Ecclesiae, quum ex orientalibus contra Dionysium, quod illa in Sabellium scripserit, nemo reclamaverit; ex occidentalibus vero Xystus Rom. Pont. Dionysium tamquam vere catholicum habuerit; et qui Xysto in Romana sede successit, alius Dionysius scriptas ab Alexandrino Dionysio epistolas catho-

licas post institutum examen declaraverit. VIII. Dionysius idem Romanus apud Athanasium lib. de Nic. syn. decret. ita loquitur: *Audio quosdam apud vos esse cathechistas, et doctores divini Verbi, qui illius sunt opinionis auctores, qui e diametro, ut sic dicam, pugnant cum Sabellii placitis. Hic enim blasphemat, Filium ipsum asserens Patrem, et e converso Patrem esse Filium. Ast isti tres quodam modo Deos praedicant, dum sanctam monadem dividunt in tres hypostases peregrinas a se invicem plane separatas. Etenim necesse est uniri omnium Deo Deï Verbum, et in Deo manere et habitare Spiritum Sanctum.* Complures alios tertii saeculi scriptores in medium afferre possem, ut Irenaeum lib. 5. adv. haer. cap. 6. Gregorium Thaumaturgum in Fidei profess. et alios. Quare universalis Ecclesia a Christo ad finem usque tertii saeculi in ea fuit constantissima fide, ut crederet tres in divinis distinctas esse Personas. IX. Superfluum existimo saeculi quarti scriptorum testimonia proferre; quum an. 325. Nicaenum I. celebratum fuerit concilium in quo hoc Trinitatis dogma ad fidem pertinere definitum fuisse Antitrinitarii conqueruntur. X. Fidem Patrum qui posthac floruerunt, ne singulorum dicta recenseam, unius complectar S. P. Augustini verbis qui lib. 1. de Trinit. cap. 4. inquit: *Omnes quos legere potui, qui ante me scripserunt de Trinitate, quae Deus est, divinorum librorum veterum et novorum catholici tractatores, hoc intenderunt secundum Scripturas docere, quod Pater et Filius et Spiritus Sanctus, unius ejusdemque substantiae inseparabili aequalitate divinam insinuent unitatem; ideoque non sint tres dii, sed unus Deus: quamvis Pater Filium genuerit, et ideo Filius non sit qui Pater est: Filiusque a Patre sit genitus, et ideo Pater non sit qui Filius est; Spiritusque Sanctus nec Pater sit, nec Filius, sed tantum Patris et Filii Spiritus, Patri et Filio etiam ipse coaequalis, et ad Trinitatis pertinens unitatem.* Quid reliqui totius orbis ad Servetum usque atque Socinum crediderint, quidque nunc profiteantur, magis notum est quam verbis sit opus exprimere.

Neque vero dicere quis poterit allata hactenus testimonia Patrum demonstrare quidem in quovis saeculo christianos fuisse nonnullos qui plures in divinis agnoverunt personas; non autem dogma illud a singulis admissum fuisse christianis. Nam 1. plerique ex advocatis testibus vel Romani fuere Pontifices, vel Episcopi in generali etiam concilio congregati. Cumque Ecclesia sit in Episcopo, ut Cyprianus inquit; consequitur fidem Trinitatis non particularium scriptorum opinionem, sed universalis Ecclesiae fidem semper fuisse. 2. Nonne ab initio in universali Ecclesia forma adhibita fuit Baptismi, *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus S.?* Nec aliud certe Patris, Filii, ac Spiritus S. nomine Patres intelligebant nisi tres distinctas in divinis personas: et si qui fuerunt qui aliter verba illa interpretarentur, ut Sabelliani, Samosatenses, Photiniani, ceteraeque pestes, illico ab Ecclesia tamquam haeretici fuere damnati. Hinc concilii Nicaeni I. Patres, ut Arium confutarent, ad traditionem, tamquam ad lydium lapidem provocarunt; ut videre est apud Athanasium, Basilium, Hilarium, et alios qui concilii illius historiam concinnarunt.

Multo minus audiendi sunt qui dicunt; si veteres christiani in mysterium credidissent Trinitatis, ethnici a nostris ob deorum pluralitatem redarguti probrum stultitiamque in illos intorsissent: quod factum esse nullibi legimus. Imo e contra christiani a gentilibus appellabantur athei, ut ex veteribus colligitur Apologistis: unde non admittebant illis temporibus tres in divinis personas. Hinc philosophi qui Deum unum esse fatebantur cum christianis disputantes, nullibi mentionem de hoc novo dogmate fecerunt. Qui haec regerunt, inquam, audiendi non sunt. 1. Quoniam etiamsi concederemus, nullibi in gentilium libris aut in apologiis christianorum legi eorumdem ethnicorum adversus christianos, ob fidem Trinitatis, convicia et argumenta: nihil tamen inde concludi contra nostram sententiam posset; quum non omnia tum gentilium adversus christianos, tum christianorum adversus gentiles scripta supersint. 2. Eorumdem ethnicorum silentii alia afferri potest caussa: mos enim erat inter antiquos christianos receptissimus ut altissima Fidei mysteria, ne irrisioni exponerentur, ethnicis non revelarent, memores illorum verborum, *Nolite projicere margaritas ante porcos*. Quare non poterant christiani de propriis reprehendi dogmatibus quae ab ethnicis ignorabantur. 3. Falsum est priscos illos gentiles et philosophos non irrisisse sacratissimum Trinitatis mysterium: Justinus namque in priori sua apologia narrat suorum temporum christianos audiisse apud ethnicos tamquam stultos, quod Christum veluti Dei Filium venerarentur. Praxeas, quem merita confutatione refellit Tertullianus, illud christianis objiciebat quod in divinis personarum admittentes distinctionem, in ethnicismum prolaberentur. Id ipsum effutiebat Celsus contra quem scripsit Origenes. 4. Quod vero christiani athei ab ethnicis quandoque appellarentur, demonstrat dumtaxat in Trinitate personarum agnovisse unitatem naturae; vel ignota illis fuisse nostra arcana mysteria. Ceterum Athenagoras ut atheismi calumniam a religione nostra depelleret, nomine omnium christianorum affirmat nos atheos non esse, quoniam Patrem, Filium, ac Spiritum S. colimus in unitate naturae.

CAPUT V.

An Trinitatis mysterium ratione demonstrari possit; rationique repugnet.

Illud velim animadvertant tyrones, aliud esse rem aliquam vires humanae rationis excedere, et aliud repugnare rationi. Id rationis vires excedit seu supra rationem positum est, cujus nequimus reddere caussas. Sic v. g. quaenam sit partium textura in auro, ut ab adamante differat, res est supra naturam posita, quoniam illius discriminis caussam ignoramus. Illud vero humanae rationi repugnat seu est contra rationem, quod in se contradictionem involvit. Ut si dicam hyrcum cervum, lapidem ligneum, aliudque consimile; est id contra rationem, quoniam repugnat intrinsece ut idem animal hyrcus simul sit et cervus, eademque materia lapis si-

mul et lignum. Ut ad rem de qua loquimur, notionem hanc transferamus, fatendum ingenue est mysterium Trinitatis, uti et quodlibet aliud, humanae rationis excedere vires; quum caussam intrinsecam, prout in se est, assignare non valeamus, cur in Trinitate personarum unica tantum sit divina natura: cumque e contra in humanis, ubi multiplicantur personae, multiplicetur etiam natura. Verum dici non potest esse mysterium illud contrarium rationi; quum nulla in eo repugnantia inveniatur aut contradictio.

Et illud aliud praeterea necesse est animadvertant quod discrimen maximum inter has duas quaestiones intercedit: an dogma aliquod Fidei ratione demonstrari possit; et an Fidei aliquod dogma rationi repugnet. Quidquid enim ratione demonstrari potest, rationi profecto non repugnat. Ast non totum id quod rationi non repugnat, ratione ipsa potest demonstrari. Sic ut aliquod, quod late pateat, assumam exemplum: Christum praesentia sua esse realiter in sacramento Eucharistiae, contradictionem minime involvere potest ratione atque philosophia demonstrari: Ast quis sola ratione duce demonstrare valebit realem in Eucharistia Christi praesentiam? Non enim humana philosophia, sed divina speciali revelatione docemur Christum praesentia sua realiter esse in Eucharistia. Multa hujus generis sunt in sacratissima nostra religione; inter quae recensendum proculdubio venit ineffabile mysterium Trinitatis: nullus siquidem hominum, divina exclusa revelatione et solo naturali lumine illustratus poterit demonstrare unicam dumtaxat dari in divinis naturam, in qua tres distinctae subsistant personae. At non proinde consequens erit mysterium illud rationi humanae repugnare. Atque hoc erit capitis hujus argumentum tum contra Socinianos, tum contra veteres nonnullos theologos, Claudianum videlicet Mamertum qui scripsit saeculo quinto, Petrum Abaelardum, et Raimundum Lullum; contra Socinianos quidem, qui quod naturali rationi impervium sit Trinitatis mysterium, inferre praesumunt eidem rationi apertissime repugnare; contra recensitos vero theologos, quibus quod altissimum hoc mysterium in propatulo esset, illius existentiam absque ulla divina revelatione, ac sola duce ratione evincere gloriabantur. Unde sit

CONCLUSIO I.

Nequit solius rationis ope Trinitatis mysterium demonstrari.

Prob. 1. Scripturis; Isaiae cap. 53. legitur: *Generationem ejus quis enarrabit?* Matth. cap. 11. ita Christus inquit: *Nemo novit Filium, nisi Pater; neque Patrem quis novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare*. Et cap. 16. Petro dicenti: *Tu es Christus filius Dei vivi*, Christus ipse respondit, *Beatus es Simon Bar-Jona: quia caro, et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in caelis est*. Notitia itaque Trinitatis humanae menti impervia est: nec eam acquirere quis potest, nisi per revelationem, ut ex recensitis textibus, et aliis qui afferri possent, luculentissime patet.

Prob. 2. Patribus. Athanasius in ep. I. ad Serap. *O stulti*, inquit, *atque ad omnia audaces, et praecipites! Quare non potius sanctam Trinitatem curiose scrutari desinitis, eamque esse dumtaxat creditis, magistrum Apostolum hac in re imitati, cujus haec sunt verba: Credere enim oportet* etc.? Ambrosius lib. 1. de fide ad Gratian. cap. 10. ait: *Impossibile est generationis Verbi divini scire secretum: mens deficit, vox silet*. Hieronymus lib. 18. in Isaiam: *Non dico de mysterio Trinitatis, cujus recta confessio est ignoratio scientiae*. S. P. Augustinus, ne singulos recenseam, lib. 15. de Trinit. cap. 6. *Quis itaque disputandi modus, quaenam tandem vis intelligendi atque potentia, quae vivacitas rationis, quae acies cogitationis ostendet ... quomodo sit Trinitas*?

Prob. 3. ratione. I. Nulli umquam philosopho, non Platoni, non Socrati, non Aristoteli, aliisque ante Christi adventum in mentem venit mysterium SS. Trinitatis. II. Inter potentiam et objectum sua certe debet esse proportio: Ast quaenam proportio est inter rationem humanam naturalis ordinis, Trinitatisque mysterium ordinis supernaturalis? III. Solis naturae legibus mysterium hoc assequi non valemus: naturae namque leges sunt, prout nobis innotescunt, ut ubi unica est natura, ibi unica sit persona; et e contra, ubi plures sunt personae, multiplex sit natura: item ut Filius a Patre pendeat, eique sit posterior: ac denique, ut cetera mittam, ut formae pro subjectis multiplicentur. Hae autem similesque leges, quum in Trinitate non habeant locum, quomodo sola ratione tam sublime mysterium assequi quis poterit?

COROLLARIUM.

Collige ex dictis nec implicite posse nos sola humana ratione mysterium cognoscere Trinitatis: argumenta quippe paullo ante a nobis allata non explicitam modo, sed et implicitam illius mysterii notitiam a naturali excludunt ratione, ut attendenti fit manifestum. Ceterum si quis, divina supposita revelatione, rationis acumine non modo illustrare, sed et argumentis confirmare ac demonstrare conaretur ineffabile illud mysterium, commendatione plane, non reprehensione dignus foret. Hoc enim veteres plures fecerunt Patres graeci ac latini, et Augustinus praesertim et Anselmus. Et nunc idem argumentum nonnulli catholici philosophi religionis zelo commoti erudite admodum versant.

CONCLUSIO II.

Quamvis Trinitatis mysterium humanam superet intelligentiam, non proinde tamen humanae rationi repugnat.

Prob. 1. Illud humanae rationi non repugnat, quod a Deo revelatum est hominibusque propositum ad credendum: neque enim Deus qui naturam, ut inquit Auctor de divin. nomin. corrumpere nequit, tamquam

credenda proponere potest, quae naturali contraria sunt rationi. Porro Trinitatis mysterium revelatum a Deo fuisse hominibus, iisque propositum ad credendum jam fuse in superioribus demonstravimus.

Prob. 2. Dogma quod ab innumeris, iisque non modo rudibus et plebeis, sed doctissimis ingeniique maximo acumine praeditis hominibus omni aetate admissum est, ac adeo pro certo habitum: ut pro eo persecutiones et exilia pati, et sanguinem ac vitam fundere non dubitaverint, dogma, inquam, ejusmodi quis dixerit rationi repugnare? Tale autem est mysterium Trinitatis, ut omnes optime norunt; Unde vel soli Sociniani ratione praediti sunt, vel divinum hoc mysterium rationi non contradicit.

Prob. 3. Argumenta omnia quae a Socinianis ad suadendum Trinitatis mysterium repugnare rationi afferri solent, demonstrant dumtaxat mysterium illud esse supra rationem, ut nos ultro concedimus: Ast non omne quod rationem superat est contra rationem; alioquin nullum daretur Fidei dogma quod rationi non repugnaret. *Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium*, inquit Apostolus in ep. ad Hebr. cap. 11. Et in I. ad Cor. cap. 2: *Quae Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei*. Et in II. pariter ad Cor. cap. 10: *Arma militiae nostrae non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes, et omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, et in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi*.

Contraria sophismata dissolvuntur.

Obj. 1 cont. 1. thes. Ex creatis rebus potest quis in agnitionem assurgere Trinitatis. Nam res creatae necessariam habent cum Trinitate connexionem, quum Apostolus in ep. ad Rom. cap. 1. dicat: *Invisibilia enim ejus a creatura mundi per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur*: quo testimonio utitur S. P. Augustinus lib. 15. de Trinit. cap. 2. dicens: *Ne me fidelium quispiam frustra et inaniter existimet in creatura prius per quosdam sui generis trinitates quodam modo gradatim, donec ad mentem hominis pervenirem, quaesisse indicia summae illius Trinitatis, quam quaerimus cum Deum quaerimus*. II. Hinc idem Augustinus aliique Patres plures ex creatis rebus Trinitatis assumunt imagines. III. Nec alia sane via Plato in Timaeo, et alibi; Sybillae in oraculis, Trismegistus in Poemandro, Zoroastres in Magicis mysterium agnoverunt Trinitatis, cujus vestigia in laudatis scriptoribus se invenisse testantur veteres Patres; unde illorum, ac Platonis praesertim doctrinam usque ad sidera extollunt. IV. Nec mirum id alicui videri debet: nam antiqui illi philosophi sola duce natura explicite Deum agnoscebant. Qui autem explicite Deum cognoscit, necessario cognoscere debet implicite Trinitatem, quae a parte rei, et revera in Deo est.

Resp. ad 1. Res quaecumque creatae connexionem proculdubio habent cum Deo, sed cum illius omnipotentia, ut existant; non cum personarum

distinctione: atque hoc ratione nostra intelligimus, quoniam optime percipimus existentiam creaturarum, etiamsi unica tantum in divinis existeret persona. Atque hoc sensu inquit Apostolus: *Invisibilia Dei etc.* Habent praeterea res creatae etiam necessariam connexionem cum Trinitate, a qua nec divina natura nec omnipotentia realiter distinguitur. Ast connexio haec non naturaliter, sed supposita fide nobis nota est per rationem. Hinc quum Augustinus, ne frustra quaesisse videatur in creatura indicia Trinitatis, apostolico utitur testimonio, loquitur supposita fide; hoc est, mente divinitus illustrata, ex rebus creatis similitudines mutuatus est ad explicandum quodammodo mysterium Trinitatis.

Ad 2. Trinitatis imagines quas sancti Patres ex creatis rebus assumunt, sunt admodum imperfectae et obscurae, etiam supposita fide. Hinc magnus Augustinus postquam Trinitatem assimilaverat humanae menti cogitanti atque volenti lib. 15. de Trinit. cap. 20. subdit: *Verum ne hanc imaginem ab eadem Trinitate factam ... ita eidem comparet Trinitati, ut omni modo existimet similem; sed potius in qualicumque ista similitudine magnam quoque dissimilitudinem cernat.* Similia repetit, ubi alias affert Trinitatis imagines. Hoc idem non minus aperte scripsit Hilarius lib. I. de Trinit. *Si qua vero nos de natura Dei tractantes comparationum exempla asseremus, nemo ea existimet absolutae in se rationis perfectionem continere: comparatio enim terrenorum ad Deum nulla est.*

Ad 3. Nec Plato neque Sybillae neque Mercurius Trismegistus neque Zoroaster mysterium agnoverunt Trinitatis. Et quoad Platonem spectat, respondent plerique ex theologis vel habuisse prae manibus Moysis Pentateuchum, vel potius ex Judaeorum consuetudine fidei nostrae agnovisse mysteria. Sed responsio haec non satis firma videtur. 1. quoniam non callebat Plato hebraicam linguam, qua sola scriptus ea aetate erat Pentateuchus Moysis; neque enim illorum admitti potest sententia, qui ante Alexandri M. expeditionem aliquam adornatam fuisse volunt Pentateuchi translationem. 2. Etiamsi in Pentateuchum incidisset, aut Judaeorum usus fuisset consuetudine, quomodo arcanum Trinitatis mysterium, quod vel ipsi Judaeorum plebi ignotum erat, ratione assequi potuisset? Verior itaque responsio erit, si dicamus Platonem non tres in divinis, sed innumeras propemodum admisisse personas; venerari enim ipse jubet immensam deorum turbam, quos superstitiosa rudior gentilitas colere consuevit. Meminit quidem aliquando *Verbi* seu λόγου, et *Spiritus*: sed diversos statuit in divinitate gradus; unde nomine *Verbi* Deum inferioris a Patre universorum conditionis et naturae intelligit: nomine vero *Spiritus* non aliud plane intelligit quam animam mundi, quae omnia permeat atque pervadit. Quod vero reliquos gentiles spectat scriptores, brevi dicam illorum opera spuria esse, ac post Christi adventum sub illorum nomine conficta. De scriptis Zoroastro adscriptis fuse pertractat Petavius lib. 1. de Trinit. cap. 2. Et Porphyrius in vita Plotini affirmat ab haereticis Platonicorum doctrina imbutis prodiisse. Quod in Poemandro Mercurii Trismegisti plura verba occurrant Evangelii secundum Johannem, Petavius idem

loco proxime citato, Dupinius, ac Rhemigius Ceillerius jure optimo affirmant opus illud post apostolica tempora fuisse confictum. Inter suppositia scripta oracula sybillina rejiciunt Vossius, Clericus, Blondellus, Oudinus, Possevinus, Alexander, omnesque fere recentiores sive protestantes sive catholici critici. Quare nullum ex his deduci adversus nostram sententiam potest argumentum. Nec illi officit, quod veteres patres Platonis quandoque commendent doctrinam. Nam faciunt id, ut moneant gentiles non esse christiana dogmata respuenda, quum Platonicis scitis sit aliquomodo similis: atque ut demonstrent, pejus de Trinitate sensisse haereticos quam philosophos. Gentiles quippe christianam irridebant religionem, quod repugnantia doceat; heterodoxi autem vel ipsi luci resistunt. Quapropter SS. PP. ut gentilium calumniam depellerent, respondebant Platonem, Platonem quem adeo venerabantur, complura tradidisse quae aliquam habent cum christianorum dogmatibus affinitatem; ut haereticorum vero retunderent pervicaciam, ajebant eum ipsum omni fide destitutum plura quidem absurda tradidisse: sed non adeo horrenda ut illa quae ab illis disseminabantur. Repererunt ne ergo SS. PP. in Platonis operibus mysterium Trinitatis?

Ad 4. Ut implicita quadam ratione Trinitas cognosci possit personarum, satis non est jam agnovisse Deum: sed requiritur praeterea ut, cognito Deo, colligi per argumentationem possit in Deo a parte rei existere Trinitatem personarum. Id vero sine adminiculo revelationis impossibile est, ut demonstravimus.

Obj. 2. adv. alteram prop. Mysterium Trinitatis ad mentem catholicorum, involvit contradictionem. Si enim Trinitas in sensu catholicorum admittatur, Deus erit unus, et non unus; Deus erit unus, ipsis fatentibus catholicis; non erit autem unus, quia volunt esse trinum: en manifesta contradictio. II. Quod sane argumentum non solvitur respondendo Deum esse unum, et non unum sub diverso respectu. Nam admisso catholico systhemate, Deus esset unus, et non unus sub eodem respectu consideratus, ratione videlicet naturae. Nam Deum esse unum in essentia sua catholici non diffitentur; esse vero ratione ejusdem essentiae trinum sequitur apertissime: juxta namque catholicos, Pater est Deus, Filius est Deus, Spiritus Sanctus est Deus; ergo tres sunt Dii, tresque naturae. III. Et revera, si quis dicat: Petrus est homo, Paulus est homo, Johannes est homo; ergo tres sunt homines: nonne illatio vera est ac legitima? Itaque si quis dicat: Pater est Deus, Filius est Deus, Spiritus S. est Deus; ergo tres sunt Dii: optima erit et legitima conclusio. IV. Reponunt quidem catholici, ut argumentum eludant, personalitatem in humanis, ubi omnia finita sunt ac limitata, totam haurire naturam; non sic autem in divinis, quae sunt infinita: sed frustra. Nam licet in divinis natura sit infinita, proindeque exhauriri nequeat a persona finita; poterit nihilominus adaequari et exhauriri a persona infinita quae totam amplectatur infinitam substantiam, sicuti persona finita totam amplectitur finitam naturam. Atque ita si tres sunt personae divinae, tres quoque esse debent divinae naturae. V. Catholici se expedire arbitrantur ab hoc ar-

gumento regerendo quamlibet personam esse infinitam ratione divinae substantiae a qua realiter non distinguitur. Sed incidunt in Scyllam dum volunt vitare Charibdim. Nam si natura et persona non distinguuntur, unica tantum erit persona, sicuti unica est natura. VI. Neque dicant divinas personas nil aliud esse nisi terminos, quos connotat divina natura. Si enim ita est, quum divina natura sit infinita, infinitos utique poterit connotare terminos; atque ita non tres sed infinitae numero erunt divinae personae.

Resp. ad 1. Quamvis in catholicorum sententia dici aliquo modo possit Deum esse unum, et non unum; non proinde systhema illud dici potest contradictorium: quoniam unus erit Deus et non unus sub diverso, non sub eodem respectu. Contradictio enim est unius de eodem affirmatio et negatio sub eodem respectu; ut si dicam, Petrus est homo, et Petrus non est homo: ast si aliquid sub diverso respectu consideretur, affirmatio et negatio non erit profecto contradictoria. Porro dum dico, Deus est unus, et Deus non est unus, sed trinus; τὸ *unus* enuntio de natura, τὸ *trinus* refero ad personas; atque ita nullam admitto contradictionem. Catholici autem hoc, non alio sensu Deum esse unum, et trinum confitentur. Optime S. P. Augustinus lib. de agon. christ. cap. 15. *Nec eos audiamus*, inquit, *qui indignantur, et stomachantur, quia nos tres Deos colendos dicimus. Nesciunt enim, quod sit una eademque substantia, et phantasmatis suis illuduntur, quia solent videre corporaliter vel animalia tria, vel quaecumque corpora tria locis suis esse separata: sic putant intelligendum substantiam Dei; et multum errant, quoniam superbi sunt; et non possunt discere, quia nolunt credere*.

Ad 2. Juxta catholicos, Pater est Deus; hoc est divinam habet naturam cum personalitate Patris: et Filius est Deus; nimirum habet divinam naturam cum personalitate Filii: et demum Spiritus S. est Deus; divinam videlicet habet naturam cum personalitate Spiritus Sancti: non quod singulae personae diversam habeant divinitatem; una quippe dumtaxat est in divinis natura in qua miro quidem, sed ineffabili plane ac verissimo modo tres subsistunt personae, Pater, Filius, et Spiritus Sanctus. Hinc allati in argumento enthimematis, Pater est Deus, Filius est Deus, Spiritus S. est Deus, haec esse debet consecutio: Ergo tres in una divina natura sunt hypostases, seu personae. Audias Ambrosium in lib. de symb. cap. 11. *Ita ergo rectum, et catholicum est; ut et unum Deum, secundum unitatem substantiae fateamur, et Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum in sua quemque subsistentia sentiamus ... Una est igitur in tribus Deitas, et tria sunt, in quibus una Deitas*.

Ad 3. Non sicut de humanis, ita et de divinis loquendum est. In humanis, quoniam finita sunt omnia ac limitata, personalitas totam haurit naturam: atque idcirco multiplicatis personis, multiplicatur etiam natura; unde allati in argumento enthimematis consecutio illa: ergo tres sunt homines, vera est et legitima. Ast in divinis quum natura infinita sit ac illimitata, ab una nequit hypostasi exhauriri, nec ipsa multiplicatur

multiplicatis personis; proindeque falsa est illatio illa: ergo tres sunt Dii. Absolverat jam argumentum Augustinus lib. 10. de civ. Dei cap. 24. dicens: *Nos itaque ita non dicimus duo, vel tria principia, cum de Deo loquimur, sicut nec duos deos vel tres nobis licitum est dicere: quamvis de unoquoque loquentes, vel de Patre, vel de Filio, vel de Spiritu Sancto, etiam singulum quemque Deum esse fateamur.*

Ad 4. Argumentum istud in falso, ut inquiunt, laborat supposito: supponit nimirum inter naturam divinam, atque personas distinctionem dari realem; quod absurdissimum est: quum in divinis natura a personis nonnisi secundum connotata distinguatur. Itaque quaelibet persona divina est infinita, quatenus a divina natura quae in se est infinita, reapse non distinguitur. Cumque singulae personae idem sint realiter cum divina natura: sequitur essentiam divinam, Patrem, Filium, ac Spiritum S. unica tantum pollere infinitate; proindeque nec persona divina naturam exhaurire potest infinitam, nec plura dantur infinita, ut ex nostra sententia inferre contendunt adversarii. Legite S. P. Augustinum lib. 6. de Trinit. cap. 10. ubi haec prae ceteris habet: *In illa summa Trinitate tantum est una* (persona) *quantum tres simul, nec plus aliquid sunt duae quam una. Et in se infinita sunt. Ita et singula sunt in singulis, et omnia in singulis, et singula in omnibus, et omnia in omnibus, et unum omnia.*

Ad 5. dico, naturam et personam in divinis non distingui, uti ajebam, realiter; distingui tamen *connotative*. Cumque termini quos divina natura connotat, ad se invicem referantur, et unus sit incommunicabilis alteri, non possunt aut cum natura, aut invicem simul confundi. Et ut clarius dicam. Deus unicam habet infinitam naturam quae tres divinas connotat relativas proprietates, quarum quaelibet est incommunicabilis alteri: atque ita natura connotative distinguitur a personis, hae autem distinguuntur a se invicem realiter.

Ad 6. Quamvis infinita sit divina natura, non infinitos tamen connotare potest terminos: quoniam hi non extra, sed intra ipsam divinam sunt substantiam; quatenus scilicet se se illis communicat. Ast nequit essentia divina alteri communicari nisi per generationem, et processionem: divinae autem generationis unicus dumtaxat est terminus; alioquin unus Filius paternam non adaequaret generationem: processio vero Spiritus S. fit per mutuam Patris ac Filii dilectionem quae non multiplex, sed unica est; quoniam eadem est in Patre ac Filio, juxta illud Christi Domini: *Omnia, quae habet Pater mea sunt*. Ast unius dilectionis unus terminus est, quia dilectio illa est infinita; unde non infinitae numero, sed tres dumtaxat sunt divinae personae.

Obj. 3. cont. eamd. thes. Plura ex dogmate Trinitatis consequuntur absurda. I. Sequitur unam personam esse aliam, et vicissim, hoc syllogismo: Pater est Deus, Filius est Deus; ergo Filius est Pater. Idem dicas de Spiritu S. respectu Patris, et Filii, et vicissim. II. Nulla ex tribus illis personis Deus erit, hoc alio argumento: Filius est Deus, Pater non est Filius; unde non est Deus. III. Quaelibet persona trina dicenda erit in

personis, hoc modo: Deus est unus in natura, et trinus in personis; Pater est Deus; hinc est unus in natura, et trinus in personis. Eodem modo de Filio discurrendum est, ac de Spiritu Sancto.

Resp. nullum ex catholico systhemate sequi absurdum. Atque ad 1. dico 1. Si regulae logices quibus Sociniani tantopere student, spectentur, syllogismus ille vitiosissimus est. Juxta Logicos enim consecutio ex duabus particularibus praemissis deducta falsa est ac illegitima, ut si quis diceret: Petrus est homo, Paulus est homo; ergo Petrus est Paulus. 2. Quando catholici dicunt: Pater est Deus, Dei nomine naturam intelligunt divinam non cum omnibus existendi modis, sed modificatam a Paternitate. Et quando dicunt: Filius est Deus, vo' Deus divinam significat naturam modificatam a filiatione: ac proinde filius non est idem cum Patre; qui et ipse Deus est, quatenus divinam habet naturam a Paternitate modificatam.

Ad 2. Prima propositio alterius syllogismi hoc modo intelligenda est: Filius est Deus; nempe est divina substantia cum uno existendi modo, scilicet cum filiatione, non cum omnibus modis existendi; unde ex syllogismo sic explicato haec sequitur illatio: Ergo Pater non est Deus, prout Deus significat divinam naturam habentem filiationem.

Ad 3. Deus est unus ac trinus, si Dei nomen sumatur non *connotative* ad unum vel alium terminum, sed absolute et adaequate. Hinc Pater est Deus, divina scilicet natura unicum tantum, non omnes connotans terminos seu existendi modos. Atque ita allata evanescit captiuncula.

Insistunt: Quae hactenus allatae sunt responsiones repugnant ei noto principio, *Quae sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*. Nam Pater, Filius, ac Spiritus S. quum non distinguantur realiter ab essentia divina, idem illa sunt: atque adeo sunt idem etiam inter se. Hinc Filius est idem ac Pater et vicissim: Spiritus S. est idem ac Pater et Filius et vicissim. Aut e contra; si non sunt idem inter se, non erunt idem cum essentia divina: nimirum si Filius non est Pater, nec Pater Filius etc. nulla persona Deus erit.

Resp. 1. Quamvis allatae responsiones ei vulgato axiomati, *Quae sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*, repugnarent: non proinde tamen minus verae essent; quum arcana Fidei mysteria philosophicis non debeant dimetiri principiis. Etiam illud, *Ex nihilo nihil fit*, in philosophicis scholis tamquam vulgare axioma recipitur; nec inde tamen inferre licet mundum non fuisse a Deo e nihilo eductum. Ejusdem modi ergo philosophica principia locum habent dumtaxat in creatis et humanis, non in divinis. Hinc S. P. Augustinus lib. 15. de Trinit. cap. 27. docens quid agendum sit iis qui haec non intelligunt, inquit: *Verum si ... ad videnda ista quam vera sint ... minus idonei sunt: cur non de illa summa Trinitate, quae Deus est, credunt potius quod in sacris litteris invenitur, quam poscunt liquidissimam reddi sibi rationem, quae ab humana mente tarda scilicet infirmaque non capitur? Et certe cum inconcusse crediderint Scripturis sanctis tamquam veracissimis testibus, agant orando et quaerendo et bene vivendo ut intelligant, id est, ut quantum videri potest, videatur mente quod tenetur fide.*

2. Allatum in argumento principium si recte intelligatur, traditis superius responsionibus non repugnat. Nam quoties plura idem sunt cum essentia, sed aliquem terminum necessario connotant, principium illud falsum est etiam in creatis: ex. g. actio et passio idem realiter sunt cum motu; an ne vero idem sunt etiam inter se, si ratione accipiantur terminorum? Minime; quoniam actio connotat agentem, passio autem patientem. Idem ubi sermo fit de divinis dicendum est. Paternitas scilicet, filiatio, ac spiratio passiva si in recto considerentur et absolute, idem sunt cum divina essentia: ast si sumantur in obliquo et connotative; quum ordinem ad terminum diversum et relativum dicant, non sunt idem inter se. Complura hujus generis sophismata urgere solent Sociniani, quae partim solutionem habent ex paucis his quae attigimus, partim contrita vide apud Petavium, Witasse, Juenin, Berti, aliosque. Hactenus de divinarum personarum distinctione: Nunc de earumdem personarum consubstantialitate breviter erit disserendum.

INSTITUTIONUM THEOLOGICARUM

LIBER XVII.

PERTRACTATUR DE SANCTISSIMÆ TRINITATIS CONSUBSTANTIALITATE.

Perditissimi homines qui totius simul Trinitatis substulerunt consubstantialitatem multi extiterunt olim. Tales quippe fuerunt Manichaei qui apud S. P. Augustinum lib. 20. cont. Faust. cap. 2. Patrem quidem lucem summam ac principalem, quam Paulus alias inaccessibilem vocat, incolere arbitrabantur: Filium vero in hac secunda ac visibili luce consistere, qui cum ab Apostolo dicatur Dei virtus et Dei sapientia, virtutem quidem ejus in sole, sapientiam vero in luna habitare credebant: Spiritus Sancti denique aeris hunc omnem ambitum sedem esse ac diversorium profitebantur. Tales fuerunt nonnulli ignoti nominis apud Dionysium Alexandrinum ep. cont. Sabell. et Athanasium in lib. de decret. Nic. syn. tres quodammodo deos praedicantes, et in tres peregrinas hypostases sanctam monadem dividentes: Donatus celeberrimi africani schismatis auctor, de quo Augustinus lib. de haer. cap. 69. scribit, *minorem Patre Filium, et minorem Filio putasse Spiritum Sanctum*: Anonymi alii apud eumd. Augustinum ibid. cap. 74. asserentes Deum ita triformem esse ut pars quaedam ejus sit Pater, quaedam Filius, quaedam Spiritus Sanctus: Metangismonitae, sic nuncupati apud S. Patrem ibid. cap. 58. quod delirarent sic esse in Patre Filium, quomodo vas in vase: Apollinarius, Gregorio Nazianzeno teste in ep. ad I. ad Cledonium, Trinitatem componens ex magno, majori, et maximo: Tritheitae, quorum antesignanus fuit Johannes Philoponus, dolentes Trinitatem tres numero continere substantias per omnia secundum Deitatem similes: Roscelinus qui, ut narrat Anselmus de Incarn. cap. 1. tres divinas personas, sicut tres angelos esse effutiebat: ac denique, ut syllabum adeo longum conficiam Abbas Joachim, de quo in concilio Lateranensi IV. sub Innocentio III. actum est: hi omnes, inquam, totius simul Trinitatis consubstantialitatem denegarunt, et non minus Filio, ac Spiritui Sancto quam Patri divinitatem surripuerunt. Affirmare enim Patrem, Filium, et Spiritum S. tres esse divinitatis veluti distinctas partes quae totum quoddam, ipsam videlicet Divinitatem componant, quid porro est nisi negare etiam Patrem esse ex sese Deum? Sed quoniam de aeterni Patris dubitare Divinitate nimis stultum est; quum Scripturae undique clament Patrem verum esse Deum; nobis unum esse Patrem Deum, ex quo omnia; et gratiam et pacem in nos descendere a Deo Patre per Filium, atque his similia bene multa, non est cur in demonstranda vera Patris divinitate tempus terere debeamus: totumque studium nostrum ponemus in eo ut sartam tectam servemus fidem de vera divinitate, primo Filii, tum Spiritus Sancti, atque adeo de horum cum Patre, quem verum esse Deum supponimus, consubstantialitate: quod, Deo favente, hoc in libro praestabimus.

CAPUT I.

An Verbum divinum praeextiterit Incarnationi.

Innumeri propemodum impiissimi extitere homines qui Dei Patris admissa divinitate, illa expoliare conati sunt Filium qui et Patris Verbum in Scripturis appellatur. Quae pestilentissima haeresis vel ab Apo-

stolorum tempore inter homines serpere coepit. Simon enim ille magus nuncupatus, qui ab Ecclesia quod emere pecunia vellet Spiritum Sanctum ejectus est, non dubitavit inter cetera suorum errorum porteuta, tradere Verbum e *Bythi* prodiisse silentio, Deoque inferius esse, nec aeternum. Ejusdem blasphemiae haeredes fuere subinde Cerinthus, et Ebion, adversus quos Evangelium scripsisse suum S. Johannem testantur Hieronymus de Script. eccl. cap. 9. et S. P. Augustinus lib. de haeres. cap. 10. et Carpocrates dux Gnosticorum praecipuus, de quo plura Irenaeus et Augustinus. Hos excipiunt Valentinus, Theodotus Coriarius, et Theodotus alter Argentarius, Artemon, Beryllus Bostrensis, Paulus Samosatenus, Sabellius aliique flagitiosissimi homines qui omnes uno putidissimo ore docebant, aut Verbum inferioris esse a Patre conditionis; aut divinas confundentes personas Verbum ad merae creaturae sortem deprimebant. Sed qui contra divini Verbi divinitatem insolenter magis debaccati sunt, proculdubio fuerunt Ariani, quorum errores, ac illorum qui eos secuti sunt, deinceps paullo fusius suo loco describemus. Ut viam ergo gravioribus sternamus controversiis, hoc in capite contra veteres novosque Ebionitas demonstrandum aggredimur Verbum aeterni Patris ante temporalem sui conceptionem extitisse; unde sit

CONCLUSIO.

Verbum Patris in propria substantia extitit ante Incarnationem.

Prob. 1. ex Verbi descensu in terram, ut humanam carnem assumeret. Johannis cap. 6. v. 38. sic Christus de se ipso loquitur: *Descendi de caelo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me*. Ibid. v. 63. *Si ergo videritis filium hominis ascendentem ubi erat prius*. Cap. autem 16. v. 28: *Exivi a Patre, et veni in mundum: iterum relinquo mundum, et vado ad Patrem*. Hujus generis innumera sunt in novo Testamento: quae rem nostram plane conficiunt. Nam qui descendit de caelo, et missus a Patre venit in mundum, antequam in mundum descenderet, jam extra mundum, in caelo, apud Patrem existebat. Cumque haec omnia de se dicat Christus, quis non videt ante assumptam in utero Virginis humanitatem in propria substantia extitisse?

Multa ut hoc eludant argumentum, sibi Sociniani fingunt. I. Christum in Evangelio eo sensu dici fuisse in caelo antequam veniret illucque rediret, quod fuerit homo plane divinus atque caelestis, et tum sanctitate vitae, tum originis ratione vere singularis: unde metaphorice verba illa sumenda esse contendunt. II. Et revera Jacobus in sua ep. cap. 1. v. 17. *Omne datum optimum*, inquit, *et omne donum perfectum desursum est descendens a Patre luminum*. Et in Apoc. cap. 21. v. 2. ait Johannes: *Vidi sanctam civitatem Jerusalem novam descendentem de caelo a Deo*. Descensus hic de caelo profecto sumitur metaphorice; cur non et descensus ille Christi? III. Neque argumenti vim eludunt Catholici dicentes descen-

sum de caelo proprietatem esse personalem, quae de Christo qui persona est, etiam per Socinianos, enuntiatur. Nam assignari utique potest ratio, cur proprietas illa personalis, etsi praedicetur de Christo qui persona est, debeat nihilominus accipi in sensu metaphorico: quoniam videlicet quum solius Dei virtute in utero intactae Virginis humanitas illa praeter naturae leges formata fuerit, dici aliquo sensu potest de caelo descendisse. IV. Quod si expositio haec non arrideat, dicamus Christum in Evangelio dici ascendisse in caelum ac inde descendisse, quoniam ante suae praedicationis exordium raptus est, ad instar Pauli, a Deo in caelum ut imbueretur rerum caelestium uberrima cognitione. V. Neque de raptu illo dubium ingerere debet sacrorum Scriptorum silentium: quando enim raptus ille accidit, non habebat Christus discipulos a quibus referri celebre factum posset in litteras. VI. Atque conveniens erat, ut Legifer noster antequam spargere inciperet Evangelium, a Deo raperetur in caelum, quum Moyses qui illius figura fuit, antequam legem daret Israelitis jussu Dei ascenderit in montem. VII. Quod nisi hoc admittamus, Christo Domino sane major erit Paulus qui raptus est usque ad tertium caelum, ut audiret arcana verba quae non licet homini loqui.

Sed omnia haec mera figmenta Socinianorum sunt. Atque ad 1. Christus eodem modo se de caelo descendisse affirmat, quomodo in caelum rediturus erat: Ast rediturus erat in caelum, ut revera rediit, non mystice ac metaphorice, sed in propria substantia. Deinde haec audientes Judaei scandalizati sunt, credentes de vero ac proprio e caelis descensu Christum fuisse locutum; unde apud Johan. cap. 6. inquiebant: *Nonne hic est filius Joseph, cujus nos novimus patrem et matrem? Quomodo ergo dicit hic: quia de caelo descendi?* Nec Christus umquam Judaeorum correxit intelligentiam: imo vero magis illam confirmavit repetens de caelo se reapse venisse, et verum esse Deum, ut Deus verus est Pater; unde ibidem inquit: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum: et ego resuscitabo eum in novissimo die*. Et rursus: *Qui credit in me habet vitam aeternam*. Quare Christus ut humanam sumeret carnem, de caelis proprie descendit; proindeque ante Incarnationem ibi existebat.

Ad 2. Comparatio inter descensum caelestium donorum, et civitatis Jerusalem de caelo cum descensu de caelo Christi Domini, ad rem de qua loquimur, nullimode facit. Quoties namque de rebus quae personae non sunt, descendere, sedere, mitti, ambulare, stare, aliaeque enuntiantur personales proprietates, loquutio impropria est ac metaphorica; neque dum metaphorice loquutio illa accipitur, error ei subesse potest, quum metaphora usitatissima sit. At dum personales proprietates alicui personae tribuuntur, cur loquutio metaphorice sit accipienda caussa nulla est: quin e contra si ita accipiatur, erroris periculum erit manifestissimum, innumeraeque in sermonem invehentur ambages ac fraudes. Jam vero e caelis in terram descendere proprietas est personalis: Is de quo proprietas haec praedicatur, est Christus, quem personam esse concedunt adversarii; Cur itaque descensus ille accipiendus est metaphorice?

Ad 3. Quod Christus formatus solius Dei virtute fuerit in utero intactae Virginis, dici non potest descendisse de caelo nisi prius in caelo fuisset. Adam quippe quum absque matre totus e manibus Dei prodierit, quiddam amplius conceptione Christi habuit; et nihilominus dici hac de caussa non potest e caelo descendisse: quinimmo de illo dicitur, *Primus homo de terra terrenus*; dum Christus, *secundus homo de caelo caelestis* appellatur. Neque ex quo fuerit praeter naturae leges conceptus, dici potest descendisse de caelo: quum Johannes quoque Baptista praeter naturae leges genitus fuerit; nec proinde de illo legitur descendisse de caelo, sed cap. 3. de se loquens inquit, *Qui est de terra, de terra est, et de terra loquitur*: ad Christum autem sermonem convertens, e vestigio subdit, *Qui de caelo venit, super omnes est*.

Ad 4. Haec effutiendo, jocari non argumentari videntur Sociniani. Undenam, quaeso, tam bellam hauserunt historiolam? Verisimile ne est raptum adeo mirabilem cui tota nostra niteretur religio, voluisse Evangelistas silentio praeterire? Imo vero in sacris Scripturis contrarium prorsus narratur. Si namque res ita se haberet, ut Sociniani delirant, bis saltem Christus ascendisset in caelum; quum tamen aperte dicatur ascendisse in caelum, et in Sancta *semel*, juxta Apostolum in ep. ad Hebr. cap. 9, ubi ait: *Christus autem assistens Pontifex futurorum bonorum .... per proprium sanguinem introivit semel in Sancta*, in caelum videlicet; cum subdat continuo, *Non in manufacta Sancta Jesus introivit, exemplaria verorum; sed in ipsum caelum*. Abeant ergo Sociniani cum somniis suis.

Ad 5. Nullum habebat discipulum Christus quando conceptus est de Spiritu Sancto: quando natus est in Bethlehem: quando in Ægyptum se recepit, aut disputavit in Templo, aliaque gessit complura; et nihilominus omnia haec Evangelistae et Apostoli narrant atque describunt.

Ad 6. Moyses in multis quidem fuit figura Christi; et praesertim in hoc quod et ille legislator populi fuerit et mediator: sed non in omnibus et singulis gestis suis; alioquin dicendum foret, et Christum naufragio fuisse expositum: et in alicujus regis aula educatum: et pastorem extitisse ovium etc. Quis haec deglutiat?

Ad 7. De Christo dicitur: *Nemo ascendit in caelum, nisi qui descendit de caelo etc.* quod nullibi de Paulo legitur; non fuit ergo major Christo Paulus. Deinde ideo credimus raptum Paulum usque in caelum fuisse, quoniam id de illo narrant Scripturae: Hoc idem negamus accidisse Christo, quoniam Scripturae ubique silent.

Prob. 2. Johannis cap. 1. haec leguntur: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum etc. Et verbum caro factum est*. Quae sententia hoc suppeditat argumentum. Verbum de quo loquitur Johannes, est divina persona a Patre distincta: Nam de illo dicitur quod omnia condiderit, *Omnia per ipsum facta sunt*: quod humanam carnem assumpserit, *Et Verbum caro factum est*: quod unigenitus sit Patris, *Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre*. Qui autem mundum condidit, humanam

carnem assumpsit, et est unigenitus Patris; nonne est divina persona a Patre distincta? Jam vero Verbum de quo loquitur Johannes, antequam caro fieret, jam existebat: quoniam jam *erat*, et quidem, *erat in principio*; τὸ autem, *erat*, et τὸ *in principio* significant illud semper fuisse, et quidem ab aeterno: unde Ambrosius lib. 1. de fide ad Grat. cap. 5. scribit, *Erat apud Deum*, *erat erat erat*. *Ecce quater erat*. *Ubi impius invenit*, *quod non erat?* Et Chrysostomus hom. 7. in Johan, *In principio erat*: *ante omnia intelligibilia*, *et ante saecula ipsum intellige*; Ante Incarnationem ergo existebat. Rursus, *Omnia per Verbum facta sunt*: quare non modo antequam esset humanitas quam assumpsit, sed et antequam quidquam fieret, jam existebat. Demum, *Verbum caro factum est*; unde antequam fieret caro, jam extabat.

Incredibile est quantum hoc argumento Sociniani premantur: atque idcirco ut illius elevent vim, omnem impendunt conatum. Inquiunt autem I. Haec est genuina capitis 1. Johan. expositio: *In principio* praedicationis Evangelii, Christus qui metaphorice Dei *Verbum*, quod divinae voluntatis interpres esset, nuncupatur, *erat apud Deum;* soli nempe Deo notus. *Et Deus erat Verbum*, non equidem natura sed gratia. *Omnia per ipsum facta sunt*; quae scilicet ad novam seu spiritualem spectant creaturam. *Et sine ipso factum est nihil*; ex iis videlicet quae in christiana religione habentur: quoniam novus ac spiritualis mundus per ipsum factus est. Et quamvis Christus seu *Verbum* tam sublimis excellentisque esset conditionis, tamen *caro factus est*; hoc est fuit homo infirmus. Ex capite itaque illo non eruitur Verbum Patris extitisse ante Incarnationem. II. Vocem illam, *In principio*, apud Johannem significare *in exordio* Evangelii, patet ex phrasi S. Scripturae: cujus mos est ut quoties dicitur, *in principio*, principium rei de qua sermo est, intelligatur; ut Johan. cap. 15. v. 27, *Et vos testimonium perhibebitis*, *quia ab initio mecum estis:* quare τὸ *in principio* in cap. 1. Johan. ad initium referri debet Evangelii de quo sermo instituitur; ut ex v. 16. constat, *Fuit homo missus a Deo*, idest Baptista a cujus praedicatione Evangelium suum duxit exordium. III. Praeterea *Verbi Dei* nomine Christum venire, prout est interpres divinae voluntatis, colligitur aperte ex cap. 4. Exod. v. 16. ubi dum Aaron dicitur *os Moysis*, intelligitur fuisse Moysis interpres. IV. Locutio illa, *Et Verbum erat apud Deum*, significat Christum soli Deo fuisse cognitum; quemadmodum dum inquit Lucas cap. 11. v. 52: *Christus proficiebat sapientia*, *et aetate*, *et gratia apud Deum*, *et homines*, innuere vult magis ac magis in dies illum innotuisse. V. Etiamsi Verbum ante Incarnationem non extiterit, de illo tamen utique dici potest, *Et Verbum caro factum est*; quemadmodum licet Adam ante sui formationem non extaret, de eo tamen Gen. cap. 2. v. 7. scriptum est, *Et factus est Adam in animam viventem*. Accedit iis, quod si Verbum antequam caro fieret, extitisset: quando factum est caro, desiisset esse quod erat; quum nihil fieri possit quin in aliam transeat substantiam; velut aqua facta in Cana Galilaee vinum, desiit esse aqua. Neque repo-

nere juvat Verbum factum fuisse carnem accessione humanae naturae: quoniam id etiam quod eo modo fit, alicui obnoxium est mutationi: quae in Deo locum non habet; praesertim cum in cap. 1. Johan. non dicatur, Verbum assumpsit carnem aut Verbo accessit humanitas, sed *Verbum caro factum est*: quod unius naturae in aliam significat conversionem.

Resp. ad 1. Allata verborum Johannis interpretatio Evangelistae scopo directe opponitur: is enim Evangelium scripsit tum contra Ebionitas (ut Hieronymus in lib. de Script. eccl. affirmat) Christum esse purum putumque hominem blasphemantes; tum adversus Nicolaitas et Gnosticos (ut testis est Irenaeus lib. 2. adv. haer. cap. 11.) diversos cum Platone admittentes in divinitate gradus. Propterea contra Ebionitas demonstrandum sibi proponit Christum Deum simul et hominem esse; hoc fere argumento. Qui caro factus est, nullo modo a Verbo distinguitur, quia *Verbum caro factum est*: et *erat apud Deum*: et *per ipsum omnia facta sunt*: et *sine ipso factum est nihil*, et reliqua; unde Christus non purus homo, sed homo simul et Deus est. Adversus autem Gnosticos probandum suscepit diversos non dari in divinitate gradus; hoc fere modo: Deus, Verbum, Vita, Salvator, Unigenitus nullimode inter se ratione naturae distinguuntur, ut vos Gnostici deliratis: Nam *in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum:* En Verbum a Deo ratione naturae minime distinctum. *In ipso vita erat;* proindeque Deus, Verbum, et Vita eamdem habent essentiam. *Et vita erat lux hominum*: et, *erat lux vera, quae illuminat omnem hominem*; unde vita, et lux mundi, seu Salvator non sunt duo divinitatis gradus. Idipsum denique Verbum, quod est Deus, Vita, Salvator, *caro factum est, et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre:* atque idcirco unigenitus Patris, ac Verbum ejus, Vita, Salvator. Quare Socinianorum expositio repugnat scopo Evangelistae. 2. Sed falsa quoque est et inepta; quum singulis verbis vim inferat quam maximam, illorumque detorqueat significationem. Quod singula expendendo verba brevissime demonstro. τὸ *In principio* nequit evangelicae praedicationis exordium denotare, ut Sociniani delirant; alioquin sensus esset. In principio suae praedicationis Christus existebat; quod ridiculum est non secus ac si quis diceret: in principio belli mithridatici Mithridates existebat; quasi vero potuerit Christus non existens praedicare: sed τὸ *In principio* naturam suam, vel aeternitatem, vel mundi exordia significat. Æternitatem quidem, ut apud Isaiam cap. 43. v. 13, *Ab initio ego ipse*; hoc est ab aeterno, Et apud Michaeam cap. 5. v. 2, *Egressus ejus ab initio*; scilicet ut praefatus propheta explicat, *a diebus aeternitatis*: mundi autem exordia, quomodo legitur cap. 1. Genes, *In principio creavit Deus caelum, et terram*, Et Johan. cap. 8. de diabolo, *Ille homicida erat ab initio*, Et in ep. 1. cap. 3. v. 8. ejusd. Johan:, *Ab initio diabolus peccat*. Aberrant igitur a vero statim in primae vocis interpretatione. Errant etiam in eo quod Verbi nomen pro interprete divinae voluntatis metaphorice accipiant. Nam si res ita se haberet, Prophetae quoque et Apostoli Dei Verbum singuli dici possent; quum

divinam interpretati sint voluntatem. Verbum itaque apud Johannem alteram Trinitatis personam, scilicet Christum, vere proprieque significat, juxta illud ejusdem Johannis Apocal. cap. 19. v. 13, *Vocatur nomen ejus*, (Agni seu Christi) *Verbum Dei*. Praeterea non minus ridiculum est quod continuo addunt; nempe, *esse apud Deum*, significare cognitum esse soli Deo. Afferant si possunt, vel unicum hujus rei, sive a sacris sive ab exoticis scriptoribus mutuatum exemplum. Sed rem Johannes ipse declarat dicens: *Et Deus erat Verbum*. Nec audiendi sunt dum reponunt Verbum dici Deum, non natura sed gratia: tribuitur namque Verbo infinita creandi virtus, *omnia per ipsum facta sunt*, quae nonnisi Deo natura competere potest. Quod si addant, verba illa, *omnia per ipsum facta sunt*, ad sola spiritualia quae ad novam pertinent creaturam, esse restringenda; falsitatis aperte revincuntur: tum quod vox, *omnia*, spiritualia non modo, sed et corporalia comprehendat: tum ex iis quae immediate sequuntur, *et sine ipso factum est nihil*. Quod postremo loco inquiunt, comma illud, *Et Verbum caro factum est*, reddendum esse, *et Verbum*, seu *Christus*, *fuit homo infirmus*, quoniam in graeco textu Verbum habetur ἐγένετο, quod proprie significat, *fuit*, nullius ponderis est. Nam optimam esse nostrae Vulgatae lectionem concedunt etiam adversarii in lectione versiculi capitis ejusdem 3. πάντα δι' αὐτοῦ ἐγένετο, *Omnia per ipsum facta sunt*: nec non versiculi 10. Καὶ ὁ Κόσμος δι' αὐτοῦ ἐγένετο, *et mundus per ipsum factus est*; et tamen utrobique occurrit ἐγένετο: cur ergo versu 14. idipsum ἐγένετο aliter transferendum est? Do tamen τὸ ἐγένετο aliquando idem sonare ac *fuit*: sed tum cum τὸ ἐγένετο conjunctum habet participium temporis praeteriti; ut in versu 6. ubi cum τῷ ἐγένετο conjungitur ἀπεσταλμένος, missus; juxta regulam quam Valla et Erasmus observarunt. Nihil ergo in Sociniana capitis hujus interpretatione est quod violentum non sit, ac praeter nativam nominum verborumque significationem. 3. Quod etsi concederemus Evangelistae mentem fuisse novam describere creaturam, numquid proinde aliquid contra catholicam fidem sequeretur? Quid denique in Socinianorum sententia sibi vult Johannes? Verbum videlicet esse novae creationis auctorem. Ita sit. Atqui Verbum novae creationis a Deo rerum omnium creatore nullo modo distinguitur: *Omnia*, inquit Evangelista, *per ipsum facta sunt*; et nihil excipit qui dicit omnia. Unde M. Augustinus tractatu 1. in Johannem ad illa verba, *omnia per ipsum facta sunt*, *et sine ipso factum est nihil*, inquit: *Universa enim creatura per ipsum facta est*, *major*, *minor*: *per ipsum facta sunt supera*, *infera*: *spiritalis*, *corporalis*, *per ipsum facta sunt*. *Nulla enim forma*, *nulla compages*, *nulla concordia partium*, *nulla qualiscumque substantia*, *quae potest habere pondus*, *numerum*, *mensuram*, *nisi per illud Verbum est et ab illo Verbo creatore*. Quare quum rerum omnium auctor sit proculdubio Deus, quis non videt novae creationis auctorem esse Deum? Admissa itaque allata Socinianorum expositione, quae tamen falsa est, Verbum Patris extitit ante illius Incarnationem.

Ad 2. Ut genuinam vocis hujus, *In principio*, habeamus significa-

tionem, sequens adhibenda est regula. Si vox illa posita sit simpliciter et absolute, vel adnexa reperiatur cum verbo *sum es est*, tunc profecto significat aeternitatem. Vide exempla superius a nobis allata. Si autem nectatur verbis aut nominibus significantibus tempus, tunc denotat tempus: et tempus illud quidem quod a nominibus aut verbis adnexis determinatur. Jam vero Johan. cap. 15. v. 27. ** *ab initio* tale denotat determinatum tempus; quoniam commati illi, *et vos testimonium perhibebitis*, adnexum est. In cap. vero ejusdem Evangelii 1. significat aeternitatem, quoniam vox illa, *In principio*, jungitur verbo, *erat*. Deinde licet praedicatio Evangelii initium a Johannis acceperit baptismate, ** *In principio* nihilominus non ad baptisma Johannis, sed ad Verbi refertur existentiam. Non enim dicitur, *In principio fuit homo missus a Deo*: sed, *In principio erat Verbum*.

Ad 3. Falsum est Verbi Dei nomine interpretem venire divinae voluntatis, ut paullo supra animadvertimus: tum quoniam Scripturarum mos est per Verbum alteram Trinitatis personam denotare: tum etiam quoniam aliud est esse *Verbum*, et aliud esse *os* alterius. Potest quis os alterius dici si pro illo loquatur, quia os verba fundit; non potest autem dic Verbum alterius qui pro alio loquitur, quum Verbum verba non faciat. Atque ita habes discrimen inter Aaronem et Christum.

Ad 4. Haec quoque comparatio falsa est. Aliud est enim aliquem esse apud alium simpliciter: et aliud esse apud alium cum addito. Ex. gr. si dicam: Paulus est apud Petrum, intelligo Pauli personam esse apud personam Petri. E contra vero si dicam: Paulus est seu valet gratia apud Petrum, locutio figurata est et metaphorica, usitatissima tamen penes omnes. Porro de Verbo inquit absolute Johannes: *Et Verbum erat apud Deum*.

Ad 5. Ejusdem similaginis est comparatio sequens. De Adamo siquidem, antequam fieret in animam viventem, dici utique poterat, *Et factus est in animam viventem*, quoniam jam existebat secundum corpus. Quare dicens Evangelista, *Et Verbum caro factum est*, supponit extitisse Verbum in sinu Patris, et carnem in tempore assumpsisse; atque ita in Socinianorum caput recidit argumentum. Pro nihilo autem est quod e vestigio subdunt. Nam unum fieri potest aliud non tantum per conversionem naturae, ut in Sacramento Eucharistiae panis fit corpus Christi; sed etiam per naturae vel alicujus alterius rei assumptionem; ut si dicam: Cicero factus est Consul. Aqua itaque in Cana Galilaeae facta est vinum per conversionem suae naturae in aliam, Verbum autem factum est caro per humanae naturae assumptionem: unde subdit Evangelista de Verbo, *Et habitavit in nobis*; per copulatam videlicet sibi humanitatem Verbum versatum est inter homines. Ceterum hoc quoque argumentum in adversarios retorqueri potest hoc modo: Antequam aqua fieret vinum aqua jam existebat; ergo antequam Verbum fieret modo explicato caro, Verbum jam existebat. Mutatio autem illa quam accidere debuisse in Verbo contendunt Sociniani, in sententia Catholicorum vana prorsus est; quoniam mutatio quaecumque ea sit, non ex parte Verbi, sed ex parte humanitatis tantum quae a Verbo terminata est, et ad novam evecta dignitatem, se tenet.

Verbo namque nihil neque intrinsecum neque extrinsecum accessit, aut accedere potuit. Postrema autem animadversio addita ab adversariis perridicula mihi videtur. Quum enim statim addat Evangelista Verbum habitasse in nobis, jam perspicue intelligimus, τὸ *factum est*, non unius naturae in aliam conversionem, sed assumptionem humanae naturae significare. Sed de his sermo redibit ubi agemus de Incarnatione.

Prob. 3. Johannes cap. 1. v. 15. de altero Johanne nimirum Baptista loquens sic inquit: *Johannes testimonium perhibet de ipso, et clamat dicens: Hic erat quem dixi: Qui post me venturus est, ante me factus est: quia prior me erat.* Christus itaque Johanne Baptista prior erat: ante illum factus, eique praelatus. Porro Christus non erat Johanne Baptista prior ratione humanitatis; quum fuerit Christo natu major sex mensibus, ut omnes norunt, et clare explicant illa verba, *Qui post me venturus est*: Erat itaque prior illo ratione divinitatis; atque adeo existebat ante Incarnationem.

Respondent Sociniani verba illa, *quia prior me erat*, prioritatem significare non existentiae, sed dignitatis. Sed inepta haec est cavillatio. Nam prioritas dignitatis exprimitur per illa verba, *Ante me factus est*; alioquin sensus esset: prior me est dignitate, quia prior me est dignitate, quae loquutio insulsa plane foret. Quod etsi daremus illa quoque verba, *prior me erat*, prioritatem denotare dignitatis, quod certe falsum est, adhuc tamen consisteret argumentum: habetur ibi siquidem verbum, *erat*, praeteriti temporis; adeoque sensus esset: nunc prior me est dignitate, quoniam antehac etiam prior me erat dignitate in qua ante Incarnationem existebat.

Prob 4. Apostolus in 1. ad Cor. cap. 10. v. 9. scribit: *Neque tentemus Christum, sicut quidam eorum* (Israelitarum) *tentaverunt, et a serpentibus perierunt*. Haec demonstrant Christum tempore Moysis jam extitisse. Non quidem secundum humanitatem; igitur secundum divinitatem.

Sed non acquiescunt haeretici et inquiunt sensum verborum Pauli hunc esse: Non tentemus Christum sicut et quidam eorum tentaverunt Deum in deserto. II. in posteriori commatis parte, nomine Christi intelligi a Paulo Moysem, non Christum ipsum; unde sensus est: Non tentemus Christum sicut quidam eorum tentaverunt in deserto Moysem Christum Domini.

Sed utraque interpretatio absurdissima est. Et quoad 1. constantissima humani sermonis consuetudo est, ut in loquutionibus duobus membris constantibus, ille idem qui in priori exprimitur membro, intelligatur in altero, quamvis vel nomine proprio vel articulo non exprimatur. Sic Johan. cap. 8. Christus inquit: *Abraham pater vester exultavit, ut videret diem meum: vidit, et gavisus est*. Vidit nempe illum, hoc est diem meum, et gavisus est. Nulla est Ciceronis pagina, in qua ejusmodi exempla non occurrant. Quare Israelitae in deserto, juxta Paulum, tentaverunt Christum.

Ad 2. Non minus insulsa est altera Socinianorum exceptio: tum quoniam in posteriori illo orationis membro intelligitur Christus, ut mox ajebam: tum quia in V. T. Moyses numquam appellatus est Christus; in no-

vo autem venerabile illud nomen soli Jesu tribuitur: tum demum quoniam non Moysen, sed Deum tentatum ab Israelitis in deserto fuisse constantissime narrant sacrae Scripturae. Qua de re Christus et Deus per Apostolum idem omnino sunt.

Quod autem habetur iu notis ad catechesim polonicam socinianam, apud Apostolum nempe non legi, *Neque tentemus Christum*: sed haberi, *Neque tentemus Dominum*, non moror. Id enim falsitatis revincitur ab Interpretibus syro arabo latino, a graeco textu, et a Patribus omnibus, apud quos legitur, *Christum*, non, *Dominum*.

Prob. 5. Johan. cap. 8. v. 56. ita Christus alloquitur Judaeos: *Abraham pater vester exultavit, ut videret diem meum: vidit, et gavitus est. Dixerunt ergo Judaei ad eum: Quinquaginta annos nondum habes, et Abraham vidisti? Dixit eis Jesus: Amen, amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum*. Quod si Christus erat antequam Abraham fieret, nonne extitit ante Incarnationem?

Respondent Sociniani cum Grotio, verba illa hunc praeseferre sensum: Antequam Abraham fieret, ego decreto ac praedestinatione divina sum. II. Vel intelligi debere hoc alio sensu: Antequam Abraham fiat id quod nomen ejus significat, pater nimirum multarum gentium, quod in conversione gentilium eveniet, *ego sum*. Nam ubi nostra Vulgata habet, *fieret*, in graeco textu occurrit, γενέσθαι, *fieri*, aoristus videlicet verbi, γίνομαι. Ast aoristicae vocis tempus determinatur a verbis quibus jungitur. Sit in exemplo; Johan. cap. 14. latine legitur, *Dixi vobis priusquam fiat*, quamvis graece habeatur γενέσθαι. Et cur? Quoniam aoristus jungitur verbo praeteriti temporis, εἴρηκα, *dixi*. Porro in laudato textu: *Antequam Abraham fieret etc.* verba occurrunt praesentis temporis, λέγω *dico*, et εἰμί, *sum*; unde reddi illa verba latine debent: antequam Abraham fiat (videlicet pater multarum gentium) *ego sum*. Qua posita expositione, allata sententia certe non probat Christi praeexistentiam Incarnationi.

Sed nil futilius excogitari poterat: unde sit ad 1. Solus allati testimonii contextus sufficit, ut quis facile noscat fieri ibi sermonem non de praeexistentia in decreto et praedestinatione, sed in tempore et aetate. Nam Christo dicenti: *Abraham exultavit, ut videret diem meum: vidit, et gavisus est*, quid responderunt Judaei? *Quinquaginta annos nondum habes, et Abraham vidisti?* Quam objectionem sic solvit Christus: *Antequam Abraham fieret, ego sum*. Judaei sane de praeexistentia secundum tempus loquutum fuisse Christum intellexerunt: quare ejusdem generis praeexistentiam in responsione Christus inculcavit. Quod si Judaeorum objectioni responsum dedisset Christus in sensu Socinianorum, jam hac sua responsione Judaeis illusisset; quum non Christus modo, sed et ipsi Judaei praesentes, decreto ac praedestinatione Abrahamo praeextiterint. Demum verbum illud εἰμί *sum* praesentis temporis, τὸ γενέσθαι *fieri* temporis praeteriti oppositum, juxta phrasim Scripturae proprie denotat aeternitatem; idemque significat quod verba illa psalmi 89: *Priusquam montes fierent, tu es*.

Ad 2. Aoristicae vocis tempus determinatur a verbis quibus jungitur,

hoc est a contextu : non a quibnscumque verbis quibus jungitur , etiamsi ad contextum non pertineant. Porro allatae in argumento sententiae contextus de rebus est plane praeteritis . Nam Christi Judaeorumque dialogus erat non de nominis *Abraham* significatione , sed de ipsius Abrahae persona : tum quia Judaei ad Christum dixerunt , *quinquaginta annos nondum habes , et Abraham vidisti* : tum etiam qnoniam responsione sua Christus Judaeis illusisset, nisi de persona Abrahae verba illa essent accipienda . Et revera jurejurando usus fuisset ad enunciandum de se , quod omnibus illius aetatis hominibus commune erat ; quum omnes existerent , ut Christus , antequam evaderet Abraham pater multarum gentium : atque idcirco latinus Interpres optime verba illa vertit , *Antequam Abraham fieret , ego sum* . 2. Intorqueri potest illud idem argumentum in adversarios hoc modo . Aoristicae vocis tempus a verbis quibns jungitur determinatur : Sed aoristi γενέσθαι , in textu nostro verbis jungitur praeteriti temporis ; legitnr enim ibi , *antequam : dixerunt Judaei : Abraham vidisti* ; ergo , γενέσθαι , praeteritae est non futurae significationis : proindeque non *fiat* , sed *fieret* verti debet . 3. Admissa etiam aoristorum regula in sensu Socinianorum , quomodo illorum sententiae faveat non video . Nam verba quae aoristo , γενέσθαι in textu nostro junguntur , sunt λέγω , εἰμί , praesentis temporis : quare aoristus γενέσθαι verti deberet *fit* in tempore praesenti , non *fiat* in futuro . Non sic Sociniani qui allato commati hunc sensum tribuunt : antequam Abraham fiat pater multarum gentium , quod est post Ascensionem in caelum futurum , jam *ego sum* . 4. Exemplum autem a Socinianis allatum , posita etiam illorum regula , in ipsorum proprium recidit caput . Nam aoristus γενέσθαι in cap. 14. Johannis ést futurae significationis , et nihilominus verbo εἴρηκα , *dixi* , conjungitur praeteriti temporis . Conticescant itaque et cedant veritati .

CAPUT II.

An Verbum Patris sit ab aeterno .

Ariani et Sociniani genimina haec viperarum in eo conveninnt, quod utrique impiissimo ore blasphement Verbnm Patris non esse vere proprieque Deum , ut Pater ipse est : sed in eo a se invicem dissociantur, quod Sociniani velint Verbum puram esse putamque creaturam , quae ante Incarnationem non extiterit , ut capite antecedenti vidimus ; Ariani vero praeexistentiam ejus Incarnationi admittere non detrectent , imo extitisse quoque ante mundi constitutionem , rerumque universitatem fuisse per ipsum creatam ultro citroque concedant . Ast dum haec omnia fatentur , nihil plane fatentur ; qunm ne veram in illo cogantur agnoscere divinitatem , tota animi contentione removere ab eo student aeternitatem . Nos ergo cum Catholicis omnibus definiemus Verbum Patris ab omni extitisse aeternitate ; ut ita non modo Arianos , verum etiam Socinianos refellamus .

CONCLUSIO

Verbum Patris extitit ab aeterno.

Prob. 1. ex V. T. Prov. cap. 8. v. 22. et sequent. haec de Sapientia leguntur: *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio: Ab aeterno ordinata sum, et ex antiquis antequam terra fieret: Nondum erant abyssi, et ego jam concepta eram... ante colles ego parturiebar*. Sapientia haec de qua loquitur Salomon, proculdubio est ab aeterno. Nam non solum concepta jam erat antequam essent abyssi, ante montes et colles; sed et cum praepararentur caeli, et fundamenta terrae appenderentur, jam ipsa una cum Deo cuncta componens aderat; imo ab aeterno ordinata erat, et ex antiquis: quae omnia notae sunt verae ac proprie dictae aeternitatis. Ast vero Sapientia de qua loquitur Salomon hoc in loco, aliud non est quam Verbum divinum. 1. Quidem, quoniam Sapientiae nomine in allata sententia intelligi nequit attributum, ut inquiunt, absolutum; de illa namque eodem in libro cap. 1. et alibi dicitur praedicare, arguere, clamitare, instruere, erudire; insuper, ut vidimus, possideri, parturiri; nec non adstare summo Deo, cuncta simul cum ipso componere, ludere in orbe terrarum et similia: qui characteres non attributum aliquod absolutum, sed personam denotant, ut per se manifestum est. 2. Sapientia eo in capite descripta, a persona Patris distinguitur *realiter*; dicitur quippe a Deo ipso concepta: ab aeterno ordinata: edita ante colles in lucem: quando praeparabat caelos adstasse Patri: et cum illo cuncta componens fuisse. Is de quo haec omnia dicuntur, nonne persona est a Patre realiter distincta? 3. Sed neque mera dici potest creatura. Nam non tamquam e nihilo educta, sed veluti e substantia sua genita exhibetur: *Dominus possedit me: jam concepta eram: ego parturiebar*. Et rursus dicitur rerum omnium creatrix: *Cum eo eram cuncta componens: ludens in orbe terrarum*. Et adscribitur denique illi aeternitas: *Ab aeterno ordinata sum, et ex antiquis*. Quum ergo persona sit a Patre distincta: ab eodem Patre genita, non facta: nec mera sit creatura, summae pervicaciae est negare Sapientiam illam esse Verbum Patris, et quidem proprie dicta praeditum aeternitate. II. Michaeas cap. 5. v. 2. Messiae adventum praenuntians, ita loquitur: *Et tu Bethlehem Ephrata parvulus es in millibus Juda: ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel: et egressus ejus ab initio, a diebus aeternitatis*. Loquitur hic Propheta, nemine ex Christianis dissentiente, de illo qui, Arianis quoque fatentibus, Verbum est Patris humana circumdatum natura: Egressus vero illius de quo Propheta, est *ab initio, a diebus aeternitatis*; Quare Verbum quod humanam assumpsit naturam est ab initio, a diebus aeternitatis.

Prob. 2. ex N. T. Johannes in ep. I. cap. 1. v. item 1. *Quod fuit*, inquit, *ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostrae contrectaverunt de Verbo vitae: et vita*

manifestata est, *et vidimus*, *et testamur*, *et annuntiamus vobis vitam aeternam*, *quae erat apud Patrem*, *et apparuit nobis*. Verbum et Vita in hac Johannis pericope idem omnino sunt ac promiscue usurpantur: tum quoniam loquitur de Vita manifestata quae non est nisi Verbum manifestatum per carnem, juxta illud ejusdem Johannis, *Et Verbum caro factum est ... et vidimus gloriam ejus*: tum etiam quia de illa affirmat fuisse apud Deum, quomodo in eodem Evangelii capite de Verbo dixerat, *Et Verbum erat apud Deum*: tum demum quoniam in citato Evangelii capite appellat Verbum Vitam, *In ipso vita erat*, *et vita erat lux hominum*. Testatur autem in laudato testimonio Johannes Vitam de qua ipse loquitur, esse aeternam; ait namque, *Quod fuit ab initio*, quomodo in Evangelio, *In principio erat Verbum*: addit conceptis terminis, *Annuntiamus vobis vitam aeternam*, *quae erat apud Patrem*. Docet itaque Johannes Verbum esse aeternum. II. In lib. Apocal. cap. 1. v. 8. Verbum Patris ita de seipso loquitur: *Ego sum* Α *et* Ω, *Alpha et Omega*, *principium et finis*, *dicit Dominus Deus*: *qui est*, *et qui erat*, *et qui venturus est*, *omnipotens*. Et cap. 22. *Ego sum* Α *et* Ω, *Alpha et Omega*, *primus et novissimus*. Iterum cap. 1. v. 18. *Ego sum primus et novissimus*, *et vivus et fui mortuus*. Similia habentur cap. 2. v. 8. cap. 11. v. 17. nec non cap. 21. et deinceps. Laudatis autem in locis esse Verbum quod loquitur, vel ex illo commate patet, *Ego sum primus et novissimus*, *et vivus et fui mortuus*; Verbum enim caro factum est: Sed ille qui laudatis in locis loquitur, affirmat se aeternum esse; ait siquidem, *Ego sum Alpha et Omega*, *primus et novissimus*. *Ego sum ... dicit Dominus Deus*, *qui est*, *et qui erat*, *et qui venturus est*: quae quidem phrases veram significant aeternitatem. Nam quoad primam de Deo summo legitur Isaiae cap. 41. v. 4, *Ego Dominus*, *primus*, *et novissimus ego sum*: et idem repetitur cap. 44. et 48. ubi phrasis illa, *primus et novissimus*, proculdubio denotat aeternitatem. Quoad alteram vero, similis est ei quam Paulus habet ad Hebr. cap. 13. v. 8. *Jesus Christus heri*, *et hodie*: *ipse et in saecula*: quam aeternitatem exprimere quis non videt?

Adversariorum cavillationes dispelluntur.

Ut argumentorum nostrorum vim elevent veteres recentioresque Ariani sequentia objiciunt. I. Sapientia de qua Proverbiorum auctor loquitur, attributum Dei est non relativum sed absolutum; Sapientia namque nomen est abstractum: nomina autem abstracta in divinis de natura quidem, non vero de personis enunciantur; unde Sapientia illa non est, ut Catholici putant, altera Trinitatis persona. II. Nec est quod de illa Sapientia characteres praedicentur personales: Nam prosopopoeja quaedam ibi esse videtur, qua Sapientia tamquam persona loquens inducitur, quamvis persona non sit; sicuti in I. ad Cor. cap. 13. v. 4. ubi dicitur: *Charitas patiens est*, *benigna est*: *charitas non aemulatur etc.* Ut ergo charitas persona non est, quamvis personales ei tribuantur proprietates, ita et Sa-

pientia; quum utrobique figura sit prosopopoejae. III. Non dissimili modo in cap. 8. Prov. sermo fit de Sapientia ac de prudentia: Haec certe persona non est; unde nec illa.

Resp. ad 1. Licet Sapientia in se sit nomen abstractum, non officit tamen quin enuntiari aliquando possit de persona: Nam in Scripturis et Patribus et communi loquendi consuetudine abstracta saepissime sumuntur pro concretis. Ut autem dignoscamus quando sumi debeant abstracta pro concretis, hoc est, quando nomen abstractum attributum sit absolutum, et quando sit relativum, characteres sunt attendendi qui nomen comitantur abstractum. Si characteres rei significent essentiam, nomen abstractum attributum exprimit absolutum; si vero characteres sint personam denotantes, sumitur tunc pro concreto, et non essentiam sed personam significat. In libro autem Prov. characteres Sapientiae nomen comitantes, non divinam naturam, sed divinam indigitant personam: unde etsi Sapientia in se sit nomen abstractum, sumitur tamen pro concreto, et alteram significat personam Sanctissimae Trinitatis.

Ad 2. Neque vero personales illae proprietates quae de Sapientia praedicantur, per figuram explicari possunt prosopopoejae: haec quippe figura ibi admittenda est, ubi partes orationis convenire non possunt personae: Ast in casu nostro nihil est, cur ad prosopopoejam confugiamus; praesertim cum ejusmodi figura aut in fabula aut in vehementi oratione adhiberi soleat: quae duo in cap. 8. Prov. locum non habent. Denique caret Scriptura hujusmodi exemplis quibus virtutem aliquam velut personam loquentem inducat. Nam quod ait Apostolus de charitate quod patiens sit, benigna etc. id dictum minime est per prosopopoejam, sed per aliam non infrequentem in Scripturis figuram, qua abstracta accipi solent pro concretis; unde sumit ibi Apostolus charitatem pro homine charitate praedito, de quo sane verificatur quod patiens sit, benignus etc.

Ad 3. Salomon in cap. 8. Prov. promiscue usurpat Sapientiae ac Prudentiae nomina ad eamdem Verbi personam describendam; unde inquit ibidem: *Numquid Sapientia non clamitat, et prudentia non dat vocem suam?* Si autem quaeras cur Salomon, de Verbo loquens, dixit: *Sapientia misit ancillas suas*; et non potius: Sapientia misit servos suos? Ad decorem servandum orationis ita loquutus est: ut quoniam ad exprimendum divinum Verbum vocem *Sapientia*, quae foeminini generis est initio usurpaverat; ita pro servis suis, Apostolis videlicet ac Evangelistis, ancillas nominavit.

Obj. 2. Sapientia de qua loquitur Salomon, quamvis ante mundi exordium extiterit, mera tamen creatura est. Nam ubi nostra Vulgata habet, *Dominus possedit me*, septuaginta Interpretes legunt, ὁ Κύριος ἔκτισέ με, *Dominus creavit me*. II. Et Salomoni concinit Auctor Ecclesiast. qui cap. 24. de eadem disserens Sapientia scribit: *Ab initio, et ante saecula creata sum*.

Resp. ad 1. et dico I. legendum esse, *Dominus possedit me*, non *creavit me*; quoniam ita hebraicus textus, et Interpres latinus habet.

Nec difficile fuit, ut in versionem Septuaginta pro, ἐκτήσατό με, irrepserit ἔκτισέ με ut Basilius lib. 2. cont. Eunom., et Gregorius Nyssenus adv. eumd. lib. 1. animadvertunt. Possidere autem generationem significare patet vel ex cap. 4. Geneseos ex Caini dicto, *Possedi hominem per Deum;* unde Hieronymus ep. 139. inquit: *Possessio significat quod semper Filius in Patre, et Pater in Filio fuerit*. II. Admissa etiam Septuaginta lectione, utpote quam complures Patres ante exortam etiam arianam haeresim agnoverunt, τὸ ἔκτισέ με lato quodam modo sumi debet; quatenus nimirum increata Sapientia ad usum captumque descendit hominum aliarumque rerum creatarum. Hinc Athanasius orat. 3. cont. Arian. *Dominus*, inquit, *creavit me in opera. Mea est enim imago, quae in creatis rebus apparet: ac sic ego me ad opificium accomodavi; ac si diceret, quidquid creatum est, habet in Verbo rationem sui*. Eadem habet S. P. Augustinus lib. 7. de Trinitate cap. 3. Vide Petavium lib. 2. de Trin. cap. 1. III. Verbum graecum κτίζειν in nativa sui significatione id proprie sonat quod latinum Verbum *producere*, abstrahendo an productio per proprie dictam fiat creationem, an vero per generationem: juxta quam intelligentiam, ὁ κύριος ἔκτισέ με transferri debuisset, *Dominus produxit me*: Atque ita Arianorum cavillatio penitus evanescit.

Ad 2. In libro quoque Ecclesiastici Sapientia dicitur creata improprie ac lato sensu, prout scilicet creatio meram significat productionem, et quidem per generationem; quum eadem divina Sapientia dicat ibidem: *Ab aeterno ordinata sum*, et, *ab initio et ante saecula*; quamvis explicari locus possit cum Athanasio orat. 3. cont. Arian. de litterali creatione quoad assumptam, non quoad sibi propriam naturam: *Pater corpus meum elaboravit, et in homines me creavit propter hominum salutem*.

Obj. 3. Oraculum Michaeae non demonstrat Verbi aeternitatem, sed praeclaram dumtaxat illustremque originem nativitatis suae. I. quoniam in hebraico textu ubi nos legimus, *Et egressus ejus ab initio, a diebus aeternitatis*, habetur, *Et egressus ejus a quondam, a diebus saeculi*: quibus in verbis nec vestigium apparet aeternitatis. II. Quoniam laudato in vaticinio commemoratio fit dierum qui sane locum non habent in aeternitate. III. Quoniam juxta Scripturae phrasim τὸ *a diebus saeculi*, familiae antiquitatem significare quam saepissime solet.

Resp. ad 1. Falsum est vocem עוֹלָם *holam*, aeternitatem proprie non significare, quum eadem vox occurrat quoque psal. 92. v. 2., Isaiae cap. 43. v. 13. et alibi pro vera ac proprie dicta aeternitate.

Ad 2. Commemorantur eo in vaticinio a Propheta dies, ut humano sese accommodet captui: quod non infrequens est in sacris litteris.

Ad 3. Novum penitus est in Scripturis ut nomine egressionis stirps significetur: e contra vero ad exprimendam nativitatem nomen illud saepissime usurpatur, ut Job. cap. 1. v. 21. *Nudus egressus sum de utero matris meae*. Et Gen. cap. 10. v. 14. *De quibus egressi sunt Philisthiim et Caphtorim*. Deinde nonne verba illa, *Ex te (Bethlehem Ephrata) mihi egredietur, qui sit dominator in Israel*, denotant Messiae nativita-

tem secundum carnem e Bethlehem Ephrata? Cur ergo sequentia verba, *Et egressus ejus ab initio, a diebus aeternitatis*, non ad generationem aeternam, sed ad stirpis referenda sunt antiquitatem?

Obj. 4. Phrasis quae occurrit in Apocal. cap. 1. v. 8. et sequentibus, si denotat aeternitatem, enuntiatur de Patre. Quod si de Verbo praedicetur, tunc aeternitatem minime significat. Et 1. Versu 4. ejusdem capitis 1. legitur: *Gratia vobis, et pax ab eo, qui est, et qui erat, et qui venturus est ... et a Jesu Christo, qui est testis fidelis, primogenitus mortuorum*. Hoc sane comma non de Verbo, sed de Patre intelligi debet; quum distinguatur ibi qui est, qui erat, et qui venturus est, a Jesu Christo teste fideli: unde dum v. 8. repetitur, *Ego sum Alpha, et Omega ... dicit qui est, et qui erat, et qui venturus est*, de Patre, et non de Verbo enunciatur aeternitas; si aeternitatem phrasis illa significat. II. Verum quando phrasim illam, *Ego sum Alpha, et Omega*, adhibet Scriptura loquens de Christo, non secundum totam suam extensionem, sed cum aliqua restrictione accipi debet: atque hunc habet sensum, quod Christus solus auctor aeternae nostrae salutis sit, ipse principium ac finis Ecclesiae militantis.

Resp. ad 1. Verba v. 8. capitis primi Apoc., *Ego sum Alpha, et Omega* etc. non de Patre, sed de Verbo illius dicta fuisse a Johanne, ex antecedentibus et consequentibus satis fit manifestum. Nam v. 5. legitur, *Qui est testis fidelis primogenitus mortuorum*: Et rursus, *Qui lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo*: Iterum v. 6. *Et fecit nos regnum, et sacerdotes Deo et Patri suo*: Nec non v. 7. *Ecce venit cum nubibus, et videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt*: quae omnia profecto intelligi de Patre non possunt. Nec obstat quod v. 4. etiam de Patre dictum legatur, *qui est, et qui erat, et qui venturus est*: congruit enim Patri ejusmodi elogium, utpote qui Deus est aeternitate pollens. Cum ergo hoc elogium enuncietur et de Verbo, sequitur et ipsum aeternitate gaudere, sive aeternum esse.

Ad 2. Ut falsitatis ac perfidiae revincantur Sociniani, satis sit animadvertere eadem illa phrasi quam saepissime Deum uti ad propriam significandam aeternitatem. Ita Isaiae cap. 41. *Ego Dominus, primus, et novissimus ego sum*. Et cap. 44. v. 6. *Haec dicit Dominus, rex Israel ... Ego primus, et ego novissimus, et absque me non est Deus*. Et sic alibi saepe. Cur autem loquutio eadem cum aliqua sumi debeat restrictione, ubi enuntiatur de Christo, nulla caussa est. Ea quippe quam afferunt, quod sit primus et novissimus auctor nostrae salutis, nobis quam maxime favet. Nam cum nonnisi Deus auctor esse possit nostrae salutis; neque de Deo aliter possint explicari illa, *primus et novissimus*, quam de proprii nominis aeternitate: consequitur semper Christum, sive hujus novae salutis auctorem quem ipsi concedunt, aeternitate revera gaudere. Atque pauca haec de Verbi aeternitate sufficiant. Pergamus ad reliqua.

CAPUT III.

Verbum esse vere ac proprie Deum Patrique consubstantiale sacris Scripturis demonstratur.

Spopondimus alibi nonnulla hoc in loco dicturos de iis qui Verbum esse vere et proprie Deum Patrique suo consubstantiale praefracte negarunt: Fidem nunc solvimus. Qui pessimi omnium veterum haereticorum vexare coeperunt Ecclesiam initio saeculi quarti, fuerunt Ariani. Horum antesignanus, a quo et nomen sortiti sunt, fuit Arius e Lybia oriundus, ut Epiphanius haer. 69. inquit, et Alexandriae, ut puto, ortus et educatus. Cum laicus adhuc esset schismati adhaerens Meletiano, ecclesiastica fuit communione privatus a Petro Episcopo alexandrino, a quo cum schisma ejuraverit, diaconus ordinatus fuit, posteaquam ad Ecclesiae communionem eum admisisset: a qua tamen communione iterum segregatus fuit, quod denuo ad schisma rediret. Verum levis ingenio quum esset, seu potius quum ambitionis stimulis agitaretur, resipiscentiam affectans, communionem rursus flagitavit ecclesiasticam: quam ab Alexandro qui in alexandrina sede Petro successerat, non solum obtinuit, sed insuper ne ad vomitum ut canis rediret, promotus ab eodem ad Presbyteratum, paroeciae quae Baucalis dicebatur praefectus fuit. Accidit deinceps ut quadam die quum Alexander publice de mysterio dissereret Trinitatis, prosiliens in medium Arius sanctissimum praesulem tamquam Sabellianum traduxerit, insolenterque affirmaverit Verbum non eamdem habere cum Patre naturam: sed meram esse ex non extantibus conditam creaturam; fuisseque aliquando tempus quando non erat. Atque hoc nefandae haeresis arianae initium fuit anno 317. juxta Orosium lib. 7. cap. 28. Et quoniam non pauci adhaeserunt Ario, Alexander centum Episcoporum convocato concilio illum in impietate persistentem damnavit, atque ab ecclesiastica semovit communione. Quod tam ingentia per universum Orientem dissidia excitavit, ut ad ea componenda Constantinus Imperator coactus fuerit litteras per Osium cordubensem dare ad Alexandrum et Arium, quibus ad pacem omni argumentorum genere eos hortabatur. Sed frustra. Hinc anno 325. generale I. concilium Nicaeae in Bythinia habitum est, in quo anathema iis qui Verbum non esse Patri ὁμοούσιον seu *consubstantiale* impie affirmabant, dictum est. Atque hoc exordium fuit, hic progressus arianae haeresis ad primum usque Nicaenum concilium.

Illud modo animadvertere juvat non unum fuisse, saltem quoad loquendi formas, arianae haeresis statum. Principio namque impudenter, supraquam dici possit, ajebant Verbum meram esse creaturam. *Erat*, hujusmodi erant eorum blasphemiae, *quando non erat*; et, *priusquam nasceretur, non erat*; et, *ex non extantibus factum est*. Deinde subdole, haereticorum more agentes, fassi sunt Verbum esse Deum, subintelligentes tamen Deum non natura, sed voluntate; unde in Nicaena synodo ad illa symboli verba: *Et in unum Dominum Jesum Christum Filium Dei uni-*

genitum ... Deum de Deo, *lumen de lumine*, *Deum verum de Deo vero*, *genitum non factum*, semper annuerunt, respondentes: credimus usque ad illa verba, *consubstantialem Patri*. Post concilium praeterea Nicaenum ex Arianis Semi-ariani orti sunt qui eo devenerunt, ut faterentur Filium esse Deum non in tempore, sed ab aeterno genitum; imo Patri substantia similem: sed Patri esse consubstantialem pertinaciter semper denegarunt confitentes Verbum Patri ὁμοιούσιον *substantia simile*, ὁμοούσιον autem *consubstantiale*, resistentes.

Si ergo nos cum Catholicis demonstraverimus Verbum esse Patri ὁμοούσιον *consubstantiale*, unica opera tum Arianorum, tum Semi-arianorum haeresim convellemus: Quod supremo invocato Numine facere hoc in capite aggredimur argumentis ex sacris litteris conquisitis. Sit igitur

MOMENTUM I.

Ex divinis nominibus quae Patri ejusque Verbo ex aequo tribuuntur.

I. Ex nomine יהוה *Jehova*. Nomen tetragrammaton Jehova nonnisi vero ac summo Deo in sacris litteris tribuitur. Exodi enim cap. 3. v. 13. Moysi verum propriumque Dei nomen sciscitanti, *Ego sum qui sum*, ait: *Sic dices filiis Israel*: *Qui est*, *misit me ad vos*. Et iterum: *Haec dices filiis Israel*: *Dominus* (Jehova) *Deus patrum vestrorum ... misit me ad vos*: *hoc nomen mihi est in aeternum*, *et hoc memoriale meum in generationem*, *et generationem*. Isaiae quoque cap. 42. v. 8. legitur: *Dominus* (Jehova), *hoc est nomen meum*: *gloriam meam alteri non dabo*: et sic alibi. Vide Drusium de hoc argumento: Ast vero nomen idem *Jehova*, tribuitur etiam Verbo. Et hoc luculentissime patet 1. ex Isaiae cap. 8. v. 13. ubi haec habentur: *Dominum* (Jehova) *exercituum ipsum sanctificate*: *ipse pavor vester et ipse terror vester*. *Et erit vobis in sanctificationem*. *In lapidem autem offensionis*, *et in petram scandali* etc. Quae de Christo Domino dicta esse testantur locupletissime tum Lucas cap. 2. v. 34. ubi Simeon ita loquitur, *Ecce positus est hic* (Christus quem in ulnis gestabat,) *in ruinam*, *et in resurrectionem multorum in Israel*: *et in signum*, *cui contradicetur*: tum Paulus in ep. ad Rom. cap. 9. v. 32. *Offenderunt enim in lapidem offensionis*, *sicut scriptum est*: *Ecce pono in Sion lapidem offensionis*, *et petram scandali*: tum denique Petrus in ep. 1. cap. 2. ubi de Christo loquens, *Propter quod*, inquit, *continet Scriptura*: *Ecce pono in Sion lapidem summum angularem* etc. 2. Patet idipsum ex Joele, qui cap. 11. v. 32. inquit: *Et erit*: *omnis qui invocaverit nomen Domini* (Jehova), *salvus erit*. Quod vaticinium prolatum esse de Christo facile colligitur et ex quo novum praenuntiet ibi Propheta Testamentum, ut fidem facit Petrus Actor. cap. 2. v. 17. et ex Paulo, qui ad Rom. cap. 10. de Fidei in Christum disserens necessitate, hoc urget Joelis testimonium, dicens, *Omnis enim quicumque invocaverit nomen Domini salvus erit*; ac subinde addit, *Quomodo ergo invocabunt*,

in quem non crediderunt? 3. Demum ex Zacharia cap. 11. v. 12. dicente: *Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos. Et dixit Dominus* (Jehova) *ad me: Projice illud ad statuarium, decorum pretium, quo appretiatus sum ab eis*. En Jehova, ac proinde verus Deus, triginta argenteis appretiatus a Judaeis: Ast vero qui juxta allatum oraculum triginta argenteis aestimatus est a Judaeis, Verbum est humana carne circumdatum; nam Matthaeus posteaquam narravit cap. 27. quomodo impiissimus Judas retulit principibus Sacerdotum triginta argenteos quos ab eis acceperat, tradens illis sanguinem justum, Optimi Magistri scilicet, e vestigio subdit: *Tunc impletum est, quod dictum est etc. Et acceperunt triginta argenteos pretium appretiati etc.* Atque idcirco Verbum secundum carnem est *Jehova*, Deus videlicet summus et altissimus.

II. Ex alio Dei nomine hebraico אל, *El*, *Fortis*, hoc modo. Qui in sacris Scripturis nomine אל, *El*, appellatur, is est vere ac proprie Deus, Socinianis ipsis concedentibus: Verbum autem non raro in sacris Scripturis eo designatur nomine. Nam Isaiae cap. 9. v. 6. hoc prostat vaticinium: *Parvulus enim natus est nobis, et Filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum ejus: et vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus,* אל, *El,* (*Fortis*,) *Pater futuri saeculi, Princeps pacis*. Hoc vaticinium esse de Christo quis audet in dubium revocare?

Neque audiendi sunt Sociniani cavillantes allatum vaticinium ita intelligendum esse, ut nomina illa, *Admirabilis*, *Deus*, *Fortis* etc. non ad Messiam referenda sint, sed ad Patrem quem Messias illis nominibus nuncupabit. Nam legi debet in textu, *vocabitur*, non, *vocabit;* quum ita et Septuaginta seniores, et Aquila, et Symmachus, et Vulgatus noster interpres transtulerint. Deinde si nomina illa Patri, et non Messiae convenirent, absurde plane Propheta loqueretur: ait enim Messiam certum habiturum nomen: quo utique careret, nisi ea nomina illi tribuantur.

Multo magis a vero aberrant haeretici dum addunt laudatum oraculum minime demonstrare Messiam esse Deum, quum non dicatur simpliciter *Deus*, sed, *Deus fortis*. Imo vero attributum illud, *Fortis*, quamdam in se continet emphasim quae veram exprimit divinitatem. Nonne de vero Deo regius Psaltes psal. 23. inquit: *Quis est iste Rex gloriae? Dominus fortis*. Et psal. 41. *Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum*. Mitto haberi in vaticinio interpunctionem inter vocem, *Deus*, et vocem, *Fortis*; unde ad rem non facit Sociniana cavillatio.

III. Quamvis in V. T. non raro inveniamus regibus ac judicibus terrae tributum hebraicum nomen appellativum et commune אלהים, *Elohim*, graecum θεὸς, ac latinum *Deus*; in novo tamen Testamento, nomen θεὸς, *Deus*, absolute positum, nonnisi vero ac summo Deo tribuitur. Innumera quae ad rem hanc afferri possent momenta, in re tam manifesta libens omitto, solaque contentus ero Irenaei auctoritate qui non multo post apostolica tempora scripsit. Is ergo lib. 3. adv. haer. cap. 6. *Neque Dominus*, inquit, *neque Spiritus Sanctus*, *neque Apostoli eum*, *qui non esset Deus*, *definitive*, *et absolute Deum nominassent aliquando*, *nisi*

esset verus Deus. Et cap. 8. addit: *Manifeste ostensum est, quoniam numquam Apostoli alium Deum nominarunt, praeter verum et solum Deum*. Porro nomen θεὸς, *Deus*, Verbo saepissime tribuitur. Et 1. quidem Johan. cap. 1. legitur: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum*. 2. Apud eumd. Johan. cap. 20. v. 28. Thomas, viso ac palpato Christo Domino, exclamavit: *Dominus meus, et Deus meus*; ὁ Κύριός μοῦ, καὶ Θεός μοῦ. Qua confessione eximium laudis praeconium a Christo reportavit: *Quia vidisti me Thoma, credidisti* etc. 3. Apostolus ad Rom. cap. 9. v. 5. de Israelitis verba faciens scribit: *Ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in saecula*. Quo in loco animadvertere juvat non modo haberi graece articulum, cujus appositio, per adversarios, nota est verae divinitatis, sed praeterea dici Christum *Deum super omnia*; quomodo ab eodem Paulo in ep. ad Eph. cap. 4. v. 6. nuncupatur Pater: insuper haberi *Benedictum*; quod nomen vero altissimoque Deo tribui in Scripturis solet, juxta illud Pontificis Christum Marci cap. 14. interrogantis, *Tu es Christus filius Dei benedicti?* nec non *benedictum in saecula*; quod de Patre pariter dicitur in II. ad Cor. cap. 11. v. 31. *Pater Domini nostri Jesu Christi, qui est benedictus in saecula*. Quare concludere tuto possumus Scripturarum oracula ubique insignire Verbum nomine veri Dei, ut insignitur Pater; atque adeo Patri suo esse ὁμοούσιον *consubstantiale*.

Nunc videamus quibus artibus Sociniani tertium hoc nostrum convellere conantur argumentum. Respondent itaque primo nihil ex cap. 1. Johannis demonstrari posse: quoniam laudata Evangelistae verba cum interpunctione legenda sunt hoc modo: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat*. Verbum hoc *erat in principio apud Deum*. Quod si ita legendum sit, jam Verbum non vocatur Deus. II. Sed etiamsi Catholicorum tenenda sit interpunctio, non sequitur tamen Verbum esse verum altissimumque Deum; sed ad summum Deum inferioris a Patre conditionis. In graeco siquidem textu nomen θεὸς occurrit sine articulo hoc modo: Καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος. Ast in dubium verti nequit quin verus ac summus Deus cum articulo a Graecis efferri soleat. III. Moyses quoque in Scripturis appellatur Deus; nec quis proinde dixerit esse verum Deum.

Verum mera sophismata sunt haec. Et ad 1. non ita legenda sunt verba Johannis, ut Sociniani contendunt: tum quia interpunctionem nostram habent versiones omnes quibus ubique terrarum utuntur cujusvis gentis Christiani: tum etiam quia Sociniana illa interpunctio plane insolens est et absurda; demonstraret videlicet Dei existentiam; quasi eos alloqueretur Evangelista qui de Dei dubitarent existentia.

Ad 2. Si quoties in Scripturis occurrit nomen θεὸς cum articulo, verus summusque Deus intelligitur, jam causam vicimus. Nam Christus ὁ θεὸς dicitur cum articulo in ep. ad Rom. cap. 9. v. 5. ut observat Chrysostomus. Deinde jactata a Socino regula falsa omnino est. Nam de Deo altissimo saepe graece legitur nomen θεὸς sine articulo, ut in eodem cap. 1. Johan. *Fuit homo missus a Deo*: ἐγένετο ἄνθρωπος ἀπεσταλμένος παρὰ θεοῦ: et e contrario idem

nomen θεὸς cum articulo legitur aliquando etiam de falsis diis, ut in II. ad Cor. cap. 4. v. 4. *Deus hujus saeculi* ὁ θεὸς τοῦ αἰῶνος. Ac demum ratio cur in allato testimonio articulus non sit nomini θεὸς praepositus, est quoniam apponere solent Graeci articulum subjecto, non attributo: cumque in ea propositione θεὸς ἦν ὁ λόγος subiectum sit λόγος, attributum θεὸς; hinc articulus Verbo, non Deo in graeco textu praepositus est.

Ad 3. Locum hic non habet Sociniana exceptio; quum in N. T. numquam vel homini vel Angelo Dei nomen absolute positum tribuatur. Praeterea, Moyses Deus dictus est non simpliciter, sed cum addito; Deus nimirum Pharaonis, imo Deus constitutus a Deo: *Ecce constitui te*, inquit Dominus Exodi cap. 7. *Deum Pharaonis*. *At aliud est*, scribit Hilarius lib. de Trinit. cap. 7. *Deum dari*, *aliud Deum esse*. *Eo ipso*, *quod dicitur constitutus Deus*, *non naturalis*, *sed fictitius significatur Deus*. Demum fatentur Sociniani Verbum Deum esse singulari quodam titulo a reliquis etiam sanctitate eximia praeditis secretum. Cur ergo nunc comparant illud Moysi aliisque quibus Dei nomen aliquando attributum est in Scripturis?

Prosequuntur adhuc cavillari recentiores Ariani dicentes Thomae Apostoli verba voces esse exclamantis, atque ad Patrem referri, veluti si dixisset: *Oh Deus*, *quid video*! vel si referuntur ad Christum, pronomen μοῦ quamdam significare restrictionem; ac proinde impedire ne θεὸς, verum Deum significet. II. Idem ferme sentiendum de Apostoli testimonio ex ep. ad Rom. deprompto. Clausula quippe illa, *Super omnia*, impedit quin apud Apostolum nomen, *Deus*, pro vero summoque Deo accipiatur. Praesertim cum Dei nomen in apostolica sententia desideretur in syriaca versione apud Cyprianum et Chrysostomum, qui Pauli textum praetermisso nomine Dei in eorum scriptis recitant.

Falsitatis tamen in utraque priori responsione Sociniani revincuntur. Et quoad primam. In verbis a S. Thoma prolatis nulla est nota exclamationis. Neque enim inquit Apostolus: ὦ Κύριε μοῦ, ὦ θεέ μοῦ, *o Domine meus*, *o Deus meus*: sed ait, ὁ Κύριος μοῦ, καὶ θεός μοῦ *Dominus meus*, *et Deus meus*, in nominativo casu. Rursus, Thomae laudata verba sunt responsio ad id quod Christus ab eo petierat; dixerat enim ad Thomam: *Noli esse incredulus*, *sed fidelis*. Quare respondens discipulus, *Dominus meus*, *et Deus meus*, certam exhibet fidei suae professionem. Altera autem responsio prorsus ridicula est: tamquam cum legitur in psal. 7. v. 1. *Domine Deus meus in te speravi*: et in psal. 21. *Deus Deus meus respice in me*, et sic porro innumeris in locis, de illo sermo fiat qui non sit verus ac summus Deus.

Ad 2. Intollerabilis autem est Sociniana verborum Pauli ad Romanos expositio: tum quia, τὸ *super omnia*, praeeminentiam natura sua significat: tum etiam quia idem elogium Patri, qui est Deus summus, Apostolus tribuit, ut supra observavimus. Et falsum omnino est in allata Pauli sententia Dei nomen desiderari juxta syriacam versionem in qua ita legitur: *Apparuit Meschicho in carne*, *qui est Deus super omnes*: *cui*

sunt laudes, et benedictiones in saeculum saeculi, amen. Praeterea lectionem nostram latinam sinceram esse patet et ex unanimi omnium codicum atque edictionum consensione, et ex quo veteres omnes ita leger unt. Nec obstat quod nonnulli Patres in ea laudanda sententia nomen Dei retinuerint; non semper quippe sancti Patres sacrae Scripturae textus integros recitant et ad literam.

MOMENTUM II.

Ex Dei altissimi attributis, quae Verbo Patris attribuuntur.

Ille summus ac altissimus Deus habendus est, cui sacrae Scripturae attributa concedunt vero altissimoque Deo convenientia. Quis propositionem hanc revocabit in dubium? Porro sacras Scripturas Verbo divino attributa concedere soli vero ac summo Deo convenientia, facillimae est demonstrationis.

Et I. Immutabilitas attribntum est absque dubio soli vero Deo conveniens, *Ego Dominus, et non mutor*, ait ipse Deus Malach. cap. 3. v. 6. Ast immutabilitas, juxta sacras litteras, competit etiam Verbo: dicente Apostolo ad Hebr. cap. 13. v. 8. *Jesus Christus heri, et hodie: ipse et in saecula*. Et cap. 1. v. 10. jam scripserat: *Ipsi peribunt, tu autem permanebis ... velut amictum mutabis eos ... tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient*. Verbum itaque Deus summus est, ac Patri suo consubstantiale.

II. De Deo altissimo psal. 47. v. 1. dicitur, *Magnus Dominus, et laudabilis etc*. Hoc ipsum asseruit Apostolus de Verbo in ep. ad Tit. cap. 2. dicens, *Expectantes beatam spem, et adventum gloriae magni Dei, et salvatoris nostri Jesu Christi*.

III. Immensitas quoque veri ac summi Dei character est: dicente Moyse Deut. cap. 4. v. 39. *Scito ... quod Dominus ipse sit Deus in caelo sursum, et in terra deorsum*: Et hoc idem praedicatur de Verbo in Johan. cap. 3. *Et nemo ascendit in caelum: nisi qui descendit de caelo: Filius hominis qui est in caelo*.

IV. *Vivo ego in aeternum*, de seipso inqnit Deus altissimus Deut. cap. 32. v. 40. Verum aeternitas tribuitur quoque Verbo apud Mich. cap. 5. *Egressus ejus ab initio, a diebus aeternitatis*.

V. De solo vero Deo habetur lib. I. Paral. cap. 28. v. 9. *Omnia enim corda scrutatur Dominus, et universas mentium cogitationes intelligit*: at de Christo similia occurrunt Johan. cap. 21. v. 17. *Domine tu omnia nosti*.

VI. Demum ne per singula excurram, Qui est omnipotens, est profecto verus Deus; Gen. enim cap. 17. v. 1. legitur, *Ego Deus omnipotens*: Ast etiam Verbo adscribitur omnipotentia Apocal. cap. 1. v. 8. *Qui est, qui erat, et qui venturus est, omnipotens*. Et ad Hebr. cap. 1. *Portans omnia verbo virtutis suae*. Divina ergo attributa undique clamant Verbum esse Deum altissimum; adeoque Patri consubstantiale.

MOMENTUM III.

Ex divinis operibus quae tribuuntur Verbo.

Qni opera Dei ordinis sive naturalis sive snpernaturalis facit, is verus Deus est: omnia autem haec plane facit Verbum. Et quoad opera naturalia, haec tria sunt fatentibus omnibus; Creatio nempe, Conservatio, et Concursus; innumera namque alia naturalia ad tria haec reducuntur: In sacris autem litteris tria haec Verbo, non secus ac Patri adscribuntur. Et quoad creationem, Prov. cap. 8. ita Sapientia, quae idem est ac Verbum, de se loquitur: *Cum eo eram cuncta componens*. Johannis cap. 1. legitur: *Omnia per ipsum facta sunt ... Mundus per ipsum factus est*. Paulus ad Colos. cap. 1. v. 15. *Omnia per ipsum, et in ipso creata sunt*. Haec quidem demonstrant divinum Verbum omnium rerum esse conditorem. Sed adscribitur ei rerum quoque conservatio. Apostolus siquidem post verba proxime laudata, prosequitur: *Et omnia in ipso* (Verbo) *constant*. Et ad Hebr. cap. 1. *Portansque omnia verbo virtutis suae*. Denique competit Verbo etiam concursus ad omnia opera naturalia. Quod patet ex iis Scripturae locis quibus docemur Filium ea omnia facere, quae facit Pater; *Pater meus usque modo operatur, et ego operor*, inquit Johan. cap. 5. v. 17. *Quaecumque enim ille fecerit*, (nempe Pater), *haec et Filius similiter facit*, subdit v. 19.

Ast Verbum facit etiam opera snpernaturalia, horumque auctor est. Haec sunt divina opera ordinis supernaturalis: Remissio peccatorum, Gratiae collatio, atque aeternae Gloriae largitio: quae omnia Verbo divino conveniunt. Et primo peccatorum remissio. Nam Lucae cap. 5. v. 20. sic Paralytico inquit Christus: *Homo, remittuntur tibi peccata tua*. Cumque Pharisaei in cordibus suis obmurmurassent, quasi indebitam sibi arrogasset Christus auctoritatem, dicentes, *Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?* Christns ut auctoritatem sibi competere demonstraret dimittendi peccata cognitis illorum cogitationibus, (quod, ut superius diximus, solius Dei est,) dixit ad illos: *Quid est facilius dicere: dimittuntur tibi peccata: an dicere: surge et ambula?* Quo profecto divinam dimittendi peccata potestatem miraculo comprobavit. Nec minus perspicne ex sacris litteris manifestum fit Verbum esse gratiae supernaturalis auctorem. Nam Apostolus I. ad Cor. cap. 1. *Gratia vobis*, inquit, *et pax a Deo patre nostro, et Domino Jesu Christo*. Et Petrus Actor. 15. *Per gratiam Domini Jesu Christi credimus salvari*. Et rursus Paulns in II. ad Thessal. cap. 2. v. 16. *Ipse autem D. N. J. C. ... qui dilexit nos, et dedit consolationem aeternam et spem bonam in gratia*. Verbum denique non secus ac Pater aeternam hominibus largitur gloriam, juxta illud Johan. cap. 3. v. 36. *Qui credit in Filium habet vitam aeternam: qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum*. Et ibidem cap. 10. v. 28. *Ego vitam aeternam do eis*. Aequalia itaque sunt opera Patris, et Filii; atque idcirco eadem est utriusque personae snbstautia.

MOMENTUM IV.

Ex unitate naturae Patrem inter ac Filium .

Christus Johan. cap. 10. v. 30. *Ego* , inquit , *et Pater unum sumus* . In quae verba ita S. P. Augustinus tract. 36. in Johannem disserit : *Non dixit , Pater ego sum* ; *aut* , *Ego et Pater unus est : sed cum dicit* , *Ego et Pater unum sumus* ; *utrumque audi* , *et unum* , *et sumus* , *et a Charybdi et a Scylla liberaberis* . *In duobus istis verbis quod dixit*, *unum* , *liberat te ab Ario* : *quod dixit* , *sumus* , *liberat te a Sabellio* . *Si unum* , *non ergo diversum* : *si sumus* , *ergo et Pater et Filius* . *Sumus enim* , *non diceret de uno* : *sed et unum non diceret de diverso* .

Veteres recentioresque Ariani argumenti vim eludere arbitrantur respondendo , τὸ *unum* , in allato testimonio non naturae inter Patrem ac Filium unionem , sed unionem consensus et voluntatis significare ; quomodo apud eumdem Johannem cap. 17. *Non pro eis autem rogo tantum* , *sed et pro eis* , *qui credituri sunt per verbum eorum in me* , *ut omnes unum sint* , *sicut tu Pater in me* , *et ego in te* , *ut et ipsi in nobis unum sint* . Et rursus , *Ut sint unum* , *sicut et nos unum sumus* ; quomodo quoque in Actor. cap. 4. v. 32. *Multitudinis autem credentium erat cor unum* , *et anima una* .

Sed oleum perdunt et operam , si quae antecedunt aut quae subsequuntur respiciantur . In antecedentibus enim demonstrandum Christus susceperat , oves suas minime esse in aeternum perituras , nec eas quemquam esse de manu sua rapturum ; quippe inquit : *Et non peribunt in aeternum* , *et non rapiet quisquam de manu mea* . *Pater meus quod dedit mihi* , *majus est omnibus* : *et nemo potest rapere de manu Patris mei* . *Ego* , *et Pater unum sumus* . Quid autem dedit Filio Pater majus omnibus nisi ut esset Verbum ejus , ut esset unigenitus Filius ejus , ut esset splendor lucis ejus , quod *majus est omnibus ?* Et quid sibi volunt illa verba , *Nemo rapit de manu mea* , *et nemo rapit de manu Patris mei* , nisi forte significant unam esse Patris et Filii potestatem , unam divinitatem ? Hoc enim significat , ut passim occurrit in Scriptura , brachium et manus . Vide S. P. Augustinum tract. 48. in Johan. Sed ne cuiquam datum esset titubare circa unitatem potestatis ac divinitatis , audiant miserrimi Ariani quid subderet Christus : *Ego* , *et Pater unum sumus* . In subsequentibus autem narratur Judaeos ad illa verba sustulisse lapides ut eum lapidarent : atque a Christo reprehensos respondisse , *De bono opere non lapidamus te* , *sed de blasphemia* , *et quia tu homo cum sis* , *facis teipsum Deum* . Intellexerunt ergo Judaei Christum per illa verba , *Ego* , *et Pater unum sumus* , se fecisse vere et proprie Deum . Si decepti in ea intelligentia Judaei fuissent a Christo , sane debuissent illico corrigi . Verum eam opinionem Christus non correxit , sed confirmavit , dicens , *Quem Pater sanctificavit* , *et misit in mundum* , *vos dicitis* : *Quia blasphemas* , *quia dixi* , *Filius Dei sum ?* ... *Si mihi non vultis credere* , *operibus credite* ,

... *quia Pater in me est, et ego in Patre*. Invictum ergo pro consubstantialitate Verbi allatum testimonium exhibet argumentum. Ad id autem quod ex Johan. cap. 17. opponunt, dico latissimam inter haec verba, et illa quae a nobis sunt posita esse discrepantiam. 1. Enim, ut Athanasius lib. 4. et 5. cont. Arian. inquit, in illo qui ab haereticis objicitur Johannis loco, habetur particula, *sicut*, per vocem καθώς, quae similitudinem dumtaxat, non identitatem penes Graecos significat. 2. Cyrillus alexandrinus observat non dicere Christum, *ut sint unum nobiscum*, quod consubstantialitatem significaret: sed, *ut sint omnes unum inter se, et in nobis*, quod denotat charitatem. 3. Non orat Christus ut homines unum sint *in suo genere, hoc est, in ejusdem naturae consubstantiali parilitate, sed in ipso; quia in se ipsis non possent, dissociati ab invicem per diversas voluptates et cupiditates et immunditias peccatorum ... sed ut quemadmodum Pater et Filius non tantum aequalitate substantiae, sed etiam voluntate unum sunt; ita et ii inter quos et Deum mediator est Filius, non tantum per id quod ejusdem naturae sunt, sed etiam per eamdem dilectionis societatem unum sint*; ut ait lib. 4 de Trinit. cap. 9. Augustinus. Propterea dixit sacer Evangelista, *ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint*. 4. Si Christus a creaturis se non separaret, dixisset: *Rogo, ut omnes unum simus, sicut tu in nobis, et nos in te*. Ast non hoc inquit Christus, sed ait: *Rogo, ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te*: Ita lib. 4. de Fide cap. 2. divus Ambrosius. Ad cetera in contrarium allata testimonia respondet S. P. Augustinus lib. 2. cont. Maximin. cap. 20: *Quando de rebus duabus aut pluribus dicitur, unus est vel una est, et additur quid unus vel quid una, et de his quae diversae, et de his quae sunt unius substantiae dici potest. Diversae sunt enim substantiae Spiritus hominis et Spiritus Domini: et tamen dictum est, Qui adhaeret Domino, unus Spiritus est. Unius autem substantiae sunt animae hominum et corda hominum; de quibus dictum est, Erat illis anima una, et cor unum. Ubi autem dicitur de duobus aut pluribus, unum sunt; nec additur quid unum sint; non diversae intelliguntur, sed unius esse substantiae: sicut dictum est, Qui plantat et qui rigat unum sunt. Et, Ego, et Pater unum sumus*.

CAPUT IV.

Haereticorum blasphemiae referuntur ac refutantur.

Obj. 1. Johan. cap. 14. v. 28. ita Christus discipulos suos alloquitur: *Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem; quia Pater major me est*. Ex qua sententia ita apud Cyrillum lib. 11. thesaur. arguebat Eunomius: *Quae eamdem substantiam nacta sunt, et ejusdem sunt naturae, non habent inter se naturaliter majus aut minus. Quare cum Filius Patrem majorem se esse dicat, consubstantiale vero consubstan-*

tiali majus esse ratione substantiae nequeat, *non est ei consubstantialis*.
II. Neque difficultatis nodum solvunt qui dicunt Christum minorem se facere Patre ratione humanae naturae: per illa verba namque affirmat Christus se divinam nullimode habere naturam. Quod demonstrare putat hac sua argutiuncula Crellius: Haec propositio affirmans, *Pater major me est*, hanc aliam includit negantem: Ego non sum tam magnus ut Pater. Nunc vero si Christus divinam simul et humanam habuisset naturam, dicere non potuisset: Ego non sum tam magnus ut Pater; quum nequeat aliquis de se negare quidquam, quod ei secundum aliquam competat naturam: quemadmodum licet homo animam habeat spiritualis naturae, nequit de se tamen dicere: Ego non sum quantus; quoniam convenit ei magnitudo ratione corporis.

Resp. ad 1. Quae eamdem habent substantiam et naturam inter se, non habent majus et minus in ratione substantiae, quoniam *Substantia*, ut inquiunt Philosophi, non suscipit magis et minus; hinc nec homo homine, nec equus equo major substantia seu natura est: Ast ratione proprietatis alicujus vel qualitatis inter ea quae ejusdem sunt naturae, potest utique locum habere majus et minus. Nonne homo homine major vel minor dici potest quantitate vel scientia, quamvis ejusdem sint substantiae? Atque hoc innixi principio graeci Patres allatum in argumento testimonium, *Pater major me est*, explicantes, non dubitarunt asserere Christum loquutum de se fuisse etiam secundum suam divinam naturam; nec proinde sequi affirmarunt non esse Patri consubstantialem. Nam majus et minus, inquiunt, non substantiam seu naturam, sed rationem *principii* in Patre, et *geniti* in Filio respiciunt: ita ut Pater Filio major dicatur; quoniam ratio principii, seu, ut Graeci loquuntur, caussae a qua Filius per generationem originem ducit ei inest. Rem paucis explicat Basilius lib. 1. cont. Eunom. *Pater*, inquit, *major me est*, *quatenus videlicet est Pater*. *Porro vox ista*, *Pater*, *quid aliud significat*, *nisi*, *quod caussa sit*, *et principium ejus*, *qui a se genitus est? Prorsus autem substantia major substantia vel minor secundum sapientiam vestram non dicitur*. Eadem qua Basilius ratione reliqui loquuntur graeci Patres. Haec nodum solvunt.

Sed melius animadvertimus cum Augustino quaedam in Scripturis ita de Patre et Filio posita esse, ut Filius nec minor nec aequalis Patri ostendatur, sed tantum quod de Patre sit intimetur; ut est illud, *Sicut habet Pater vitam in semetipso*, *sic dedit Filio vitam habere in semetipso*. Quaedam autem sic posita, ut indicent unitatem aequalitatemque substantiae Filii cum Patre; sicuti est, *Ego et Pater unum sumus*: et, *Cum in forma Dei esset*, *non rapinam arbitratus est esse aequalem Deo*. Quaedam rursus ita, ut minorem ostendant Filium propter formam servi, idest propter assumptam creaturam mutabilis humanaeque substantiae, cujus generis sunt verba objecta; nempe, *Quoniam Pater major me est*, et quaecumque talia sunt. Sensus ergo objecti testimonii est Christum sive Filium minorem esse Patre secundum formam servi quam accepit, non

secundum formam Dei in qua est, et in qua aequalis est Patri. *Est ergo et aequalis*, concludit alio in loco Augustinus, *et minor*: *aequalis in forma Dei*, *minor in forma servi*. Excurre cap. 1. lib. 2. de Trinit. et cap. 4. de Divers. item lib. advers. serm. Arian. nec non advers. 5. haeres. et alibi. Augustino ultro libenterque assentiuntur latini Patres. Neque haec interpretatio ad martem conficta dici potest: est enim maxime consona sermoni, quem ea occasione Christus cum discipulis habuit: siquidem ait illis, *Si diligeretis me*, *gauderetis utique*, *quia vado ad Patrem:* Ast ad Patrem ibat ratione assumptae humanae naturae, non penitus divinitatis qua Verbum semper fuit apud Deum, ut inquit in primo capite Johannes; Arenoso igitur fundamento innituntur heterodoxi dum ad Johannis caput 14. confugiunt.

Ad 2. Dicens Christus, *Pater major me est*, non negavit se tam magnum esse, ut Pater, simpliciter et absolute, sed ratione dumtaxat humanae naturae. Nam ait, *Ego*, *et Pater unum sumus*. Et, *Omnia quae habet Pater mea sunt*. Idipsum dicendum de homine in exemplum assumpto. Potest utique homo si, prout spiritualis naturae animam habet, de se loquatur, propriissime dicere: Ego non sum *quantus*, quamvis id dicere de se nequeat simpliciter et absolute. Et quemadmodum vera est haec propositio: Homo ratione animae non est *quantus;* ita et vera est haec alia: Christus ratione humanitatis non est tam magnus ut Pater.

Obj. 2. Christus Dominus Johan. cap. 5. v. 19. ingenue fatetur se omnimodam habere dependentiam a Patre. Quomodo ergo consubstantialis est Patri? Sic enim inquit: *Non potest Filius a se facere quidquam, nisi viderit Patrem facientem*. Et iterum: *Non possum a me ipso facere quidquam*. II. Et quidem Christus a Patre in omnibus se pendere fatetur tamquam ministrum a domino, tamquam effectum a caussa, vel discipulum a magistro. Nam saepe de illo dicitur in Scripturis quod sit missus a Patre, *Quem Pater sanctificavit*, *et misit in mundum*, Johan. cap. 10. Et, *Cum venit plenitudo temporis*, *misit Deus Filium suum*, *factum ex muliere*; ad Galat. 4. Dicitur eum non loqui a semetipso, *Quia ego*, inquit Johan. 12. v. 49, *ex me ipso non sum loquutus*, *sed qui misit me Pater*, *ipse mihi mandatum dedit quid dicam*, *et quid loquar ... Quae ego loquor*, *sicut dixit mihi Pater*, *sic loquor*, ubi subiectionem maximam nota. Eodem pacto saepe saepius Christus dicit doctrinam suam non esse suam, ut Johan. cap. 7. v. 16., sed illius qui misit se. Sed quod caput est, non semel ac iterum, sed frequentissime occurrit in sacris eloquiis eum esse a Deo factum, ut in Act. apostol. cap. 2. ad Rom. cap. 1. ad Gal. cap. 4. ut supra monui, nec non ad Hebr. cap. 1. v. 4. et in I. ad Cor. cap. 1. v. 30. Multa alia congerunt Ariani ex Scriptura deprompta, ut sunt illa, *Si quis audierit verba mea*, *et non custodierit*, *ego non judico eum*, *non enim veni ut judicem mundum*, apud Johan. cap. 12. v. 47. et illa Marci cap. 13. v. 32. *De die autem illo vel hora nemo scit neque Angeli in caelo*, *neque Filius*, *nisi Pater*, et illa ejusdem Evangelistae cap. 10. v. 18. *Nemo bonus nisi unus Deus*. Ex qui-

bus, si ad Christum non pertinet judicium: si notitia caret supremi diei: si perfectam non habet bonitatem; neque Deus est, neque consubstantialis Patri dici potest. Addunt quae occurrunt ad Cor. ep. I. cap. 15. v. 28. *Cum autem subjecta fuerint illi omnia: tunc et ipse Filius subjectus erit ei, qui subjecit sibi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus.* Quae cum demonstrent regnum Christi non futurum aeternum, ostendunt pariter neque ipsum esse Deum, cujus regni non erit finis.

Sed haec et si quae alia objici possunt facili negocio exufflantur. Et quoad 1. ita dictum est quod Filius a se non faciat aliquid, quia, ut advertit Augustinus cont. serm. Arian. cap. 14. non est a se: et ideo quidquid facit, Patrem videt facientem; *quia videt ex ipso faciendi se habere potentiam, ex quo se videt existendi habere naturam.* Quod autem hic sit germanus illorum verborum sensus, patet ex his quae Evangelista illico subdit: *Quaecumque enim ille fecerit*, ait, *haec et Filius similiter facit.* Quae verba expendens Aug. loco citato, inquit: *Non sunt ergo alia Filii, et alia Patris opera, sed haec eadem: nec dissimiliter fiunt a Filio, sed similiter. Cum autem non alia similia, sed haec eadem fiant a Filio quae fiunt a Patre, quid est, similiter, nisi non dissimili facilitate, non dissimili potestate? Si enim haec eadem quidem ambo faciunt, sed alter altero facilius et potentius non utique similiter ea facit Filius. Cum vero et haec eadem et similiter, profecto nec alia sunt Filii quam Patris opera, nec operantium est diversa potentia.* Si conferantur ergo verba antecedentia cum consequentibus, potius quam elevent, sententiam catholicam firmant solidantque.

Ad 2. respondeo cum Augustino tract. 49. Sic sanctificavit, quomodo genuit. Ut enim sanctus esset, gignendo ei dedit, quia sanctum eum genuit. Nam si quod sanctificatur, antea non erat sanctum; quomodo dicimus Deo Patri, Sanctificetur nomen tuum? Neque naturae diversitatem arguit missio illa in mundum. Etenim potest homo pater, inquit Aug. cont. serm. Arian. mittere hominem filium unius ejusdemque substantiae, et non potest Deus? Sed ignis mittit splendorem suum, nec potest splendor missus separari ab igne mittente, quamvis haec longe sint dissimilia: quia homo dum mittitur, a mittente separatur: et cum splendorem mittit ignis, longius pervenit splendor, quo ignis non pervenit, cum Filius missus a Patre ab eo non fuit separatus, testante eodem Filio Johan. cap. 16: *Non sum solus, quia Pater mecum est.* Christus ergo erat in mundo antequam in mundum veniret: et ideo dicitur in mundum missus, quia hominibus apparuit in carne: et missus dicitur a Patre, quia ab eo genitus est. De cetero in loco ab adversariis objecto affirmat se facere opera Patris, opera scilicet omnipotentiae, quae facere non potuisset nisi cum Patre eamdem habuisset efficientiam sive potestatem. Eodem sensu affirmat Christus Johan. 12. se accepisse mandatum a Patre, a semetipso non loqui: et cap. 7. doctrinam suam non esse suam: quia omnia quae habet, accepit a Patre a quo duxit originem. Et revera quid est aliud mandatum et doctrina Patris, nisi Verbum Patris, qui est unicus Filius? Tametsi circa doctrinam veniat obser-

vari illum dixisse suam et non suam; quomodo ergo sua et non sua, nisi dicamus fuisse suam secundum formam Dei; non suam vero secundum formam servi? Vide Augustinum lib. I. de Trinit. cap. 12. Haec igitur divinitatem Verbi minime infringunt. Sed nunc ad ea quae C. D. innuunt *factum*. Quomodo, inquam, factus, per quem facta sunt omnia? *Omnia per ipsum*, inquit Johannes, *facta sunt*. Secundum aliam rationem igitur oportet a nobis intelligi testimonia ab adversariis objecta, nimirum secundum formam servi, quam de utero Virginis sumpsit. Erat enim Christus, ut alias monuimus, Deus et homo: secundum Deum fuit ante Luciferum genitus, et ante colles parturiebatur, ut testantur eloquia divina: secundum hominem autem factus est ex muliere, factus sub lege, sive quod idem recidit, factus ex semine David. Vide Augustinum in utriusque loci expositione, et alibi. Eodem sensu loquutus est Petrus in Actis apostolicis; subdit enim, *Hunc Jesum quem vos crucifixistis*: At crucifixus fuit Christus in carne assumpta; De assumpta natura igitur loquitur apostolorum Princeps. Remanet itaque ut aliqua pro brevitate dicamus de quatuor postremis locis: et quantum ad illa verba, *Ego non judico*, sic accipienda sunt. Ego non judicabo ex potestate humana, quia filius hominis sum: sed ego judicabo ex potestate divina quia Filius Dei sum. Propterea addit Evangelista in versu sequenti, *Sermo quem locutus sum, ille judicabit eum in novissimo die;* sermo nimirum sive Verbum Patris. Quis autem ignorat Verbum Patris esse Filium Dei? Judicabit ergo Christus, licet non in ea forma apparens hominibus qua aequalis est Patri, quaeque videri non potest: sed in ea qua filius hominis est. Quod vero spectat ad verba Marci, brevis est responsio si dicamus ignorasse Christum judicii diem in quantum non debet illum manifestare, ut homines continuo adventum Judicis formident; quae pariter responsio innititur Augustino lib. I. de Trinit. cap. 12. ubi ait: *Hoc enim nescit, quod nescientes facit, idest quod non ita sciebat ut tunc discipulis indicaret: sicut dictum est ad Abraham, Nunc cognovi quod timeas Deum, id est, nunc feci ut cognosceres: quia et ipse sibi in illa tentatione probatus innotuit*: quod idem est ac dicere, ignorasse judicii diem secundum formam assumptam, secundum quam constitutus est Caput Ecclesiae. Idem habeto responsum ad illud quod ex I. ad Cor. cap. 16. v. 28. desumptum est: et illa enim dicta sunt secundum formam servi in qua Filio major est Pater; nisi velimus dicere ita dicta esse ne quisquam putaret habitum Christi, qui ex humana natura susceptus est, conversum iri postea in ipsam deitatem, ut inquit Augustinus eodem libro cap. 8. De cetero et post judicii diem erit Christus regnaturus, cum Apostolus dicat ad Phil. cap. 3. *Qui transfigurabit corpus humilitatis nostrae conforme ut fiat corpori gloriae suae, secundum operationem suam qua possit etiam sibi subjicere omnia*. Si ergo subjecta sibi erunt omnia: et regnabit, ut in aperto est. Venio nunc ad illa verba, *Quid interrogas me de bono* etc. et dico cum Augustino unum Deum ipsum esse solum bonum, ob hoc, quia nemo eum videt ad luctum et planctum, quomodo multi videbunt ipsum Christum, dum in for-

ma assumpta veniet in nubibus caeli facere judicium de terra. Quaerebat enim ille adolescentulus vitam aeternam quae sita est in contemplatione divinae essentiae quae non nisi justis apparebit. Ideo Christus respondit, *Quid interrogas me de bono?* Quasi vellet dicere: Secundum formam Dei si me intelligis, bonus sum: si autem secundum hanc solam quam vides, quid me interrogas de bono? Si inter illos es qui videbunt in quem pupugerunt; et ipsa visio malum erit eis, quia poenalis erit? Tota ergo Christi mens in illis verbis erat cum erigere ad agnoscendum se Deum, qui tantummodo eum filium hominis arbitrabatur. Videas Aug. lib. 1. de Trinit. cap. 13. ac sic expedita sunt omnia quae contra Verbi divinitatem moliebantur impiissimi hostes sanctarum Scripturarum innixi testimoniis.

CAPUT V.

Verbi divinitas, ejusque cum Patre consubstantialitas ex constanti quoque primi saeculi traditione demonstratur.

Sacrae ergo Scripturae veterum recentiumque Arianorum satis superque perfidiam revincunt; nec ullius plane roboris esse vidimus arietes quibus Fidei nostrae solidissima fundamenta quatere moliuntur. Invictissimae Scripturarum auctoritati accedat modo, majoris lucis gratia, et aliud gravissimi ponderis argumentum ex trium priorum saeculorum communi hominum fide deductum. Nam non Sociniani modo, ut Sandius, Zucherus, Wissovatius, quique cum his faciunt, sed et Scriptores nonnulli catholici docuerunt Patres qui ante Nicaeni I. concilii tempora floruerunt, aut Verbi cum Patre consubstantialitatem aperte negasse, aut dubiam saltem de illa habuisse fidem. Agnosco in Socinianis mysterium iniquitatis qui eo fine veteres Patres ad partes suas trahere conantur, ut falsum impiumque dogma semel invectum, fundamento aliquo quod speciem saltem referat veritatis, communire videantur. At in catholicis viris admiror non satis consideratum studium: qui dum plus aequo proprio indulgent ingenio, infensissimis Fidei hostibus arma suppeditant. Ut itaque impiis haereticorum conatibus, Catholicorumque imprudenti consilio obviam eamus, nonnulla Patrum illorum qui prioribus tribus Ecclesiae saeculis scripserunt, (de Patribus enim qui subsequentibus floruere saeculis nulla in adversantium mente oritur dubitatio,) dicta ad trutinam revocabimus exordium a graecis Patribus ducentes, ut inde conficiamus constantem Ecclesiae traditionem pro Verbi divini cum Patre consubstantialitate apertissime stare.

I. Inter antiquissima Ecclesiae monumenta habetur epistola quae sub Barnabae nomine circumfertur. Disputant eruditi an epistola haec apostolum Barnabam, an aliquem alium revera habeat auctorem. Plerique, quod illam Barnabae adscribant Origenes lib. 2. cont. Cels. Gregorius Nazianzenus orat. 20. Hieronymus in catal. cap. 6. aliique veteres, affirmativae parti subscribunt. Alii autem, ut Tillemontius, et Ceillerius, ex quo ea in epistola num. 5. legatur, Deum in Apostolos *homines omni*

peccato iniquiores elegisse: et num 9. Christum die dominico in caelum conscendisse: aliisque praeterea de caussis, in partem abeunt negativam. Non est hujus loci gravissimam definire controversiam. Illud modo scire sufficiat, neminem dubitare quin illius epistolae Auctor statim post Jerosolimitanum excidium scripserit. Quod non ex gravissimorum virorum modo auctoritate, sed ex stylo qui apostolica redolet tempora: et ex quo num. 16. legatur, *Nunc ab hostibus destructum est templum*: ac denique quoniam saeculo secundo sub Barnabae nomine epistola jam laudabatur, manifestissime patet. Hujus itaque epistolae Auctor luculentissimum perhibet divinitati Verbi, ejusque cum Patre consubstantialitati argumentum. Num. enim 5. ita de Christo Domino loquitur: *Dominus sustinuit pati pro anima nostra, cum sit orbis terrarum Dominus, cui dixit Deus ante constitutionem saeculi: Faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram. Quomodo ergo sustinuit cum ab hominibus hoc pateretur, discite: Prophetae ab illo habentes donum, in illum prophetarunt*. Tria hic tradit epistolae hujus Auctor, Christum videlicet esse orbis terrarum Dominum: illi dixisse Deum, *Faciamus hominem etc.* et Prophetas ab eo praedicendi futura donum accepisse. Nonne qui haec affirmat credit Christum esse verum Deum, Patri consubstantialem? Num. autem 6. prosequitur Christum per Prophetam dixisse: *Auferam ab eis corda lapidea, et immittam corda carnea; quoniam oportebat eum in carne apparere, et in nobis habitare: templum enim Domino sanctum est, fratres mei, habitatio cordis nostri*. Et num. 17. *Habes interim de majestate Christi, quomodo omnia in illum et per illum facta sunt, cui sit honor, virtus, gloria, nunc et in saecula saeculorum*. Juxta hanc sententiam Christus est auctor gratiae: ei debetur templum: demum est creator omnium cui honor debetur, virtus, et gloria in aeternum. Hi veri sunt divinitatis characteres: unde Auctor ille primi saeculi pro certa fide tenebat Christum Dominum verum altissimumque esse Deum, uti est Pater.

Respondent Sociniani: Hujus epistolae Auctor Christum appellat, *Vas spiritus*; quare non credidit Christum esse Deum.

Verum de humana Christi natura seu de carne Christi Auctorem verba facere, dum vocat illum, *Vas spiritus*, res manifestissima est legenti num. 16. unde objectio sumpta est. Porro non repugnat carnem Christi vas spiritus appellare, hoc est, vas divinitatis; quum Deus in sacris litteris saepe dicatur Spiritus, juxta illud Johannis, *Spiritus est Deus*.

II. Alter I. saeculi scriptor vulgo habetur Hermas cui liber, *Pastor*, nuncupatus adscribitur. Vetustissima aetas cui recens minime opponitur, pene firmiter credidit Hermam hunc, libri Pastoris auctorem, fuisse Hermam quem Paulus ad Rom. scribens nominatim salutat cap. 16. v. 14. Unde Hieronymus post Origenem, et Eusebium in lib. de script. Eccl. cap. 10. *Hermam*, inquit, *cujus Apostolus Paulus ad Romanos scribens meminit ... asserunt auctorem esse libri, qui Pastor appellatur*. Hinc Origenes, Irenaeus, Clemens alexandrinus, aliquando Tertullianus, et alii librum illum inter Canonica scripta recensuerunt; quamvis tamquam

canonicus non fuerit ab Ecclesia receptus. Legatur Hieronymus loco proxime laudato, et in prol. Gal. Sed videamus quid Auctor hic de Verbi sentiat divinitate. Lib. 3. Similit. 5. interrogaverat Hermas Pastorem: Quare Filius Dei in similitudine hac loco servili ponitur? Pastor autem num. 16. respondet: *Audi, inquit, in servili conditione non ponitur Filius Dei; sed in magna potestate, et imperio.* Et Similit. 9. *Primum omnium Domine, inquam, hoc mihi demonstra. Petra haec, et Porta quid sunt? Audi, inquit, Petra haec, et Porta Filius Dei est. Quonam pacto, inquam, Domine, petra vetus est, porta autem nova: Audi, inquit, insipiens, et intellige: Filius quidem Dei omni creatura antiquior est; ita ut in consilio Patri suo adfuerit ad condendam creaturam; porta autem propterea nova est, quia in consummatione, in novissimis diebus apparebit, ut qui assecuturi sunt salutem, per eum intrent in regnum Dei.* Et infra: *Nomen Filii Dei magnum, et immensum est, et totus ab eo sustentatur orbis.* Christus ergo, juxta Pastorem, Filius Dei est, cui imperium et magna majestas competit: antiquior omni creatura: Patrique in mundi conditione consiliarius: et nomen ejus magnum est ac immensum: totumque mundum quem condidit, regit et gubernat. Quid praeclarius de vero altissimoque Deo Patre dici potest?

Dices 1. Hermas lib. 3. Similit. 5. Christum appellat servum Spiritus sancti; dicit enim: *Cum ergo illud Corpus* (Christi) *paruisset omni tempore Spiritui sancto.* II. Filium ac Spiritum sanctum simul crebro confundit in citata mox similit. *Filius Dei Spiritus sanctus est.*

Resp. ad 1. Hermas Christum, nimirum Christi corpus, servum appellat Spiritus sancti; nempe ejusdem Christi divinitatis, quam Spiritus S. nomine designat, juxta illud Johan. cap. 4. *Spiritus est Deus.* Patet id ex sola lectione; ait enim: *Hoc ergo corpus Christi, in quod indutus est Spiritus S. servivit illi Spiritui.*

Hoc idem respondendum est ad 2. Et addo dumtaxat eam loquendi consuetudinem usurpasse quoque Athenagoram in legatione pro christian. Tertullianum cont. Prax. cap. 26. Irenaeum lib. 2. adv. haer. cap. 49.

III. In aciem nunc prodeat adversus veteres novosque Arianos praeclarissimus ille martyr Ignatius post Evodium antiochenus episcopus qui passus pro Christi fide est sub Trajano, anno juxta accuratiores Chronologos 107. Hic cum Antiochia a militibus Romam duceretur, septem in itinere scripsit epistolas, nempe *ad Ephesios*, *ad Magnesianos*, *ad Trallianos*, *ad Romanos*, *ad Philadelphenos*, *ad Smyrnenses*, *ad Polycarpum*: quarum germanitati omnis apertissime favet aetas a saeculo secundo ad haec usque nostra tempora; quum illarum meminerint Polycarpus in ep. ad Philip. ap. Eusebium lib. 3. H. E. cap. 36., Irenaeus ap. eumd. ibid., Origenes hom. 6. in Lucam, Eusebius ipse lib. 3. H. E. cap. 37., Athanasius in ep. de synod. Arim. et Seleuc., Auctor antiquus ap. Chrysost. serm. de uno legislat., Hieronymus de viris illustr. cap. 16., Auctor de divinis nomin. cap. 4., Theodoretus dial. 1., Gelasius R. P. in fine de duab. nat. in Christo, Facundus Hermian. lib. 8. cap. 1., innumerique cujusvis or-

dinis Scriptores quorum nomina brevitati consulens omitto. Quare nulla paucorum novitiorum habenda videtur ratio, qui post Samuelem Basnagium annal. polit. hist. tomo 2. de illarum ausi sunt dubitare genuinitate, praesertim cum non veritatis tuendae gratia, sed ut scripta illorum de jure episcopatus errori contraria ab hominum memoria obliterarent. Hac ergo missa celeberrima controversia, de qua consuli possunt ex haereticis, Jacobus Usserius, Johan. Gerardus Vossius, Hammondus, Cave, Clericus; et ex Catholicis Tillemontius, N. Alexander, Annatus, Dupinius, Ceillerius, Berti, aliique; hac, inquam, praetermissa controversia, promamus modo luculentissima S. Martyris testimonia Verbi divinitatem mirifice comprobantia. In ep. ergo ad Ephes. initio, *Electae*, inquit, *per voluntatem Patris, et Jesu Christi Dei nostri Ecclesiae, quae est Ephesi in Asia*. In ep. ad Smyrn. *Quod Philonem, et Rheum, et Agathopodem ... ut Christi Dei ministros exceperitis, bene fecistis*. Hic aperte Christum appellat Deum. Item in ep. ad Ephes. scribit: *Unus medicus est carnalis, et spiritualis, genitus, et ingenitus*, γεννητὸς καὶ ἀγέννητος, *in homine existens Deus, in morte vita vera, et ex Maria, et ex Deo, primum passibilis, et nunc impassibilis J. C. D. noster*. Et infra: *Unus igitur doctor, qui dixit, et factum est. Nihil latet Dominum, sed et arcana nostra prope ipsum sunt omnia, itaque faciamus, sicut ipso in nobis habitante; ut illius simus templa, et ipse sit in nobis Deus noster*. Allatis in verbis nonne luculentissime traditur duplex in Christo natura, una impassibilis, immortalis, divina; altera passibilis, mortalis, humana? Tribuitur praeterea Christo omnipotentia, omniscientia, omnipraesentia, templum: qui verae divinitatis sunt characteres. In ep. denique ad Magnesianos inquit: *Qui sine Patre nihil fecit ipsi unitus, neque per seipsum, neque per Apostolos*. Et paullo ante dixerat: *Qui ante saecula apud Patrem erat, et in fine apparuit*. Et deinde subdit: *Etsi Filius principium habet Patrem suum: tamen quatenus ex principio est, concurrentem cum ipso habens existentiam, non erit ei dissimilis substantia. Nam quia est ex principio, ideo consubstantialis principio. Porro quod est Patri consubstantiale, id adventitium non est in tempore, ne et Pater ipse talis reperiatur*. Haec sane Arianorum Socinianorumque deliramentis directe opponuntur.

Sed inquiunt: Ignatius affirmat Filium esse Patri subjectum; et a Patre missum tamquam illius administrum. 2. Quod explicari non potest de humana Christi natura; quoniam in ep. ad Smyrn. docet Verbum esse Dei Filium secundum Patris potentiam et voluntatem. 3. Et more quidem creaturarum: Nam comparat Patrem episcopo; Filium autem presbytero. Porro Episcopum inter atque Presbyterum diversitas intercedit dignitatis; proindeque affirmans Ignatius Verbum esse Dei Filium secundum Patris potentiam ac voluntatem, vult procedere illum a Patre more creaturarum.

Resp. ad 1. haec affirmare Ignatium de Christi humana, non divina natura. Et revera Christus secundum humanam naturam Patri subjectus est.

Ad 2. Dum ait S. Martyr Verbum esse Dei Filium secundum voluntatem et potentiam Patris, significare vult a Patre gigni voluntarie et non coacte, non quod a Patre producatur ad instar creaturarum: Non enim a Patre infirmo ac necessitate coacto, sed potente et volente gignitur Verbum.

Ad 3. Comparat Ignatius Patrem episcopo, Filium vero presbytero non ratione gradus ac dignitatis, sed ut doceat Filium recipere esse a Patre, quomodo Presbyter sacerdotalem recipit dignitatem ab Episcopo.

CAPUT VI.

Promit pro Verbi divinitate ejusque cum Patre consubstantialitate perpetuam secundi saeculi traditionem.

I. Ignatio martyri non necessitudine modo et caritate, sed fide quoque devinctissimus fuit Polycarpus S. Johannis Apostoli quondam et ipse auditor; tum Smyrnarum episcopus ab eodem Apostolo constitutus; ac denique Christi martyr effectus, Marco Aurelio et Lucio Vero imperantibus anno 166. Hic ergo in ep. ad Philippenses (quam genuinum opus illius esse nemo in dubium revocat, si solos veritatis hostes Centuriatores excipias magdeburgenses; et ex parte Johannem Dallaeum,) praeclarissimum Verbi divinitati suppeditat argumentum. Sic enim inquit: *Epistolas Ignatii transmisimus vobis, sicut mandastis, ea quibus magnus vobis erit fructus. Continent enim fidem ad Christum Dominum pertinentem.* Et paullo supra scripserat: *Deus, et Pater D. N. J. C. et ipse sempiternus Pontifex Dei filius Christus Jesus aedificet vos in fide et veritate, et det vobis partem et sortem inter sanctos suos.* Ac denique morti proximus ita Deum deprecatus est, ut Ecclesia smyrnensis in ep. de illius martyrio narrat: *Pater dilecti et benedicti Filii tui Jesu Christi, Deus Angelorum ... de omnibus laudo te cum sempiterno, et caelesti Jesu Christo Filio tuo dilecto, cum quo tibi et Spiritui Sancto gloria nunc, et in futura saecula.* Polycarpus, juxta allatam mox sententiam, eamdem habet cum Ignatio fidem. Nam appellat Christum Deum Deique Filium ac sempiternum Pontificem docet Christum sanctitatem et gloriam elargiri hominibus, et eodem adorandum esse cultu cum Patre; atque adeo verum esse Deum Patri consubstantialem credit.

Sed inquiunt: Polycarpus ad Philip. scribens, antonomastice appellat Patrem Deum; Filium vero sacerdotem: unde diversam statuere in Patre et Filio naturam videtur.

Resp. Polycarpum antonomastice appellare Patrem Deum, imo et Domini Jesu Christi Deum, quoniam Pater fons est et origo aliarum in divinis personarum. Ait autem Christum esse sacerdotem ratione humanae naturae: quod sane divinam ab eo non excludit naturam; praesertim cum Christum non simpliciter sacerdotem, sed *Sacerdotem* appellet *sempiternum*.

II. Sub eodem Marco Aurelio pro Christo martyr occubuit anno 163. S. Justinus qui duplici pro Christianis apologia, dialogo cum Tryphone adversus Judaeos, et oratione paraenetica ad Graecos, magnum sibi nomen comparavit. Immerito Sandius et Episcopius sanctissimum virum eis qui Arianis praeluserunt accensent. Nam in apologia 1. quae secunda reipsa est, ita loquitur: *Porro Filius ejus, qui solus proprie dicitur Filius, Verbum simul cum illo ante creaturas existens et nascens, quoniam primitus per eum cuncta condidit et ornavit etc.* In apologia 2. quae est prima, haec alia habet: *Fatemur nos talium deorum esse expertes et atheos, sed non verissimi illius Dei Patris videlicet justitiae ... et ab omni vitii mixtione et labe alieni expertes: verum hunc ipsum, et qui de eo venit (atque nos ista, et aliorum famulantium assimilatorumque bonorum Angelorum exercitum docuit) Filium et Spiritum S. colimus et adoramus*. Et in dial. cum Tryph. *Virtutem istam*, inquit, *quam Deum sermo propheticus vocat, non ut solis lumen nomine tantum numerari, verum numero aliud quiddam esse, ratione exquisita supra paucis explicavi; virtutem hanc dicens de Patre genitam virtute et consilio ipsius, non per abscissionem, tamquam dispertita esset Patris essentia; prout alia omnia divisa et secta non eadem sunt, quae antea fuerunt quam scinderentur*. Ibidem Tryphoni asserenti *rem incredibilem esse, quod Christus sit Deus ante omnia saecula existens*, respondet Justinus rem quidem difficilem intellectu esse, sed tamen veram. Innumera hujus generis alia sunt in Sancti Martyris operibus. Interim Christianorum omnium nomine docet Justinus Deo Patri Filium esse Verbum ante creaturas existens et nascens, per quod facta sunt omnia: Filium cui cultus et adoratio eodem modo ac Patri debeatur: Filium qui diversam habeat a Patre personam, non naturam; utpote qui non per abscissionem substantiae genitus sit: Filium denique, qui existens Deus ab aeterno, carnem assumpsit in tempore. Qui talia porro de Verbo Patris fatetur, numquid Arianis praelusit?

Ut adversarii ad suas partes Justinum trahant, sequentia objiciunt. I. Justinus in dial. cum Tryph. docet Christum *numero aliud quiddam esse a Patre*. Jam vero aliud quiddam numero, in genere neutro, non obscure significat Filio aliam diversam esse a Patre naturam. II. Appellat ibidem Patrem *caussam* Filii: adeoque Filium effectum existimavit Dei Patris universorum. III. In apol. autem 2. Filium dicit potestatem secundam a Patre, eique secundas post Patrem deberi: Ergo etc.

Sed haec parvi momenti sunt. Atque ad 1. docet Justinus Christum aliud quiddam esse numero a Patre, hoc est, aliam numero personam, non aliam numero naturam. Aggreditur quippe ibidem nonnullos Ebionis gregales qui *Dei virtutem a Patre nullo pacto discerni, et nomine tenus ab eo differre* putabant, ut ipsemet loco citato scribit. Ceterum eo loci subdit Justinus, *Filium a Patre esse genitum, ita ut non sit dispertita essentia*.

Ad 2. Appellat Justinus Patrem caussam Filii lato quodam sensu, su-

mendo caussam pro principio, non quatenus caussae respondeat effectus. Nec Justinus modo, sed omnes graeci Patres, etiam post Nicaenum I. concilium, Patrem Filii caussam appellarunt, prout videlicet nomen illud originem exprimit. Eo autem sensu loquutum fuisse Justinum vel ex eo patet, quod conceptis terminis crebro affirmet Patri ac Filio esse naturam communem.

Ad 3. Affirmans Justinus Filium secundam habere a Patre potestatem, exprimere vult Filium per generationem originem trahere a Patre, non Patrem inter ac Filium diversitatem adstruere naturae. Nam nonnullos ibi refellit haereticos quibus postea Sabellius adhaesit, qui nullam dari in divinis distinctionem affirmabant, et Patrem Filium ac Spiritum S. tria esse unius personae nomina: quos ut refellat inquit Filium esse secundam a Patre potestatem, ac secundo loco post Patrem venerari.

Addunt praeterea haec alia. Justinus in dial. cum Tryph. suadere volens veteribus Patriarchis non Patrem, sed Filium apparuisse, scribit: *Iste qui a Patriarchis est conspectus, Deus et Angelus et Dominus appellatur, ut vel ex his intelligatis ipsum universorum Parenti ministrasse*. Subinde addit, ubi in sacris litteris legitur apparuisse Deum hominibus, cavendum esse ne credamus apparuisse Patrem: *Cavete*, inquit, *putetis vel ipsum ingenitum Deum descendisse aliunde, vel ascendisse*. Atque hanc affert rationem: *Etenim ineffabilis Pater ac Dominus omnium, neque profectus est aliquo, neque ambulat, neque dormit, neque surgit: sed in suo ubicumque demum manet loco, intuens et audiens, non oculis etc. nec movetur cum loco nullo, ac ne mundo ipso quidem contineri possit; quippe qui antequam mundus esset, extiterit*. Ac paucis interjectis: *Igitur nec Abraham ... vidit Patrem et ineffabilem Dominum omnium simpliciter, adeoque ipsiusmet Christi: sed illum qui de ipsius voluntate Deus est ejus Filius et Angelus, ex eo quod illius voluntatis administer sit, quem et hominem nasci per Virginem voluit*. Ex his sequentes eruunt ratiocinationes. I. Verus ac altissimus Deus, uti est Pater ingenitus, per Justinum est invisibilis; Filius vero visibilis: Ergo Filius non est Deus verus ut Pater. II. Docet Justinus Patrem esse invisibilem; quoniam immensus, incircumscriptus est, nec loco movetur. Quum itaque Filius visibilis sit, sequitur per Justinum non esse immensum et incircumscriptum: adeoque nec verum Deum. III. Atque hinc est quod illum appellat ministrum et Angelum Patris. IV. Affirmat praeterea Filium fuisse a Patriarchis conspectum; quoniam de ipsius Patris voluntate Deus est, et Filius, et Angelus. Qui haec omnia dicit, diversam plane in Filio ac in Patre admittit naturam.

Resp. ad 1. Hoc sensu Justinus Deum Patrem appellat invisibilem: quoniam quum ad ipsum humanae salutis oeconomia non pertineret, non debuit per assumptam formam se praebere conspiciendum hominibus. Eadem de caussa Filium appellat visibilem: quoniam quum ad illum humana spectaret redemptio, debuit per assumptam formam etiam in veteri Testamento hominibus apparere. Nam totius controversiae cardo Justinum in-

ter ac Tryphonem in hoc situs erat: An veteribus Patriarchis Pater vel Filius apparuerit. Trypho Judaeorum assumens partes, ne in divinis admittere cogeretur pluralitatem personarum; proindeque Messiam alteram esse de Trinitate personam; contendebat illum qui antiquis apparuit Patriarchis fuisse Deum Patrem. Contrarium vero sustinebat Justinus, atque ad suam communiendam sententiam ajebat Deum Patrem invisibilem esse, nec caelestia posse relinquere spatia, aut in exigua terrae conspici parte: atque adeo illum qui Patriarchis visibilis apparuit aliam fuisse a Patre personam. Ac si ita argueret; Ideo Deus veteribus Patriarchis se conspiciendum exhibuit, ut ad fidem Incarnationis eos sensim disponeret: Incarnationis oeconomia non ad Patrem, sed ad Filium proprie pertinebat: Qui itaque apparuit non Pater erat, sed Filius: Cumque rursus ille qui apparuit Deus esset altissimus, consequitur Filium esse Deum pluresque dari in divinis personas: quod Judaeus inficiabatur. Hanc esse sancti Martyris mentem id maxime suadet, quod caussas assignans cur Filius visus dicatur non Pater, inquit: quoniam qui visus est, dicitur in Scripturis, *Angelus* et *Missus*: quae duo nomina Patri qui ingenitus est, convenire non possunt. Quod nisi haec mens Justini sit, Dei Filium visibilem et attrectabilem ad instar hominum, in propria natura existimasse dicendus esset: adeoque non Arianis modo, sed et Anthropomorphitis praelusisse: quod nemo adhuc de illo somniavit. Accedit his, quod alibi etiam Filium invisibilem, immensum, incircumscriptum passim affirmat. Ac postremo eadem prorsus usi sunt loquendi ratione etiam Patres qui post Nicaenum scripsere concilium, ut Hilarius lib. 4. de Trinit. sub fine, Theodoretus lib. 5. adv. haer. cap. 1., Prudentius in apotheosi cont. Patripass., Cassianus lib. 4. de Incarn. cap. 9. innumerique alii quos Verbi denegasse consubstantialitatem nemo sane affirmaverit.

Ad 2. Asserit Justinus Patrem esse invisibilem, non quod solus ipse immensus sit et incircumscriptus, sed quoniam quum a nemine procedat, repugnat ut mittatur, et formam aliquam assumat. E contra vero Filius qui natura sua invisibilis est ac incircumscriptus, missus est a Patre a quo genitus est, in assumptaque forma visibilis apparuit et attrectabilis patribus nostris, ut homines ad ineffabile Incarnationis disponeret mysterium. Animadvertere hic tamen juvat non esse a veteribus tam exactas exigendas loquutiones: alioquin integrae resecandae forent ratiocinationes. Ita v. g. ne a Justino discedam, loco superius citato caussam afferens cur Pater loco circumscribi non possit, inquit: quoniam antequam mundus fieret, extitit. An ne proinde negat Filium quoque ante mundum extitisse? Minime gentium: quum aeternum crebro illum appellet. Sicut ergo allata mox ratione Deum universorum loco non indigere statuit, quoniam antequam locus esset, jam existebat; nec proinde Filio denegat aeternitatem: ita dum inquit Patrem esse invisibilem, quia immensus est et incircumscriptus; statuit quidem illius immensitatem, sed Filium immensum esse et incircumscriptum in sua natura non negat.

Ad 3. Docet Justinus Filium esse Patris ministrum lato quodam non

stricto ac rigoroso sensu. Minister namque proprie dictus ille est qui nec suo nomine, nec sua agit potestate: sed dependentiam habet ab eo cujus est minister. Qui vero improprie minister est, sic appellatur, quod ab eo cujus minister dicitur, accipiat essentiam. Hoc autem, non illo sensu Justinum affirmasse Filium administrasse Patri, vel ex eo patet quia eodem in loco ex professo demonstrat Christum eum eumdem esse qui dixit Moysi, *Ego sum qui sum*. Quis autem qui talia est affatus dixerit ministrum non Dominum, hominem non Deum, creaturam non conditorem? Agnoscunt omnes Deum altissimum solum per illa verba exprimi posse et non alia. Ad haec, etiam Hilarius lib. 5. de Trinit., et Gregorius Nazianzenus orat. 36. scribunt Filium in mundi conditione ministrasse Patri: nec proinde Arianis sunt accensendi. Eo ergo sensu loquitur Justinus cum inquit Patrem praecepisse Filio ut mundum conderet, Filium vero praecepto Patris paruisse: ut quemadmodum minister et filius nihil potest agere, nisi potestatem et virtutem receperit a principe vel patre suo; ita nec Christum mundum fabricare potuisse, nisi receperit a Patre potestatem illum fabricandi: quamque potestatem a Patre recepit, cum ab eo accepit originem. Propterea Christus affirmabat omnia quae ipse habebat, sibi donata esse a Patre suo.

Ad 4. Verbum appellatur a Justino Filius de voluntate Patris non more creaturarum, sed quatenus libere, non coacte genitus est. Quae ex lib. QQ. et RR. ad orthodoxos opponit Sandius, non moror: quoniam ipso Sandio teste, volumen hoc supposititium est, et fidei suspectae.

III. Melitonis sardensis episcopi viri doctissimi qui apologiam pro Christianis anno 170. M. Antonino imperatori obtulit, opera omnia perierunt; nec nisi fragmenta quaedam apud Eusebium in litteris de H. E. et Chronicon alexandrinum modo supersunt. Ex hisce autem fragmentis apparet credidisse illum in Verbi divinitatem, ejusque cum Patre consubstantialitatem: Nam in Chronico alexand. ad olimpiad. 236. ait Melito, *Christianos non lapides sensus omnis expertes adorare, sed Deum unum qui est ante omnia et in omnibus: nec non et Jesum Christum qui est Deus et Dei ante omnia saecula Verbum*. Jam vero qui Deus est ac Dei Verbum ante omnia saecula, Patri certe est consubstantialis: Ergo etc.

IV. Athenagoras philosophus atheniensis et ipse apologeticos libros pro christiana Religione misit ad M. Aurelium Antoninum, et L. Verum Commodum, in quibus praeclarissima divinitatis consubstantialitatisque Verbi occurrunt argumenta. Pag. enim. 10. de Filio disserens inquit: *Non est, quod quis ridiculum putet Deo Filium a me attribui. Non enim, ut poetae fabulantur qui nihilo meliores hominibus Deos faciunt, vel de Deo Patre vel de Filio sentimus. Sed Filius Dei est Verbum Patris in idea et efficacia: ab ipso enim et per ipsum facta sunt omnia, cum Pater et Filius unum sint: ita ut Filius sit in Patre, et Pater in Filio per unionem et potentiam Spiritus, siquidem mens et Verbum Dei Filius Dei est. Primigenia hic est Patris progenies, quae non ut facta, a principio enim Deus qui est mens aeterna, ipse in seipso* λόγον,

hoc est, Verbum et rationem habet, cum rationalis ipse aeternum sit, sed ut rerum cunctarum idem et perfectio foret, progressa est. Pagina autem sequenti subdit: *Quis igitur non miretur, cum audiat nos qui Deum Patrem praedicamus, et Deum Filium, et Spiritum Sanctum, eorum in unitate virtutem, et in ordine distinctionem explicantes, atheos vocari?* Et pag. 27. concludit: *Deum asserimus et Filium ipsius Verbum et Spiritum S. virtute unitos, Patrem et Filium et Spiritum Sanctum. Filius enim Patris mens, verbum, et sapientia est, et spiritus effluentia, ut lumen ab igne*. Qui confitetur Filium Dei esse Verbum Patris in idea et efficacia: esse mentem et rationem ipsius Patris, et quidem ab aeterno: esse rerum omnium caussam effectricem: Patrem esse in Filio et Filium in Patre, Patrem item et Filium in Spiritu Sancto, et vicissim per circuminsessionem: Patrem, Filium, ac Spiritum Sanctum esse virtute unitos, ordine autem distinctos; is perfectissimam habet de Trinitate fidem: Ast haec affirmat Athenagoras ut ex recitatis apparet; Ergo etc.

Sed Athenagorae accusatores objiciunt. 1. Athenagoras ait: *Habuit enim Deus qui est aeterna mens, a principio ipse in seipso λόγον, cum aeternum sit rationalis*: His significare videtur Verbum ipsam esse Patris rationem: Adeoque more sabelliano Patrem inter ac Filium omnem denegat distinctionem. 2. Praeterea, affirmat Verbum prius extitisse in Patre secundum substantiam, quam existeret secundum hypostasim. 3. Atque id asserere videtur ut temporis exprimat durationem, et Filii a Patre insinuet dependentiam. Nam ait ibidem Athenagoras tum Verbum a Patre prodiisse, cum rerum ex nihilo educta est universitas: unde et addit Verbum primam esse Patris progeniem, quod a Patre prodierit ad mundum condendum.

Haec autem facillimae sunt solutionis. Et ad 1. Athenagoras tradit Verbum ipsam esse Patris rationem essentialiter quidem unitam, sed distinctam personaliter a Patre; non vero essentialiter simul ac personaliter Patri conjunctam. Nam quae allata in argumento sunt scripsit sanctus ille Pater ut demonstraret, Verbum non in tempore, sed ab aeterno extitisse: sicque argumentatur. Filius est λόγος τοῦ πατρός, *ratio Patris*: Ergo Pater quum semper fuerit λογικός, *rationalis*, semper apud se habuit Filium. Quo argumenti genere usus est etiam Athanasius orat. 2. cont. Arian. in haec verba: *Deus ex aeterno est: ex aeterno igitur existente Patre ex aeterno quoque existet ejus splendor, quod ipsum est Verbum*; nec proinde Athanasius Sabellianis adhaesit.

Ad 2. Loquutione illa exprimere voluit Athenagoras rationem originis quam Filius habet a Patre, non durationem temporis, et Filii dependentiam. Teste enim ipso Ario in ep. ad Euseb. Nicom. etiam Alexander alexandrinus episcopus, ut Filium creaturam non esse exprimeret, ajebat in sua semper extitisse essentia apud Patrem, etiam antequam haberet hypostasim. Nemo autem Alexandrum arianismi insimulavit; quum illud, *antequam*, per nostrum concipiendi modum, non physice debeat intelligi.

Ad 3. Loquitur ibi Athenagoras de Verbi processione *ad extra*, non

ad intra. Nam duplicem distinguebant antiqui Verbi a Patre processionem, aeternam unam, *ab intra*, latentem, quae est proprie dicta generatio; alteram temporalem ad extra et manifestam, quando eductus est e nihilo mundus. Ex quo enim mundus conditus est per Verbum, cognovimus nos aeterno Patri Filium esse ejusdem naturae. Atque hoc sensu primam Patris progeniem appellat Filium; habito nempe respectu ad processionem sensibilem, non quasi tunc primum genitus fuerit.

V. Sub secundi saeculi finem floruit Theophilus antiochenus episcopus, cujus tres tantum libri adversus christianae Religionis obtrectatores modo existunt. In his autem eximia occurrunt divinitatis Verbi argumenta; ait namque: *Nec arbitreris, ut poetae et fabularum scriptores perhibent, deorum filios ex concubitu esse natos: sed intellige, ut veritas docet,* τὸν λόγον, (Verbum,) *aeternum, existentem, atque insitum in corde Dei. Antequam enim quidquam factum esset, hunc consiliarium habuit, ut qui mens et prudentia ejus sit. Cum vero jam condere quaecumque deliberaverat instituisset, hunc* λόγον, *genuit prolatum primogenitum omnis creaturae, non quasi Verbo ipse exinanitus fuerit: sed Verbum gignens cum Verbo suo aeternum conversatus est*. Exscripsisse videtur Theophilus apologiam Athenagorae, ut ex sententiarum patet collatione. Quare eodem sensu utriusque loquutiones ac phrases sunt accipiendae: eodemque modo solvendae difficultates quae a Petavio aliisque Theophili calumniatoribus urgentur.

VI. Paullo diutius immorandum in scriptis Irenaei lugdunensis episcopi, genere asiatici, Polycarpi discipuli, et martyris sanctissimi. Is ergo lib. 1. adv. haer. cap. 2. vult, *Ut Christo Jesu Domino nostro, et Deo omne genu curvetur, caelestium, terrestrium, et infernorum*. Ejusd. libri cap. 23. inquit: *Non enim infectus es, o homo; neque coexistebas Deo, sicut proprium ejus Verbum*. Et cap. 19. scripserat: *Nihil omnium indiget Deus, sed per Verbum et Spiritum Sanctum omnia faciens et disponens et gubernans et omnibus esse praestans*. Lib. 3. cap. 6. *Neque Dominus*, inquit, *neque Spiritus Sanctus, neque Apostoli eum, qui non esset Deus, definitive et absolute Deum nominassent aliquando, nisi esset verus Deus; neque Dominum appellassent aliquem ex sua persona, nisi qui dominatur omnium, Deum Patrem et Filium ejus, quemadmodum habet illud: Dixit Dominus Domino meo: sede a dextris meis. Patrem enim Filio colloquutum ostendit*. Et rursus concludit: *Vere igitur cum Pater sit Dominus, et Filius vere sit Dominus, merito Spiritus Sanctus Domini appellatione signavit eos: et iterum in eversione Sodomitarum Scriptura ait: Et pluit Dominus* etc. Luculentiora adhuc sunt in cap. 18. ejusd. lib. ubi sic ait: *Non alium quidem Jesum, alterum autem Christum suspicaremur esse, sed unum et eumdem sciremus Deum esse; hoc ipsum interpretatus est Paulus scribens ad Romanos ... Quorum Patres, et ex quibus est Christus secundum carnem, qui est Deus super omnia benedictus in saecula*. Lib. denique 4. cap. 8. *Omnia*, inquit, *mensura et ordinate fecit Deus ... et bene qui dixit*,

ipsum immensum Patrem in Filio mensuratum . Mensura enim Patris Filius , quoniam et capit eum . Nunc ad rem nostram veniamus . Qui docet et credit Verbum ab hominibus , Angelis , doemonibusque esse adorandum : Verbum conditorem esse , atque universorum gubernatorem : Patri semper coextitisse : appellari in Scripturis Deum ac Dominum , quomodo Deus et Dominus appellatur Pater : qui docet Jesum et Christum unum esse Deum : atque hunc immensitate , ut Patrem , gaudere : et non modo haec asserit , sed illa iisdem Scripturae textibus demonstrat quibus ad illa firmanda nunc utuntur Catholici , quis inficiari poterit credere illum Verbum esse Deum , ac Patri consubstantiale ? Porro haec omnia credidit , et affirmavit Irenaeus .

Plura tamen ex Irenaeo congerunt illius adversarii , quae cum Verbi divinitate minime cohaerere arbitrantur . Inquiunt enim I. Lib. 3. cap. 8. contendere solum Patrem appellandum esse Deum . II. Patrem praecepisse Filio ut mundum conderet , ex quo dicat : *Cui ergo praecepit ? Verbo scilicet , per quod caeli firmati sunt* . III. Lib. 4. cap. 17. affirmare Filium ministrare Patri : *Ministrat ei ad omnia sua progenies , et figuratio sua, idest Filius , et Spiritus Sanctus* . IV. Lib. autem 2. cap. 49. in Filio ignorantiam astruere extremae diei .

Sed haec levissima sunt . Et ad 1. contendit Irenaeus solum Patrem appellandum esse Deum , ad exclusionem non Filii et Spiritus Sancti , sed *Demiurgon* Gnosticorum quem hi haeretici mundum condidisse tradebant : atque adeo esse Deum summum appellandum . A nomine autem et consortio Divinitatis non excludere Filium ac Spiritum Sanctum ex locis proxime recitatis satis superque fit manifestum .

Ad 2. Praeceptum quod Patrem dedisse Filio affirmat Irenaeus , non proprie sumptum , hoc est , Domini ad servum : sed improprie , Patris nimirum ad Filium , quatenus per divinam generationem propriam communicat Filio naturam intelligit . Hinc loco in argumento laudato demonstrat Filium nec subditum esse , nec creaturis aequandum : *Sed nec quidquam ex iis , quae constituta et in subjectione sunt , comparabitur Verbo Dei , per quod facta sunt omnia , qui est Dominus noster Jesus Christus* .

Ad 3. Eodem modo Filius, per Irenaeum , ministrat Patri , ministerio videlicet lato , non stricto sensu accepto ; quum demonstrare adversus Gnosticos sibi proponat non potuisse Angelos Patri universorum Domino in mundi conditione assistere , quoniam merae sunt creaturae : eaque de caussa opus fuisse ut Patri in condendo mundo Verbum ejus administraverit . Consimilia absque erroris periculo post Nicaenum I. concilium Athanasius in lib. de decr. Nic. syn. , Marius Victorinus lib. 1. de rer. creat. , Hilarius lib. 4. de Trin. , Basilius lib. de Sp. S. cap. 6. tradiderunt .

Ad 4. Irenaeus astruit extremae diei ignorantiam in Filio , non prout Deus est , neque prout homo Christus : sed prout homo in se consideratus juxta naturalem humanitatis virtutem . Non excludit , inquam , S. ille Martyr a Christo , ut Deus est , extremae diei notitiam : quoniam docet Deum esse ac Dominum , quomodo Deus ac Dominus est Pater . Sed neque eam

scientiam ab eodem Christo removet secundum humanitatem hypostatice conjunctam divinitati : quoniam ait ibidem : *Spiritus Salvatoris qui in eo est, scrutatur omnia et altitudines Dei*. Remanet ergo ut extremae diei scientiam excludat a Christi humanitate nude ac seorsim a divinitate considerata. Adde quod plures graeci Patres post Nicaenum concilium eamdem hac in re adhibuere phrasim cum Irenaeo.

VII. Tit. Fl. Clemens alexandrinus presbyter, Patrum doctissimus, ad finem vergente secundo saeculo, plura scripsit quae etiam nunc extant, Protrepticum videlicet seu Adhortationem ad gentes, libros tres Pedagogi, et octo Stromatum, in quibus tam aperta habet pro Verbi divinitate momenta, ut dubitare de illius hac in caussa fide idem sit ac velle luci oculos sponte claudere. Percurramus singula illius volumina. In Adhort. ad Gent. *Crede*, inquit, *homo, ei qui passus est, et ei qui adoratur, Deo viventi : credite, servi, mortuo : credite, omnes homines, ei qui solus Deus est omnium hominum*. Et iterum : *Verbum divinum, qui est manifestissime verus Deus, qui universorum Domino exaequatus; quoniam erat ejus Filius, et Verbum erat in Deo*. Et infra : *Æternus hic est Jesus* etc. In lib. 1. Pedag. cap. 5. ad illa Isaiae verba, *Et vocabitur admirabilis* etc. quae de Christo intelligit, sic exclamat : *Oh perfectum puerum! Filius in Patre, et Pater in Filio! Oh magnum Deum!* Et cap. 6. *Unus quidem est universorum Pater : unum etiam est Verbum universorum : et Spiritus S. unus, qui et ipse est ubique*. Et lib. 3. cap. 7. *Nullius rei indigens est, qui Verbum habet Deum omnipotentem*. Ita autem universum opus concludit : *Propitius esto tuis, o Pedagoge, pueris, Pater auriga Israel, Fili et Pater, unum ambo Domine. Soli Patri et Filio, Filio et Patri, Pedagogo et Magistro Filio una cum Sancto Spiritu per omnia uni, in quo omnia, per quem omnia unum, per quem est quod semper est, cujus sunt gloria, et saecula ... cui gloria nunc, et in saecula saeculorum, amen*. Strom. lib. 4. inquit : *Dominum Jesum, dico, qui omnipotente sua voluntate cordium nostrorum inspector est*. Et lib. 7. *Verbum*, ait, *undequaque diffusum vel minima ex iis inspicit, quae in vita geruntur*. Superfluum puto ad singula digitum pro more intendere, ut inde colligamus Clementem alexandrinum perfectissimam tenuisse de Verbi cum Patre consubstantialitate sententiam.

Quidquid ergo in contrarium afferunt nullius ponderis est. Nam ajunt I. In lib. 5. Strom. affirmat Verbum esse πρωτόκτιστον σοφίαν *primo creatam sapientiam* : quod lib. 6. Strom. repetit dicens : *Unus est revera Deus, qui fecit principium universorum, significans primogenitum Filium*. II. Lib. 2. Strom. realem inter Patris ac Filii naturam statuit distinctionem, scribens naturam Filii esse *soli omnipotenti conjunctissimam*. III. Ipse quoque tradit Filium voluntati servire Patris.

Resp. ad 1. Si forte Arianorum fraude πρωτότοκος primogenitus, in πρωτόκτιστον non fuit commutatum, affirmat Clemens Verbum esse primocreatum et factum, hoc est, primogenitum et genitum more Graecorum, non e nihilo eductum. *Certe veteres theologi*, ut verbis utar Valesii in notis ad

Eusebium, *ac praecipue ii qui ante Nicaeni concilii tempora scripserunt, per vocabulum*, κτίζειν, *non solam creationem intellexerunt, quae ex nihilo fit, sed omnem generaliter productionem tam quae ab aeterno esset, quam quae in tempore*. Quo sensu verbum illud accepisse Clementem ex sententia secundo loco allegata patet, ubi post illa verba, *Qui fecit principium universorum*, e vestigio subdit: *Significans primogenitum Filium*, ut ostenderet se verbum, κτίζειν, pro generatione quae ab aeterno fit, accepisse. Possunt et alia huic argumento reponi, quae vide ap. Jo. Laurentium Berti lib. 8. de th. disc. cap. 5.

Ad 2. Dum inquit Clemens Filii naturam esse Patri propinquissimam, idem est ac si dicat esse unam eamdemque cum natura Patris, non vicinissimam. A veteribus enim qui ante ariana floruere tempora, quum securius in Ecclesia Dei loquerentur, non est accuratissima loquendi ratio exigenda. Quare duriuscula illa phrasi exprimere voluit Clemens naturae inter Patrem ac Filium identitatem. Nam primo inquit Filii naturam esse propinquissimam *soli omnipotenti*. Ast si illum meram existimasset creaturam, ut Clericus post Petavium contendit, non omnipotenti soli, sed creaturis quoque, imo his maxime propinquissimam Filium habere dixisset naturam. Deinde quoniam illico subdit, *Dei Filius, non divisus, non dissectus, non migrans de loco in locum, sed ubique semper existens, nec ullo modo circumscriptus, totus oculus, omnia videns, omnia audiens, omnia sciens, potestates potestate perscrutans*. Haec porro attributa naturam nullo modo a Patris natura diversam supponunt in Filio.

Ad 3. Filius a Clemente Patris dicitur voluntati servire in lato quodam sensu, prout videlicet illius complet voluntatem. Demonstrat enim ibi neminem impedire posse Filium aeternam hominum salutem procurantem.

Superfluum arbitror tempus terere in referendo Photii judicio in libros Clementis Hypotyposeon, qui cod. 109. biblioth. ait Clementem *Filium etiam ad creaturae sortem deprimere, et alia id genus sexcenta blasphema voce nugari, et blaterare*: Nam probabile admodum est libros illos fuisse ab Arianis corruptos 1. Quoniam in aliis Clementis operibus oppugnantur fabulae quae in libris occurrunt Hypotyposeon, ipso judice Photio ad. 109. biblioth. ubi inquit: *Multa quae ibi dicta fuerunt, oppugnat*. 2. Quia Photius idem post allata verba ita prosequitur: *Sive ipse, sive alius quispiam, qui personam ejus agit*. 3. Quoniam, teste Rufino apol. pro Orig., plura Clementis opera fuerunt ab Arianis interpolata. Hinc optime Guilelmus Cave: *Si hi libri fuissent profanis illis ac venenatis dogmatibus Eusebii aevo infecti, vix credibile est eum obscure saltem hoc significaturum non fuisse. Dignum quoque observatu est, quod Photius animadvertit, haec aliis ejus libris minime confirmari, imo etiam multa eorum aperte in illis oppugnari*.

VIII. Patrum hujus saeculi chorum claudet Victor Romanus Pontifex Eleutherii successor qui anno Ae. V. 201. obiit. Ita de illo Cajus Ecclesiae Romanae presbyter apud Eusebium H. E. lib. 5. cap. 28. loquitur: *Theodotus Coriarius qui defectionis parens et auctor fuit, primusque*

Christum nudum esse hominem aperuit, per Victorem a communione Ecclesiae ejectus fuit. Victor ergo cum tota Ecclesia Romana credebat Christum esse Deum.

CAPUT VII.

Breviter recensentur tertii saeculi Patres expresse asserentes Verbum esse Deum Patrique consubstantiale.

I. Ecclesiasticorum hujus tertii saeculi Scriptorum dux erit Cajus paullo ante commemoratus Ecclesiae Rom. presbyter doctissimus, qui adversus Artemonem Christum esse Deum denegantem singulare volumen concinnavit. Haec autem inter cetera ap. Eusebium loco paullo supra indicato habet: *Fortasse id quod dicunt* (haeretici Verbo divinitatem negantes) *credibile videretur, nisi eis refragarentur primo quidem divinae Scripturae, deinde fratrum quorumdam scripta, Victoris aetate antiquiora, Justinum intelligo, et Miltiadem, et Tatianum, ac Clementem, aliosque quamplurimos, in quorum omnium libris Christi divinitas adstruitur. Nam Irenaei quidem, et Melitonis, et reliquorum scripta quis est qui ignoret, in quibus Christum Deum et hominem praedicarunt? Psalmi quoque, et cantica fratrum jampridem a fidelibus conscripta, Christum Verbum Dei concelebrant divinitatem ei tribuendo*. Jam hic apparet non Cajum modo, sed et universalem aevi illius Ecclesiam Verbi divinitatem habuisse pro Fidei dogmate; cantica enim et hymni commemorantur omnium Ecclesiarum, quibus Verbi divinitas concelebrabatur. Apparet deinde et Scripturis et traditione etiam tum solitos fuisse fideles contrasententientes refutare. Apparet postremo illius aetatis fideles credidisse sanctos Patres superioribus capitibus a nobis relatos dogma de Verbi divinitate revera admisisse.

II. Hippolytus portuensis episcopus (de Tertulliano enim et Origene agendum nobis seorsim:) florebat circa annum 234. Is praeter Chronicum, opuscula edidit de Theologia et Incarnatione contra Baronem et Helicen, contra Noetum, de Antichristo, aliaque plurima ab Eusebio, Hieronymo, Gelasio, aliisque veteribus recensita, quae spuria esse contendunt Sociniani. Sed quum aliam ad id asserendum caussam non habeant, nisi quia opuscula haec illorum contradicunt erroribus: eadem qua id ipsi asserunt facilitate, nos aperte negamus. Hippolytus ergo de Theol. et Incarn. adver. Baronem et Helicen apud Anastasium bibliothecarium, ita loquitur: *Divinitas ut erat ante Incarnationem, est et post Incarnationem, secundum naturam infinita, incomprehensibilis, impassibilis, inalterabilis, inconvertibilis, per se potens, et ut totum dicam, substantiale quid subsistens* ... Nonne ille cui tot attributa conveniunt, vere et proprie Deus est? Contra Noetum ita librum inscripsit: *Homilia de Deo trino et uno, et de mysterio Incarnationis contra haeresim Noeti*. Sic autem in opere ratiocinatur: *Nihil est Deo coaevum: Nihil erat praeter ipsum:*

Ipse solus multus erat. Nec enim erat sine Verbo ... Quando voluit, et quomodo voluit, ostendit Verbum suum temporibus apud eum definitis, per quod omnia fecit. Et rursus: *Eorum quae facta sunt, ducem, consiliarium, et operarium generabat Verbum*. En Verbum Patri coaevum, conditorem mundi, patrique consiliarium: qui characteres nonnisi vero altissimoque Deo conveniunt. Demum in lib. de Antichristo, ita Christum Dominum alloquitur: *Tu es ille semper existens. Tu una cum Patre initii expers, et coaeternus Spiritus. Tu is es, qui ex nihilo omnia creasti*. Quid ad rem nostram luculentius?

Obscura autem et ambigua sunt haec Arianis. Nam inquiunt: In lib. contra Noetum scribit Patrem esse super omnia proprie Deum. Deinde, Patrem imperare; Filium vero proficere. Et postremo, Verbum processisse in mundi conditione.

Sed haec urgendo contradicendi pruriginem satis ostendunt. Merito namque Hippolytus Patrem dicit Deum super omnia cum aliis omnibus ecclesiasticis Scriptoribus, quoniam ipse fons est et origo totius divinitatis. Hinc Pater imperat imperio lato sensu accepto; Filius vero perficitur, quoniam per generationem essentiam accipit a Patre. Et Filius ille qui a Patre ab intra processit ab aeterno, in tempore processit ad extra ad mundi conditionem.

III. Notum beatissimi martyris Cypriani carthaginensis episcopi in Ecclesia nomen. Mira profecto est haereticorum temeritas e partibus suis lumen hoc Ecclesiae splendidissimum stare jactantium. Nam in lib. de idolor. vanit. Christum expresse appellat Deum, dicens: *Hic est virtus Dei, hic ratio, hic sapientia ejus et gloria ... Deus cum homine miscetur, hic Deus noster, hic Christus est*. Et in lib. de bono patient. repetit: *Hic est Deus noster*. Et, *Pater Deus praecepit Filium suum adorari*. Praeterea in lib. testimon. adv. Judaeos cap. 6. 7. et 8. fuse demonstrat Deum unum esse, nec admittere parem: in cujus sententiae confirmationem praeclarum illud scribit: *Unus omnium Dominus est Deus. Neque enim illa sublimitas potest habere consortem; cum sola omnem teneat potestatem*; et illico addit: *Hic Deus noster, hic Christus est*. In ejus itaque mente Christus sublimitas illa est quae consortem habere non potest: proindeque veri nominis Deus. Quod ut magis demonstret, per singula illa V. T. excurrit testimonia quae de vero Deo loquuntur, eaque de Christo dicta esse contendit. Ac denique in ep. ad Jubajan. de haereticorum disserens baptismate, non posse ab haereticis baptizatos remissam consequi peccatorum affirmat: quoniam fieri nequeunt templum Dei creatoris, aut Christi, aut Spiritus Sancti; et cur Spiritus Sancti fieri nequeant templum reddens rationem, inquit: *Cum tres unum sint, quomodo Spiritus Sanctus placatus esse ei potest, qui aut Patris aut Filii inimicus est?* Viden trium personarum unam naturam? Viden singulis personis adscribi templum?

IV. Proxime a Cypriano nominandus venit Auctor de Trinitate antiquissimus qui vulgo creditur Novatianus. Illustria et hic habet pro catholica Fide testimonia. Capite namque 9. postquam demonstravit unum esse

Deum Patrem omnipotentem, e vestigio subdit: *Eadem regula veritatis docet nos credere post Patrem etiam in Filium Dei Christum Jesum Dominum Deum nostrum: sed Dei Filium hujus Dei, qui unus et solus est*. Et iterum: *Tam enim Scriptura etiam Deum annuntiat Christum, quae etiam ipsum hominem annuntiat Deum:* ex quibus unam in Patre ac Filio esse naturam plane conficitur. Et clarius adhuc cap. 23. *Deus ergo processit ex Deo ... Si homo tantummodo Christus, quid est quod ait: Ego et Pater unum sumus? Quomodo enim, Ego et Pater unum sumus, si non et Deus est Filius, qui idcirco unum potest dici, dum ex ipso est ... per quod Deus est?*

Ast Fidei hostes animadvertunt Novatianum affirmare Filium esse Patre minorem: processisse a Patre initio mundi: et Patrem praecedere Filium: adeoque inferunt arianam illius fuisse sententiam.

Haec vero contrita jam sunt in superioribus, ubi rectam propugnavimus aliorum Patrum similia scribentium fidem; Patrem videlicet majorem esse Filio ratione originis: Filium in mundi exordio a Patre processisse ad extra, et non ab intra: ac denique Patrem origine, non tempore Filium praecedere suum.

V. Anno 265. sancto fine quievit Gregorius, qui et Theodorus, episcopus neocaesariensis mirabilium operum patrator. Multa hic reliquit pro Verbi divinitate momenta quorum, ne longior sim, unicum, illudque praeclarissimum hic recensebo. In Fidei confessione quam B. Virgine jubente, ut narrat Gregorius Nyssenus, Johannes Evangelista illum docuit, haec inter cetera habet: *Unus Deus Pater Verbi viventis, sapientiae subsistentis, et potentiae et characteris sempiterni, perfectus perfecti genitor, Pater Filii unigeniti, unus Dominus, solus ex solo, Deus ex Deo etc. potentia universae creaturae effectiva, Filius verus veri Patris*.

Ex allata tamen Fidei confessione nihil pro Verbi consubstantialitate deduci posse contendunt Ariani: primo quoniam, inquiunt, spuria est; quum nec Eusebius neque Hieronymus illius meminerint. Deinde quoniam affirmat ibidem Gregorius Patrem et Filium unum esse hyposthasi, et sola distingui ratione. Postremo quoniam in disput. adv. Aelianum Gentilem dixit Christum meram facturam, teste Basilio in ep. ad Neoces.

Sed perperam contradicunt. Eusebius enim et Hieronymus non pauca veterum praeteriere monumenta; et e contra de illa Fidei confessione mentionem fecerunt Gregorius Nyssenus in vita Thaum; Basilius et Patres synodi 5. Nomine autem *hypostasis*, quod est secundo loco objectum, intelligit multorum more veterum naturam, non personam. Tertium vero diluitur ipsius Basilii verbis: *Hoc non dogmatice neque affirmando, sed concertantis more in disputatione adversus Aelianum ab eo dictum esse intelligere nequiverunt, qui propter intelligendi subtilitatem beatos sese reputant. Porro cum Gentilem ad fidem adducere niteretur, non existimavit sibi circa verba accuratius disceptandum esse*.

VI. Eodem anno quo Gregorius Thaumaturgus, obiit quoque Dionysius alexandrinus episcopus Origenis auditor, qui ob exantlatos pro Christi

fide labores, Magnus ab Eusebio et Basilio appellatur. Hujus sanctissimi aeque ac doctissimi viri epistolam in suae haeresis patrocinium veteres advocant recentioresque Ariani: sed quam immerito id faciant, gestarum rerum quam hic brevissime ob oculos ponemus, series declarabit. Ubi itaque sabelliana haeresis in superioris Libiae Pentapoli grassari coepit, fidei zelo incensus Dionysius legatos illuc misit, ut errantes episcopos in viam veritatis reduceret. Verum quum spem fefellisset eventus, litteras auctoritate plenas scribere ad illos coactus est: in quibus non Patrem, ut Sabelliani, sed Filium, quomodo catholica docet Fides, mortem pro nobis oppetiisse; aliamque Patris, aliam Filii, et aliam Spiritus S. esse personam fuse non minus quam erudite demonstrabat. Hac accepta a Pentapolitanis epistola, visum est eis ita Dionysium Patrem inter ac Filium ac Spiritum S. distinxisse, ut non personarum modo, sed et naturae induceret divisionem. Hinc illum apud Romanum ejusdem nominis Pontificem, tamquam verae fidei violatorem accusarunt. Qui celebrato Romae concilio, synodicam una cum accusationum capitibus misit ad Dionysium alexandrinum, ut ab impactis criminibus se purgaret. Quod quidem alexandrinus Antistes executioni mandans, *quatuor libros* de eodem argumento composuit, quos cognomini suo Dionysio Romanorum Episcopo nuncupavit, ut scribit Eusebius lib. 7. hist. ec. cap. 26. Hujus apologiae meminit etiam Athanasius tum in ep. de synod. Arim. et Selucien. tum in peculiari volumine de Dionysii mente, et Facundus etiam Hermianensis lib. 10.

Nunc accusationum capita adversus Dionysium alexandrinum, ejusque ad illa responsiones proferemus in medium; atque ex iis liquido constabit catholicam semper de Verbi divinitate tenuisse sententiam. 1. Ergo Pentapolitani episcopi in ep. ad Rom. Pontificem Dionysium criminabantur quod dum de Divinis ageret, Patrem sine Filio aliquando nominasset. Ita tamen criminationem hanc a se repellit Dionysius: *Singula illa nomina de quibus loquutus sum, inseparabilia a se invicem sunt, nec dividi queunt. Patrem cum dico, ante mentionem Filii sub Patris vocabulo etiam Filium significavi: contra si in mentione Filii Patrem omiserim, tamen ille sub nomine Filii praeintelligi debuit*. Et paullo post: *Sed isti ignorant Patrem a Filio alienari non posse. Quomodo igitur qui istis nominibus utor, suspectus habear, quasi dividi omnino ista separarique existimaverim?* Hactenus ille apud Athanasium. Porro qui asserit indivisibilem et indeminutam Trinitatem colligi in unitatem, praelusisse dicendus erit Arianis? An non potius arianam haeresim antequam oriretur, praefocasse? 2. Alterum criminationis caput erat quod Christum facturam appellaverit et creaturam: atque dixerit Patrem in ordine ad Filium se habere, ut agricola ad vitem, fabricator ad navim. Hanc quoque a se removet calumniam respondendo se Christum facturam appellasse et creaturam, quoad naturam humanam: idque obiter dumtaxat attigisse allatis agricolae et vitis, fabricatoris et navis exemplis. Sic autem inquit: *Ceterum ergo, cum dixissem quaedam genita et facta quaedam intelligi, horum quidem ut minoris momenti exempla tantum in transcursu recensui. Postquam enim dixe-*

ram neque plantam esse in agricola, neque in navium fabricatore scapham etc. Nam et plantam dixi e semine aut radice provenientem aliud esse ab eo unde germinavit, et tamen cum eo prorsus esse similis naturae; et fluvium a fonte promanantem aliam formam nomenque accipere, neque enim fontem neque fluvium fontem appellari, et tamen ambos existere, et fontem instar patris esse; fluvium vero esse ex fonte aquam. 3. Opponebant illi quod Dionysius in sua epistola Filium esse Patri consubstantialem numquam agnoverit. Dionysius autem ita respondet: *Variis adinventis argumentis ostendi crimen quod deferunt contra me, falsum esse, quasi qui non dixerim Christum esse Deo* ὁμοούσιον, *consubstantialem. Nam tametsi dico me id nomen non reperisse, nec legisse alicubi in sacris Scripturis; argumenta tamen mea quae postmodum subjunxi et ab illis tacita sunt, ab hac sententia non dissonant*. Nescio num ad catholicam contra arianicam impietatem adstruendam fidem clariora his possint inveniri. Interim ea aetate articulus de Verbi cum Patre consubstantialitate in universali Ecclesia pro certo habebatur: in Lybia, ex qua episcopi hujus violatae fidei Dionysium alexandrinum, licet per calumniam, apud Romanum Pontificem accusarunt: In Ecclesia Romana, cujus Episcopus Dionysius alexandrino Antistiti per synodicam praecepit, ut se ab impacta accusatione purgaret: in Aegypto ubi Dionysius tam illustre perhibuit dogmati huic testimonium. Neque est quod Basilius ac Gennadius Dionysium alexandrinum non bene sensisse dicant de Verbi divinitate. Nam ad Basilii manus pervenit quidem episcoporum epistola illius continens accusationes, non autem Dionysii alexandrini apologia; Gennadius vero deceptus est Basilii lectione. Athanasius enim cui perspecta omnia fuerunt, aliter de Dionysii fide judicavit, ut hactenus vidimus.

VII. Quum Paulus samosatenus veterum haereticorum errores ac Artemonis praesertim et Theodoti Coriarii Christum merum fuisse hominem autumantium renovare conaretur, variae adversus illum habitae sunt synodi Antiochiae, ut testis est Eusebius lib. 7. H. E. cap. 28. Antequam postremum celebraretur concilium in quo Samosatenus ex episcopali sede cum summo dedecore ejectus est, sex Episcopi epistolam ad eumdem Paulum scripserunt: in qua statuunt, *Christum esse Sapientiam et Verbum virtutemque Dei ante saecula existentem non solum praescientia, sed substantia et subsistentia Deum Dei Filium*. Et rursus: *Hunc credimus, cum semper Patri coexisteret* etc. Post absolutum vero Antiochenum concilium synodica ad universos fideles epistola data est, in qua, teste Athanasio lib. de synod. Patres inquiunt, *Christum non ex homine factum esse Deum, sed cum Deus ac Dei Verbum et Filius esset ante omnia, factum esse postea carnem*. Non indigent haec ratiocinatione, ut catholicam de divinitate Fidem inde colligamus.

Nihilominus Ariani respondent Patres antiochenos in Paulo samosateno damnasse vocem ὁμοούσιον, *consubstantiale*; et in sensu quidem quo vocem illam admittunt Catholici: Nam Hilarius in lib. de synod. scribit: *Male* ὁμοούσιον, *Samosatenus confessus est: sed numquid melius Ariani negaverunt?*

Haec quae magni momenti videntur, si probe inspiciantur illico evanescunt. Antiocheni itaque Patres damnarunt utique in Samosateno vocabulum ὁμοούσιον, sed in sensu qui a Samosateno Catholicis opponebatur, non in sensu vero ac genuino. Vox enim illa quum ex ὁμοῦ, *simul*, et οὐσία, *substantia*, composita sit, in suo vero naturalique sensu de pluribus quae eadem substantia sunt, aut simul in eadem sunt substantia enuntiatur. Quae vox si adhibeatur in divinis, identitatem significat naturae, non partitionem vel divisionem; quoniam una numero eademque est in tribus divinis personis essentia. Si autem de rebus enuncietur creatis in quibus natura una est specie in singulis scissa ac partita individuis, tunc partitionem quidem ac divisionem importat; non vi tamen suae significationis, sed ex ipsarum conditione creaturarum. Paulus ergo samosatenus qui divinas cum Sabellianis confundens personas conficiebat inde Christum purum putumque fuisse hominem, simulans non accipi vocem ὁμοούσιον a Catholicis nisi in posteriori proxime exposito sensu, ita ipsos criminando ad rem suam argumentabatur. Ea per vos consubstantialia dicuntur, in quibus una specie est natura quae in singulis individuis scinditur et partitur: Pater ac Filius sunt consubstantiales: Est ergo utrique una natura specie, non numero; et quidem scissa atque divisa. Subsumebat deinde: Sed hoc plane repugnat; divina enim natura scindi ac partiri non potest: Ergo Filii seu Christi natura numero differt a natura Patris. Quid ad haec Patres antiocheni? Negarunt Filium esse Patri ὁμοούσιον eo sensu quo Samosatenus accipi a Catholicis se credere simulabat. Rem ita se habuisse declarat aperte Athanasius in lib. de syn. Arim. et Seleuc. *Qui contra Samosatenum sustulerunt hanc vocem* ὁμοούσιον, *corporaliter acceperunt. Cum igitur Paulus sophisticari vellet et diceret; Si non ex hominibus Christus Deus factus est, igitur consubstantialis est Patri; unde necessario sequitur tres esse substantias, unam quidem quae prior sit; reliquas vero duas ex ea oriundas: Ideoque merito vitantes illud sophisma Pauli, dixere Christum non esse consubstantialem. Non enim ita se habet Filius ad Patrem, ut ille cogitabat.* Et Basilius ep. 300. scribit: *Qui convenerunt in caussa Pauli samosateni, vocem hanc ut minus congruam accusatam, ejecerunt.* Atque rei hujus subinde caussam afferens, ea inquit quae paullo ante a nobis prolata sunt. Quae afferunt ex Hilario confirmant potius, quam evertant allatam solutionem. Nam in primis contendit Hilarius Arianos male negasse ὁμοούσιον: volebat ergo vocem esse admittendam. Rursus, Samosatenum reprehendit quod vocem illam male confessus fuerit: vult ergo admittendam esse in suo vero ac genuino sensu. Unde dicendum venit nec Sabellianos umquam, nec Samosatenum in propria confessos fuisse sententia Christum esse Patri ὁμοούσιον: secus dicendum foret accepisse illos οὐσίαν non pro essentia, ut accipi debet, sed pro persona: quod fecisse demonstrari plane non potest. Imo non fecisse patet ex quo antiocheni Patres rejicere vocabulum ὁμοούσιον maluerunt; quum facile fuisset eis respondere, οὐσίαν, non personam, sed essentiam significare. Hinc merito Epiphanius haer. 69. inquit: *Ut serpens bituminis odorem refugit:*

sic Arius et Sabellius illam veritate constantem consubstantialis professionem exosam habent. Qua de re dicendum est Samosatenum in sensu a nobis superius exposito in ore habuisse aliquando vocabulum ὁμοούσιον. Hoc quoque sensu intelligenda veniunt quae in epist. legatorum ancyranorum occurrunt: *Patres nostri cum Paulus samosatenus haereticus pronuntiatus est, etiam* ὁμοούσιον *repudiaverunt: quia per hanc unius essentiae nuncupationem solitarium atque unicum sibi esse Patrem et Filium praedicabat*.

VIII. Meminit Athanasius Theognosti alexandrini tamquam diserti admirabilisque viri. Scripsit hic libros Hypotyposeon qui jamdiu interciderunt. Superest adhuc ad rem nostram apud eumdem Athanasium in lib. de decr. Nic. syn. praeclarum Theognosti testimonium, quod ita se habet: *Filii substantia non est extrinsecus inventa, aut ex non extantibus superinducta: sed ex Patris substantia progenita, ut a luce jubar, ut ex aqua vapor*. Et iterum: *Neque alienum Verbum fluxus est paternae substantiae: idque ita ut interim substantia illa Patris divisionem non patiatur*. Haec catholicam de Verbi divinitate sententiam mirifice explicant simulque haeresim jugulant arianam.

IX. Demus postremo loco amplissimum divinitatis Verbi testem Methodium Tyri episcopum et martyrem; qui juxta Hieronymum de Script. eccl. cap. 34. et Photium in biblioth. plura quidem scripsit: sed cujus nonnisi unum et forte non integrum nunc extat opus, cui titulus, *Convivium*. Ex iis autem quae apud veteres occurrunt Scriptores, facile est judicare optime illum de Verbi sensisse divinitate. Nam apud Theodoretum 1. dial. de Verbo loquens ait, *Esse Dominum et Filium Dei, qui non rapinam arbitratus est, esse se aequalem Deo*. Apud Photium autem in Symposio, seu Convivio ad illa psalmi verba, *Filius meus es tu: ego hodie genui te, ita fatur: Observandum est hic, illud, Filium suum esse indefinite et sine tempore dictum. Es enim Filius, ipsi dixit, et non factus es; declarans neque novam seu recentem ipsum adeptum esse filiationem, neque finem habuisse eum qui prius extiterit, sed eumdem semper esse*. Profecto qui jure aequalis est Deo: qui genitus est, non factus: qui principio caret et fine, vere et proprie Deus est. Haec autem affirmat de Verbo Methodius.

Sed in jus illum vocant Ariani dicentes: Apud Photium cod. 45. haec habet Methodius: *Duas vires in iis quae antea confessa sunt, esse diximus effectrices: unam quae ex non extantibus nuda voluntate sine cunctatione, simul ac voluit, per se ipsam molitur quidquid vult facere, eaque est Pater; alteram quae componit et varietate quadam exornat ad prioris imitationem quae jam facta sunt, et est Filius*. In his autem tria observant adversarii. I. Duas statuisse Methodium in Deo δυνάμεις, seu vires effectrices. II. Mundi creationem attribui Patri; Filio autem dumtaxat ornatum. III. Verbum nihil a seipso operari, sed imitari Patrem: quae sane demonstrant non credidisse illum in Verbi consubstantialitatem.

Verum haec minima sunt. Atque ad 1. Duarum virium nomine non

duas naturas, sed duas operantes personas quas Patrem et Filium expresse appellat, intelligit Methodius.

Ad 2. Methodius Patri creationem; Filio autem adscribit ornatum per *appropriationem*. Nam licet omnia opera *ad extra* toti communia sint Trinitati, veteres nihilominus Patres nonnulla per appropriationem Patri, alia Filio, et alia Spiritui Sancto adscribere consueverunt. Et quoniam Pater fons est et origo aliarum personarum, ipsi per appropriationem tribuitur mundi creatio: Filius vero cum sit sapientia ac Verbum Patris, appropriatur illi mundi ejusdem ornatus. Atque hoc sensu Methodius ait Patrem creasse mundum; Filium vero mundum exornasse.

Ad 3. Optime inquit Methodius Filium non a seipso operari, sed imitari Patrem: quoniam a Patre tamquam a principio sine principio recipit esse, ut alibi dicebatur. Ceterum ex allata ipsa Methodii sententia aperte colligitur admisisse se Verbi divinitatem. Nam post ea verba ita prosequitur: *Et est Filius omnipotens*, καὶ κραταιὰ χεὶρ τοῦ πατρός, *ac fortis manus Patris, in qua postquam fecit materiam ex non extantibus, exornat*. Qui est omnipotens ac fortis manus Patris, virtutemque creandi habet, is profecto eamdem habet cum Patre naturam.

CAPUT VIII.

Inquiritur in Origenis ac Tertulliani mentem circa Verbi divinitatem.

De Origenis Tertullianique mente circa Verbi divinitatem disquisitionem in hunc distulimus locum: ut quo eruditorum minus inter se conveniunt judicia; eo studiose magis in utriusque scripta inquirentes, sententiam ab omni partium studio alienam ferre valeamus. Origenes ergo acerrimi ingenii ac immensae vir eruditionis, magnos habuit doctrina ac sanctitate praeditos nominis sui defensores; Theoctistum nempe caesariensem illius discipulum, Firmilianum, Athenodorum Gregorii thaumaturgi fratrem, Panfilum, Eusebium, Rufinum, aliosque ex veteribus. Ex recentioribus autem Johannem Picum mirandulanum, Sixtum senensem, Erasmum, Aloixium, Bullum, quos non pauci nostri aevi Scriptores secuti sunt. E contra vero adversus Origenem steterunt sanctissimi aeque ac strenuissimi viri, Theophilus alexandrinus, Anastasius Papa, Epiphanius, Hieronymus, Justinianus Augustus, Daniel Huetius, Norisius, Natalis Alexander, et ne commemorem singulos, Critici fere omnes emunctissimae naris. Imo Origenis scripta damnarunt non modo plures antiquitatis episcopi, sed synodi quoque Alexandrina, et quinta generalis. Quare si Scriptorum certandum sit auctoritate, nemini dubium quin arianismi damnandus veniat Origenes. Nec melius sane illius mentem assequi possumus quam veterum testimonia consulendo. Nam Rufinus aquilejensis, quamvis Origenis studiosissimus, nihilominus praef. ad libros περὶ ἀρχῶν, *de Principiis*, quos e graeco in latinum vertit eloquium, proprio ore fatetur a plurimis expurgasse illos erroribus, inque locum illorum catholica do-

gmata substituisse: Quamquam non ita omnem ab illis semoverit impietatem, quin adhuc plura supersint quae satis superque demonstrant arianae haeresi praelusisse.

Quod vero ejusdem saeculi scriptorem eximium Q. Septimium Tertullianum carthaginensem presbyterum spectat; quamvis an. 192. ad Montanistas animi levitate ductus defecerit, paucos tamen habet in iis quae ad fidem pertinent Trinitatis, famae suae obtrectatores. Nam si novos occidentales excipias Ebionitas quibuscum Johannes Clericus ac Dionysius Petavius faciunt, reliqui ecclesiastici Scriptores ne in libro quidem contra Praxeam, qui maxime in suspicionem venit erroris, arianismi vestigia se deprehendere affirmant.

CONCLUSIO I.

Origenes praelusisse videtur haeresi Arianorum.

Prob. 1. Veterum testificatione: S. Hieronymus in ep. ad Avitum sequentes notat in libris περὶ ἀρχῶν, Origenis palmares errores: *Christum filium Dei non natum esse, sed factum: Deum Patrem per naturam invisibilem a Filio non videri: Filium qui est imago invisibilis Patris, comparatum Patri, non esse veritatem: apud nos autem, qui Dei omnipotentis non possumus recipere veritatem, imaginariam veritatem videri, ut majestas et magnitudo majoris quodammodo circumscripta sentiatur in Filio: Deum Patrem esse lumen incomprehensibile: Christum collatione Patris splendorem esse perpetuum, qui apud nos pro imbecillitate nostra magnus esse videtur*. Plura hujus generis alia ariana paradoxa in eadem epistola refert ab Origene tradita in libris περὶ ἀρχῶν, prout tunc legebantur: ac de Nicaenis Patribus loquens concludit: *Origenem fontem Arii percusserunt*. Epiphanius in ep. ad Johannem hierosolymitanum, ait: *Arii patrem Origenem, et aliarum haereseon radicem et parentem laudare non debemus;* ac subinde Origenis verba ex libris de Principiis excerpta refert, quibus *neque Filium videre posse Patrem, neque Spiritum S. videre posse Filium asserit*. In haeresi Origenis vocem reprehendit γεννητὸν, dicens: *Ac siquidem ab alio quopiam vocabulum istud usurparetur, recto ac sincero animo pronunciatum esse existimare possemus. Nunc autem cum in aliis plerisque locis deprehendamus Unigenitum Deum a paterna divinitate atque substantia ab eodem auctore segregari, nec non Spiritum Sanctum: propterea γεννητὸν, hoc est, productum Deum ideo dixisse illum apparet, quod creatum statueret*. S. P. Augustinus haer. 43. firmum non profert de Origene judicium, non contradicit Epiphanio tamen dicenti: *Origeniani ... Christum ... creaturam et Spiritum-Sanctum introducentes etc.* imo subdit Hipponensis Episcopus: *Sed qui eum* (Origenem) *defendunt, unius ejusdemque substantiae esse, dicunt, docuisse Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum ... quamvis et in istis eum convincere studeant, qui ejus plura legerunt*. Ex quibus apparet apud plures

obtinuisse sententiam male sensisse Origenem de Verbi divinitate, ejusque opera ab hoc coeno munda non fuisse. Justinianus in ep. ad Mennam haec habet: *Ante omnia in ipsam sanctam et consubstantialem Trinitatem blasphemias ausus est dicere, Patrem majorem esse Filio, Filium Spiritu Sancto, Spiritum S. aliis spiritibus. Porro hoc ad impietatem suam addidit ut diceret non posse Filium Patrem videre, nec Spiritum S. Filium: ipsum Filium, et Spiritum S. creatos esse.* Theophilus alexandrinus in ep. Pasch. quaedam ab Origene impie dicta notaverat, velut illud: *Filium Dei, idest Verbum, ejusque virtutem, ad ea tantum quae rationabilia sunt, pervenire.* Quibus omnibus in Oecumenico V. concilio C. P. celebrato ad trutina revocatis, definitum fuit Origenem male de compluribus Fidei dogmatibus, pessime de Trinitate sensisse.

Defensores tamen Origenis animo non despondent, et in illius patrocinium ajunt: Etsi Patres Scriptoresque nonnulli Origenem damnent, longe tamen plures sunt qui illum absolvunt. Sunt autem hi Athanasius, Theognostus, Titus bostrensis, Gregorius uterque Nazianzenus atque Nyssenus, et Dionysius alexandrinus. II. Nec magni faciendum est Hieronymi, Epiphanii, et Augustini judicium. Hieronymus enim, inquiunt, et Epiphanius in codices inciderunt Origenis malevolorum malitia depravatos; Augustinus autem loquitur in sententia Epiphanii. III. Imo Athanasius ut erroris revincat Arianos, ad Origenis scripta confidentissime provocat. IV. Et revera in lib. 3. cont. Celsum haec scribit Origenes: *Sciant isti criminatores, hunc Jesum quem ab initio Deum Deique Filium credimus, ipsum esse Verbum, ipsam veritatem, ipsam sapientiam.* Et ejusd. operis lib. 4. *Discat*, ait, *Verbum manere Verbum sua substantia, nec pati eorum quidquam quae corpus et anima patitur.* Si Verbum Deus est et Filius Dei, Veritas, Sapientia, impassibilis, immortalis; Patri proculdubio consubstantialis est, contra quam velint Ariani.

Ast parum haec juvare videntur caussam Origenis. Nam si verba Augustini perpendantur, non adeo exiguus est numerus eorum qui Origenem circa Verbi divinitatem convincunt errore: praeter enim Epiphanium ita senserunt, juxta Augustinum, *qui ejus plura legerunt*: qui profecto non sunt existimandi fuisse exiguo numero. Quod si demum esset, Hieronymi auctoritatem his omnibus praeponderare putandum est. Et non solum quia Ecclesia eos Origenis approbat libros quos approbavit Hieronymus, et eos quos Hieronymus respuit, damnat ac rejicit: verum etiam et maxime, quia Hieronymus gravissimum cum Rufino de Origenis fide iniit certamen: quod probat in comparatione ceterorum Patrum melius omnibus Hieronymum Origenis scripta rimasse. Accedit his quod Demetrius alexandrinus Origenem adhuc viventem damnavit haereseos, ac urbs Roma in damnationem ejus consensit: ab Heracla fuit expulsus, et ab Alexandrina synodo percussus anathemate, ut Theophilus narrat alexandrinus. Quod aliquot ergo nactus fuerit Origenes advocatos, non efficit recte illum de Trinitate sensisse.

Ad 2. Allatum argumentum supponit ante Rufini ac Hieronymi aetatem

Origeniana scripta fuisse corrupta, quod falsum esse fuse demonstrat Hieronymus apol. 2. cont. Ruf. cap. 4. et 5. quum facta fuerit a Rufino, licet in melius, erroribus videlicet sublatis contra Trinitatem ac dogmatibus substitutis catholicis, emendatio, ut Rufinus ipse praef. in 1. et 3. lib. περὶ ἀρχῶν, fatetur. Hinc Hieronymus novam coactus est eorumdem librorum aggredi versionem in qua nulla facta additione vel detractione, Origenis arianismus perspicue conspiciebatur. Sed haec Hieronymi versio jamdiu intercidit; nec aliam modo habemus, nisi Rufinianam. Non itaque in falsatos Origenis codices impegerunt Hieronymus et Epiphanius.

Ad 3. Mirum profecto videri non debet quod Athanasius ad Origenis provocet scripta; quum ex hujus principiis catholice acceptis, optime Verbi cum Patre consubstantialitas colligatur. Nam alicubi docuit Origenes Filium esse ex Patris substantia genitum, Patrique coaeternum. Ex quibus Athanasius jure concludit Filium esse vere ac proprie Deum Patrique suo consubstantialem, si quidem principium illud, *Filius genitus est ex Patris substantia*, catholice intelligatur; quatenus videlicet Filius non fuit ex non extantibus, ut Arius delirabat. Ast si principium idem in vero Origenis sensu accipiatur, minime perfecta Verbi divinitas ex illo deducitur. Is enim gradus platonico more in divinitate posuit, affirmans, ut Epiphanius observat, Filium esse veluti quoddam divinitatis effluvium a Patre procedens, ut splendor procedit a sole, per abscissionem partitionemque naturae: ex quo concludebat Patrem Deum esse natura; Filium vero participatione. Vide Huetium in Origenianis. Porro qui affirmat Filium Deum esse participatione, divinamque habere naturam diversi a natura Patris gradus, is certe facit cum Arianis.

Ad 4. Nil prorsus in allatis Origenis sententiis continetur quod stare non possit cum philosophia Platonicorum, cujus principia initio quarti saeculi adscivit Arius. Plato enim in una divinitate gradus quosdam excogitavit: ac pro ea in qua versabatur rerum divinarum obscuritate asseruit νοῦν *mentem* quam λόγον, *Verbum et rationem*, appellat, creatam quidem esse a Patre: sed ex sua non ex aliena substantia; ac proinde Deum secundum inferioris a Patre conditionis admisit. Ita somniasse Platonem constat tum ex ejus operibus, tum ex Macrobio lib. 1. in somn. Scip. cap. 14. Jam vero in sententia illius qui docet Verbum esse ex substantia Patris hoc modo, verum est quidem idem Verbum Deum esse Deique Filium; esse veritatem et sapientiam; esse impassibile et immortale: Ast non proinde cum Catholicis sentit; quoniam non affirmat Verbum esse genitum, sed creatum ex substantia Patris. Haec eadem principia eodemque sensu admisit Origenes, ut testis est Epiphanius haer. 64. Quare etsi illa omnia fateatur, non admittit proinde in sensu catholico Verbi cum Patre consubstantialitatem. Hac eadem responsione solvuntur ea quae ex lib. 5. et 6. adversus Celsum Origenis patroni adducunt, ubi ait Filii naturam incnarrabilem esse ac praecellentem; nec factam esse aut e nihilo eductam ad instar creaturarum; imo nec posse a nobis comprehendi. Nam haec omnia vera sunt etiam in sensu Arianorum, si semel statuatur Verbum esse ex substantia Patris, licet creatum et inferioris a Patre conditionis.

Quod hactenus de Platonis principiis ab Origene adscitis diximus, confirmari potest sequentibus momentis. I. Tomo I. in Johan. ad illa verba, *In principio erat Verbum*, disertissime tradit Verbum ipsum fuisse a Patre creatum: *Dicendum est*, inquit, *Deum cum animatam Sapientiam, ut ita loquar, creasset, illius curae permisisse, ut ex figuris et speciebus quas ipsa habebat, opinor, subsistentiam et plasmationem et formas praeberet entibus et materiae*. II. Ibidem affirmat, *Verbum non esse principium, juxta omnia quibus nominatur*, hoc est, juxta omnes illius proprietates; addit enim: *Qui fieri potest, ut sit principium in quantum est vita, cum vita facta fuerit in Verbo quod est ipsius vitae principium?* Et paullo post: *Quod si diligenter examinemus omnia ipsius cognomina, solum quia sit sapiens principium est, ne principium quidem existens in quantum est λόγος ... Adeo ut audacter auserit quis dicere antiquiorem omnibus quae excogitantur nominibus, primogeniti omnis creaturae Sapientiam esse*. III. Initio tom. II. in Johan. ad distinguendum inter Patrem et Filium, ac illos qui participatione quadam dii nominantur, hanc tradit regulam, quod Pater dicitur Deus cum articulo ὁ θεός; Filius vero ac reliqui dii, θεός, appellantur sine articulo. *Et ne quis offendatur*, inquit, *quia dixerimus unum esse verum Deum Patrem, et praeter verum Deum multos factos participatione Dei, verentes gloriam ejus qui omnem creaturam praecessit, aequati reliquis obtinentibus appellationem Dei sine articulo: praeter datam differentiam per quam Deum λόγον diximus reliquis omnibus diis ministrum esse deitatis, etiam haec differentia est apponenda. Ea enim ratio quae in singulis rationis capacibus inest, eamdem comparationem habet ad illam rationem quae in principio apud Deum est, et Deus est λόγος quam habet et Deus λόγος, idest ratio sine articulo, ad Deum cum articulo. Ut enim inter αὐτόθεος, hoc est, per se Deus et verus Deus, se habet ad imaginem et imagines imaginis etc. Sic hunc in modum se habet ipse λόγος, hoc est ipsa ratio, ad eam quae est in singulis rationem*. Haec talia sunt quae de ordine originis, ut quidam faciunt, interpretari non possint: tum quia non patitur Origenes Filium dici verum Deum, illum inter deos factos recensens: tum etiam quia vult Filium Deum dici sine articulo, quomodo dii per participationem; quod aperte ostendit Deo Patri gloria aequari non posse: ac denique quoniam eodem modo dicit se habere Filium ad Patrem quomodo creatae res se habent ad ipsum Filium. Qui haec adstruit, non discrimen dumtaxat originis, sed et naturae statuit inter Patrem et Filium. IV. Affirmat ibidem eos qui Filium adorant, ab iis qui colunt Patrem differre; quomodo a Filii cultoribus differunt cultores astrorum: *Deum alii quidem Deum universorum habent, qui vero hos proxime sequuntur, in Christum Dei ipsius Filium defixi sunt. Tertii vero sunt, qui solem lunam omneque caeli ornamentum habentes, a Deo aberrant*. V. In lib. 5. adver. Celsum illa Deuteronomii verba, *Constituit terminos populorum juxta numerum Angelorum Dei*, secundum Septuaginta versionem interpretans, affirmat, accidisse id post disjectos babilonicae turris aedificatores; tunc enim sin-

gulis nationibus, inquit, diversimode ad invicem loquentibus, assignatos fuisse Angelos quos ἄρχοντας, *Principes*, appellat; quorum tamen praestantiorem assignatum fuisse arbitratur hebraicae genti, et hunc fuisse ait Verbum quod, dum venit plenitudo temporis, dictum fuit Jesus. Vides ergo Verbum ab Origene inter diversarum nationum Principes angelos ac Dei ministros recensitum? VI. Demum lib. 8. adv. eumd. Cels. ita loquitur: *Religiose colimus Patrem veritatem, et veritatem Filium duos quidem substantia, unum vero concordia consensu et voluntatis identitate*. Hac usi sunt phrasi post Origenis tempora Ariani. Hactenus de Origene.

CONCLUSIO II.

Tertullianus minime denegasse videtur Verbi divinitatem.

Prob. I. Tertullianus lib. cont. Praxeam cap. 5. redarguens illos qui inter Patris ac Filii non distinguunt personam, dissertissime adstruit divini Verbi aeternitatem. Sic enim inquit: *Sed quia duos unum volunt esse, ut idem Pater et Filius habeatur, oportet et totum de Filio examinari an sit, et qui sit, et quomodo sit*. Et subinde ita disserit: *Ante omnia enim Deus erat solus, ipse sibi et mundus et locus et omnia. Solus autem, quia nihil aliud extrinsecus praeter illum. Ceterum ne tunc quidem solus: habebat enim secum, quam habebat in semetipso, Rationem suam scilicet. Rationalis enim Deus, et ratio in ipso prius, et ita ab ipso omnia. Hanc Graeci λόγον dicunt, quo vocabulo etiam sermonem appellamus*. Jam hic luculentissime tradit rationem seu Verbum ex tunc extitisse, quando extitit Pater; numquam enim Pater absque ratione fuit: ac proinde definit Verbum aeternum esse sicut aeternus est Pater. Sed rem adhuc clarius exponit capite 8. ejusd. libri, ubi sic scribit: *Sermo ergo et in Patre semper, sicut dicit, Ego in Patre; et apud Deum semper, sicut scriptum est, Et sermo erat apud Deum; et numquam separatus a Patre, quia, Ego, et Pater unum sumus*. Iterum cap. 21. *Praefatio*, inquit, *Johannis evangelizatoris demonstrat, quod retro fuerit* (Verbum) *quia caro fieri habebat. In principio erat Sermo etc. Nam si haec non aliter accipi licet, quam quomodo scripta sunt; indubitanter alius ostenditur, qui fuerit a principio alius, apud quem fuerit; alium sermonem esse, alium Deum; licet et Deus sermo, sed qua Dei Filius etc.* Hic apertissime adstruit et Verbi cum Patre coexistentiam, et personarum distinctionem: atque idcirco illius aeternitatem. II. Tertullianus affirmat Verbo omnia competere nomina omniaque attributa quae Patri adscribuntur, atque in singulis esse aequale Patri. Nam lib. adv. Prax. cap. 18. ita disputat: *Nomen Patris, Deus omnipotens, Altissimus, Dominus virtutum, Rex Israelis, Qui est. Haec dicimus et in Filium competisse, et in his Filium venisse, et in his semper egisse, et sic ea in se hominibus manifestasse*. Et lib. 4. cont. Marcion. cap. 25. *Omnia*, inquit, *sibi tradita dicit a Patre. Credas, si Creatoris est Christus*,

cujus omnia, quia minori se tradidit omnia Filio Creator, quae per eum condidit, per Sermonem scilicet suum. Lib. autem de Resurr. carnis cap. 6. ait: *Est sermo enim Deus, qui in effigie Dei constitutus, non rapinam existimavit pariari Deo*. III. Tertullianus postremo aperte fatetur Patrem et Filium eamdem habere substantiam; Apologetici enim cap. 21. scribit: *Filium hunc ex Deo prolatum didicimus, et prolatione generatum; et idcirco Filium Dei et Deum dictum ex unitate substantiae*. Et cap. 25. *Connexus Patris in Filio, et Filii in Paracleto tres efficit cohaerentes alterum ex altero, qui tres unum sunt, non unus, quomodo dictum est, Ego, et Pater unum sumus, ad substantiae unitatem, non ad numeri singularitatem*. Lib. denique de pudic. cap. 21. inquit: *Est Trinitas unius divinitatis, Pater et Filius et Spiritus Sanctus*. Haec luce meridiana clariora sunt ad suadendum optime Tertullianum de Verbi sensisse divinitate.

His autem illius obtrectatores non acquiescunt, quoniam ipsis videtur Tertullianus a Verbo aeternitatem submovisse: atque tum primum a Patre fuisse conditum, quando Deus condidit mundum. Nam I. in lib. adv. Hermog. cap. 3. philosopho putanti materiam esse aeternam, quia Deus ab aeterno Dominus est, ita respondet: *Et Pater Deus est, et judex Deus est; non tamen ideo Pater et judex semper, quia Deus semper. Nam nec Pater potuit esse ante Filium; nec judex ante delictum. Fuit autem tempus, cum et delictum et Filius non fuit, quod judicem et Patrem Dominum faceret*. II. Ibid. cap. 18. affirmat quod si necessaria sit Deo materia ad opera mundi, habuit is materiam materiarum, nimirum σοφίαν, *Sapientiam*: quam ut necessariam agnovit, statim condidit in semetipso; tum subdit: *Si enim intra Dominum quod ex ipso et in ipso fuit sine initio non fuit*, σοφία *scilicet ipsius, exinde nata et condita ex quo in sensu Dei ad opera mundi disponenda coepit agitari: multo magis non capit sine initio quidquam fuisse, quod extra Dominum fuerit*. III. In lib. cont. Prax. cap. 6. *Cum primum*, inquit, *Deus voluit ea quae* μετὰ σοφίας, *cum ratione, et sermone disposuerat intra se, in substantias et species edere, ipsum primum protulit Sermonem habentem in se individuas suas rationem et* σοφίαν, *ut per ipsum fierent universa, per quem* etc. IV. Capite sexto sequenti subdit: *Haec est nativitas perfecta Sermonis dum ex Deo procedit conditus ab eo primum etc. Dehinc generatus ad effectum ... Exinde parem eum sibi faciens, de quo procedendo Filius factus est*. V. Apologet. cap. 21. *Hunc*, inquit, *ex Deo prolatum dicimus, et prolatione generatum*. Haec decretoria quum sint contra Verbi aeternitatem, decretoria quoque sunt contra illius divinitatem. VI. Nec exponi illa possunt, ut quidam faciunt, de Verbi generatione quadam externa et secundaria. Nam adv. Herm. cap. 18. de Sapientia scribit: *Eam statim condit, et generat in semetipso*. Et quidem a sua substantia divisam et separatam; quum cont. Prax. cap. 6. dicat: *Dehinc assistentem eam ipsa separatione cognosce*. Hinc adv. Prax. cap. 6. iterum scribit: *Pater tota substantia est. Filius vero derivatio totius et portio*,

sicut ipse profitetur, Quia Pater major me est. Potiora haec sunt adversus Tertulliani fidem de Trinitate.

Verum non sunt tanti ponderis quin, licet obscura aliquantulum sint et duriuscula, explicari aliquomodo non possint: unde ad ea quae quinque prioribus argumentis exposita sunt, probe intelligenda atque solvenda, animadverto duplicem admisisse veteres divini Verbi generationem, externam unam et secundariam, aliam vero primariam et internam: illam in tempore, hanc ab aeterno extitisse affirmantes. Atque hujus quidem distinctionis fulcrum inveniebant in sacris litteris: in quibus modo legitur Verbum ab omni aeternitate Patri coextitisse; modo autem tum primum fuisse genitum atque prolatum, cum mundus conditus est. Hinc prisci illi Theologi, iis praesertim temporibus quando ad exitium humani generis non adhuc Arianis exortis securius in Ecclesia Dei loquebantur, ajebant Verbum divinum semper cum Patre, et in Patre ab aeterno fuisse; deinde vero initio saeculorum idem Verbum e Patre processisse ad mundi molitionem: quam processionem a Patre appellare per quamdam analogiam consueverunt generationem, prolationem, nativitatem. Praeterea veteres iidem Patres modum exponentes quo Verbum ad mundi opus e Patre processit, addebant factum id esse per aliquam externam atque sensibilem speciem: ita ut Deus prius speciem illam a Verbo assumendam condiderit; tum Verbum ipsum ea specie indutum creaverit mundum. Quod antiqui Patres duplicem illam a nobis mox relatam Verbi agnoverint generationem, patet legentibus Hippolytum martyrem hom. de Deo uno, et trino, Novatianum lib. de Trinit. cap. 31. praeter Justinum, Irenaeum, aliosque capitibus superioribus laudatos, et Tertullianum ipsum, illius testimonia quae pro ipsius defensione adduximus, cum iis quae adversarii urgent simul conferendo. In illis quippe diserte affirmat Verbum esse aeternum; in his autem genitum ac prolatum esse in tempore. Quod vero divinum Verbum speciem aliquam externam atque sensibilem dum mundum condidit assumpserit, absque ulla ambiguitate sermonis affirmarunt ante Nicaenum concilium Hippolytus portuensis, Irenaeus, Justinus; post Nicaenum vero concilium Lactantius, Athanasius, et Zeno veronensis. Quare dum Tertullianus inquit, *Patrem non semper fuisse Patrem*: *fuisse tempus in quo Filius non erat: Sapientiam suam habere initium*, et cetera hujusmodi, loquitur de externa ac secundaria Filii a Patre processione: juxta quam Pater proculdubio non semper fuit Pater, declaratus videlicet ac manifestatus: et Filius non erat aliquando externe prolatus: et Sapientia eo sensu prolata est in tempore; hoc est e sinu Patris in quo ab aeterno exstabat, exiit ad opus. Cum autem addit Verbum creatum esse, factum, conditum etc. de eo secundum assumptam speciem loquitur, ut supra diximus. Hinc in lib. adv. Prax. cap. 7. *Tunc Sermo*, inquit, *speciem et ornatum suum sumit sonum et vocem, cum dicit, Fiat lux*.

Ad 6. Tradit Tertullianus Patrem condidisse ac generasse Sapientiam in semetipso, ut significet non fuisse a Patris substantia divisam et separatam, etiam quando extrinsecus processit ad mundum condendum. Men-

tem suam breviter quidem, sed satis aperit in Apol. cap. 2. ubi de eadem divina loquens Sapientia inquit: *A matrice non recessit, sed excessit*, hoc est, in molimine mundi extrinsecus manifestata est Sapientia quam in sinu suo Pater habebat.

Ad 3. Admittit in cap. 4. adv. Prax. Patrem inter ac Filium separationem seu distinctionem, sed personarum non vero naturae. Saepe Tertullianus Filium a Patre separatum esse negat. Puta in cap. 8. ejusd. lib. *Sermo*, inquit, *et in Patre semper, et numquam separatus a Patre ... Prolatum dicimus Filium a Patre, non separatum*. Et cap. 9. *Inseparatos ab alterutro Patrem et Filium et Spiritum S. testor*. Et cap. 19. *Pater et Filius duo non ex separatione substantiae, sed ex dispositione*. Si ergo aliquando dicit Filium a Patre separatum, de personarum Patris ac Filii distinctione est intelligendus. Ubi autem Filium appellat portionem quae est derivatio totius, significat personam quae originem habet a Patre qui fons est totius divinitatis, non partem separatam a toto. Nam Tertullianus in jure romano, ut omnes norunt, versatissimus, personam appellat portionem: et consulto quidem et apposite, ut Praxeam nimirum refellat personarum in divinis distinctionem improbantem, quasi ex tribus personis triplex sequatur distinctio divinitatis. Mens ergo Tertulliani est definire Filium portionem esse, hoc est, personam quae sit derivatio totius, quae scilicet originem habeat a Patre qui solus fons est et origo totius divinitatis. Hinc eodem in lib. cap. 9. scribit: *Dico, non diversitate alium Filium a Patre, sed distributione; nec divisione alium, sed distinctione, quia non sit idem Pater et Filius*. Si quae sunt alia quae ex Tertulliani scriptis urgeant adversarii, ex his quae hactenus disputavimus, obviam habent solutionem.

CAPUT IX.

Reliquorum antenicaenorum Patrum fides circa Verbi divinitatem exponitur, et quaeritur an concilii Nicaeni Patres rite et opportune adversus Arianos adhibuerint et consecraverint vocabulum ὁμοούσιον.

I. Pauci qui enumerandi supersunt antenicaeni Patres, atque in patrocinium pro Verbi divinitate advocandi, floruerunt initio quarti Ecclesiae saeculi. Atque horum primus est Arnobius, natione afer, religione gentilis, tum christianus qui, ut Hieronymus in chronico narrat, antequam Christo nomen daret, septem adversus ethnicam superstitionem edidit volumina, in quibus Verbum esse Deum Patrique suo consubstantiale luculentissime tradit. Nam lib. I. ita scribit: *Ergo ne inquiet aliquis, Deus ille est Christus? Deus, respondebimus, et interiorum potentiarum Deus*. Et ne quis suspicetur Christum ab Arnobio Deum appellari impropric more Arianorum, e vestigio subdit: *Atqui consistit Christum sine ullis adminiculis rerum, sine ullius ritus observatione vel lege, omnia illa quae*

fecit, *nominis sui potestate fecisse : et quod proprium consentaneum dignum fuerat Deo vero*, *nihil nocens aut noxium*, *sed opiferum*, *sed salutare potestatis mirificae liberalitate donasse*. Et iterum: *Christus aequaliter bonis malisque subvenit*; *hoc est enim proprium Dei veri potentiaeque regalis*, *benignitatem suam negare nulli*.

Sed inquiunt aliqui, Arnobium in laudatis libris hanc figere regulam; quod qui ingenitus non est, et conclusus aliquando fuit in utero matris, dici nullo modo verus Deus possit. Nunc autem cum Verbum ingenitum non sit, fueritque aliquando conclusum in utero matris, consequitur non credidisse Arnobium in veram Verbi divinitatem.

Qui tamen sic in Arnobii fidei praejudicium ratiocinantur, scopum et sensum illius assequuti non sunt. Illius itaque scopus in laudatis libris est demonstrare deos ethnicorum non esse veros Deos: quoniam geniti ex virili semine sunt, et in utero feminae aliquando latuerunt; quum homines fuerint ipsis fatentibus ethnicis. Quare non in sensu theologorum, sed in sensu grammatico nomen sumit ingeniti; pro eo videlicet qui ex semine virili genitus non est, nec in utero matris inclusus more aliorum hominum.

II. Arnobii discipulus Lactantius, etsi rethor fuerit non theologus, haud obscura exhibet pro Verbi divinitate argumenta. Libro enim 4. Instit. cap. 13. de Filio loquens ait: *In prima enim nativitate spiritali* ἀμήτωρ *fuit*, *quia sine officio matris a solo Deo Patre progenitus est*. *In secunda vero carnali* ἀπάτωρ *fuit*, *quoniam sine Patris officio virginali utero procreatus est*. Et illico concludit: *Interim et Deum fuisse et hominem ex utroque genere permixtum*, *Prophetis vaticinantibus*, *discimus*. Affert subinde ea Scripturae loca quibus Catholici ad Filii demonstrandam divinitatem utuntur; et cap. 29. subdit: *Cum dicimus Deum Patrem et Deum Filium*, *non diversum dicimus*, *nec utrumque secernimus*, *quia nec Pater sine Filio esse potest*, *nec Filius a Patre secerni: siquidem nec Pater sine Filio nuncupari*, *nec Filius potest sine Patre generari*. *Cum igitur et Pater Filium faciat*, *et Filius Patrem*; *una utrique mens*, *unus spiritus*, *una substantia est*. Haec interpretamento non indigent.

III. Eadem qua Lactantius inter Latinos aetate, floruit inter Graecos antiochenae Ecclesiae presbyter sanctissimus et in omni eruditionis genere versatissimus Christi martyr Lucianus, qui Fidei symbolum propria manu scripsit hisce verbis expressum: *Credimus*, *juxta evangelicam et apostolicam traditionem*, *in unum Deum Patrem etc. Et in unum Dominum J. C. Filium ejus unigenitum Deum*, *per quem omnia facta sunt*, *et Deum ex Deo*, *totum ex toto*, *solum ex solo*, *perfectum ex perfecto*, *regem ex rege*. *Et in Spiritum Sanctum etc.*

Inquiunt autem allatum Fidei symbolum non videri genuinum Luciani opus: tum quia illius non meminere Hieronymus, et ante illum Eusebius: tum quoniam affictum ipsi videtur ab Arianis qui illud primi vulgarunt, ut Nicaenum respuerent.

Ast Athanasius in lib. de synod. Arim. et Seleuc. et Socrates lib. II. hist. cap. 10. Luciani symbolum recitant, prout a nobis laudatum est,

et tamquam Luciani genuinum habent foetum: Unde Eusebii ac Hieronymi silentium ad illius elevandam germanitatem non sufficit. Episcopi vero ad Encaenia Constantii jussu congregati, ariani non erant: sed vocabulum ὁμοούσιον quum nollent admittere, Arianis favebant: atque ut Nicaenum rejicerent symbolum, Luciani symbolum protulerunt in medium: quod licet catholicum esset, vocabulum tamen ὁμοούσιον non habebat: in quo Episcopi illi reprehensi sunt.

IV. Postremo loco insignis commemorandus venit Christi martyr Pamphilus caesariensis Ecclesiae presbyter, cujus Eusebius in lib. de martyrib. palaest. cap. 11. honorifice meminit. Is apologiam pro Origene edidit, in qua demonstrare nititur Origenem de Trinitate catholice sensisse, quod tradiderit, *eamdem esse inconvertibilitatem Spiritus Sancti, quae et Patris et Filii: aequalem esse Trinitatem: sicut Pater novit initia omnium quae sunt et fines, sic et Filium et Spiritum S. scire: ὁμοούσιον esse cum Patre Filium, idest, unius substantiae*. Qua in defensione etsi errore facti deceptus forte fuerit, nihilominus argumentum in illa prostat invictissimum asserendi Pamphilum ipsum optime atque catholice de Verbi sensisse consubstantialitate.

V. Assertam denique a trium priorum saeculorum Patribus sanctissimam de Verbi divinitate ejusque cum Patre consubstantialitate fidem decreto suo firmavit, et adversus Arianos sanxit primum generale concilium quod Nicaeae in Bitynia habitum est. Ibi namque, universo plaudente orbe, anathema dictum est in Arium hisce verbis: *Eos autem qui dicunt, erat quando non erat, et priusquam nasceretur non erat, aut ex non exstantibus factus est, vel ex alia hypostasi sive substantia, vel creatum vel convertibilem, aut alterabilem dicentes Filium Dei, hos anathemate ferit catholica et apostolica Ecclesia*. Et praeterea symbolum edidit in quo definivit, *Christum esse Deum, et Dei Filium unigenitum, ex Patre natum ante omnia saecula*. Quibus verbis Arianorum jugulata est blasphemia qua dicebant: *Fuit aliquando tempus quando non erat*. Cumque fateri deinceps non detrectarent haeretici, *Filium esse Deum*, subintelligentes Deum esse inferioris a Patre conditionis, et gradus quosdam cum platonicis in divinitate statuentes, consulto concilii Patres addiderunt: *Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum*. Sed Ariani haec quoque subterfugiis eludere conabantur ajentes Filium non esse quidem factum ad instar creaturarum ex nihilo, sed factum a Patre fuisse ex suipsius substantia. Hinc Patres addiderunt: *Consubstantialem Patri per quem omnia facta sunt*. Quibus verbis aditum omnem effugiendi Arianis praecluserunt. Adeo autem haec definitio illis displicuit, ut ob unam vocem ὁμοούσιον innumeras in Ecclesia turbas excitantes, sub obtentu vocis illius abrogandae quod in Scripturis non legeretur, nullum non moverunt lapidem, ut Nicaenae synodi elevarent auctoritatem. Nec ea aetate solum, sed deinceps quoque et nostris etiam temporibus quaerelae adversus sacram illam vocem renovatae ac ingeminatae sunt; quum et Semiariani et Sociniani acre illi bellum indixerint; Semiariani, quod vellent

Filium esse Patri quidem ὁμοιούσιον, *substantia similem*, non ὁμοούσιον, *consubstantialem*; Sociniani vero, quod putent vocabulum illud ortum duxisse a Gnosticis et Valentinianis. In hac ergo tuenda voce utpote ad veteres novosque Arianos refellendos aptissima, totus vir theologus esse debet. Unde cum Catholicis omnibus sit

CONCLUSIO.

Vox ὁμοούσιον, *consubstantiale, jure meritoque a Nicaenis Patribus adhibita est, ac symbolo addita et consecrata.*

Prob. 1. Debuit Nicaenum I. concilium damnare Arianos tamquam haereticos quod impie blasphemarent 1. *Fuisse aliquando tempus quando Verbum non erat*. 2. *Factum fuisse ex non exstantibus*. 3. *Esse quidem Deum, sed inferioris a Patre conditionis*. Porro ad hos resecandos errores opportuna erat et aptissima vox ὁμοούσιον, *consubstantiale*. Nam vox haec si secundum nominis accipiatur etymologiam, significat illos de quibus enunciatur, aut eamdem esse substantiam, aut simul in eadem substantia existere; composita enim vox est ex ὁμοῦ, *simul*, et οὐσία, *substantia*. Quare si Verbum est Patri ὁμοούσιον priori sensu, hoc est ejusdem cum Patre substantiae: Non ergo factum est ex non exstantibus, videlicet ex nihilo; neque Deus inferioris a Patre conditionis dici potest. Si vero dicatur Verbum Patri ὁμοούσιον altero sensu, nempe in eadem simul cum Patre substantia quae aeterna est: Iam non fuit aliquando tempus quando non erat, sed aeternitate gaudet ut Pater. Atque ita vox una ὁμοούσιον integrum evertit Arianorum systema.

Prob. 2. Nicaeni Patres sancire ac statuere debebant adversus Arianos quae de divino Verbo in sacris Scripturis leguntur; esse videlicet *Deum*: esse *de Deo*: esse *Filium*: esse *Unigenitum*. Si autem Filius est Patri ὁμοούσιος, jam est ejusdem cum Patre substantiae; atque idcirco est *Deus*, est *de Deo*, est vere *Filius*, vere *Unigenitus*. Ita fere ratiocinatur Athanasius lib. de synod.

Prob. 3. veterum Patrum auctoritate. Idem Athanasius in ep. ad Episcop. Africae: *Quod si*, inquit, *simulent se exhorrere vocabulum* ὁμοούσιον, *dicant et sentiant simpliciter et vere Filium natura esse Filium*, *et anathemate*, *ut imperavit synodus*, *eos feriant qui dicunt Filium Dei facturam*, *aut creaturam*, *aut ex non exstantibus esse*, *vel fuisse quando non esset .... et ex aliena substantia illum esse*, *atque fugiant haeresim arianam: et nulli dubitamus quin postquam haec ingenue et candide anathematizaverint*, *statim confessuri sint Filium esse de substantia Patris*, *Patrique consubstantialem esse*. Ambrosius: *Nam quid est aliud*, inquit, *cur* ὁμοούσιον *Patri Filium nolint dicere*, *nisi quia nolunt verum Dei Filium confiteri? Sicut auctor ipsorum Eusebius nicomediensis epistola sua prodidit*, *dicens: si verum*, *inquit*, *Dei Filium et increatum dicimus*, ὁμοούσιον *cum Patre incipimus confiteri. Haec cum lecta epistola esset in*

concilio Nicaeno, hoc verbum in tractatu Fidei posuerunt Patres, quod id viderunt adversariis esse formidini: ut tamquam evaginato ab ipsis gladio, ipsorum nefandae caput haeresis amputaretur. Hilarius in lib. de synod. scribit: *Displicet cuiquam in synodo Nicaena* ὁμοούσιον *esse susceptum? Hoc si cui displicet, necesse est ut placeat quod ab Arianis est negatum. Negatum idcirco est* ὁμοούσιον, *ne ex substantia Dei Patris Deus Filius natus, sed secundum creaturas ex nihilo conditus praedicaretur*. Eadem habet Basilius ep. 300., Augustinus in lib. cont. serm. Arian. aliique apud Petavium de Trinit. lib. 4. cap. 3., et Lupum nostrum in append. ad synod. Chalced. Ex quibus Patrum testimoniis conficitur solos Arianos vocabulum ὁμοούσιον inficiari.

Haereticorum contradictiones dispelluntur.

Obj. 1. Quum in sacris litteris vocabulum ὁμοούσιον non legatur, non poterant Nicaeni Patres citra piaculum illud addere symbolo. II. Non enim in definitionibus Fidei vocabula assumere licet quae expresse non reperiantur in Scripturis. Nam Apostolus in I. ad Timoth. cap. 6. devitari jubet novitates vocum. III. Et quamvis licitum foret vocabula in definitionibus Fidei assumere quae explicite in Scripturis non sunt, deberent nihilominus adoptari saltem voces quae in usu sunt apud Patres. Tempore autem Nicaeni concilii Patribus ignotum penitus erat illud vocabulum; secus non ausi fuissent Ariani tam aperte ei contradicere.

Resp. ad 1. *Si penitus excludenda putant* (Ariani) *vocabula omnia non scripta, cur cum Arius tantum acervum dictionum quae numquam in Scripturis occurrunt, accumulaverit; quales sunt, Ex non exstantibus, Et, non erat Filius antequam gigneretur, Et, erat quando non erat, Et, mutabilis est, Et, ineffabilis est, atque invisibilis Pater Filio suo, Et, Filius ne sua quidem novit substantiam et cetera, quae in ridiculo impioque commentario suo Arius evomuit ex opinione sua, non illi contradixerunt?* Ita Athanasius in lib. de synod. 2. Non legitur in sacris litteris explicite totidemque syllabis vocabulum ὁμοούσιον, habetur tamen implicite et quoad substantiam. Legitur enim in Scripturis, *Ego in Patre, et Pater in me est:* Et, *Ego de Patre exivi*: Et, *Qui videt me, videt et Patrem*. Item habetur Filium imaginem esse splendoremque Patris, et *lumen*, et *vitam*, et *veritatem*, quae nonnisi de summo altissimoque Deo praedicari possunt: unde habetur ibi implicite vocabulum ὁμοούσιον. Optime hinc et P. Augustinus in epist. 238. olim 174. ad Pascent. ait, *Prius interpretandum et exponendum esse quid sit* ὁμοούσιον, *tum demum in divinis litteris requirendum: quia etsi fortasse nomen ipsum non inveniretur, res tamen ipsa inveniretur. Quid est enim contentiosius, quam ubi de re constat, certare de nomine?*

Ad 2. Apostolus vocum profanarum non autem piarum novitates vitari jubet. Unde Hilarius in lib. ad Constant. Augustum: *Nolo*, inquit, *verba, quae scripta non sunt, dici. Hoc tandem rogo, quis episcopis*

jubeat? Et quis apostolicae praedicationis vetet formam? Dic prius, si recte dici putas. Nolo adversus nova venena novas medicamentorum comparationes. Nolo adversum novos hostes nova bella. Nolo adversus novas insidias consilia recentia. Novitates vocum, sed profanas devitari jubet Apostolus. Tu cur pias excludis? Cum praesertim ab eo dictum sit, Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est. Innascibilem scriptum numquam legis. Numquid et hoc negandum erit, quia novum est?

Ad 3. dico 1. novis emergentibus erroribus licitum utique esse Ecclesiae nova ad illos praefocandos vocabula cudere, ut mox cum Hilario ajebam. Deinde argumentum supponit licuisse Patribus novas in rebus ad Fidem spectantibus condere voces quae in Scripturis non sint; vult enim argumentum debere uti Ecclesiam vocabulis quae si in Scripturis non occurrant, habeantur saltem in Patribus. Cur ergo licitum idipsum non erit universali Ecclesiae in concilio congregatae? 2. Sed falsum penitus est vocabulum illud veteribus ignotum fuisse Patribus. Nam Eusebius caesariensis in ep. ad suos, cujus meminit Socrates lib. 1. hist. cap. 8., inquit: *Novimus quosdam ex veteribus doctos et industres episcopos, et scriptores qui de Patris et Filii divinitate disserentes, nomine* ὁμοούσιου *usi sunt*. Et merito quidem ita scribit Eusebius. Nam ejus nominis, et quidem in sensu a nobis accepto, meminit Irenaeus qui lib. 1. cap. 1. Valentinianorum exponens deliramenta inquit, *Id quod spirituale erat, haudquaquam ab Achamoth informari potuisse, quoniam cum ipso* ὁμοούσιον, *ejusdem substantiae, erat*. Et Tertullianus qui initio lib. adv. Praxeam affirmat totam Trinitatem ejusdem esse substantiae. Et Dionysius alexandrinus, et Pamphilus martyr, quorum testimonia supra retulimus. Quare admisso etiam adversariorum principio, jure Ecclesia ac prudentissime vocabulum ὁμοούσιον adversus Arianos adhibuit et consecravit.

Obj. 2. *Si Pater et Filius sunt* ὁμοούσιοι, *divina natura sectionem quamdam admittit et in dualitatem dividitur. Neque enim aliter consubstantialis esse potest; quum in creatis quae consubstantialia sunt, dividantur ac partiantur*. Ita apud Cyrillum alex. lib. 9. thes. arguebant Ariani. II. Hinc Antiochena synodus ante Nicaenam celebrata, vocem ὁμοούσιον jam damnaverat in causa Pauli samosateni. III. Et quamvis expurgari vox illa a prava intelligentia possit, abjicienda nihilominus ést: quoniam denotare naturae partitionem quum possit, ansam praebet Sabellianis blasphemandi unicam tantum esse in divinis personam. Cumque de Ecclesiae prudentia sit omnem penitus errandi submovere occasionem, male se gessit in Nicaeno concilio congregata, apostolico symbolo addendo novum vocabulum ὁμοούσιον.

Resp. ad 1. Quae creata sunt, licet dicantur ὁμοούσια, dividi partirique intelliguntur, non vi vocabuli τοῦ ὁμοουσίου, sed ex rerum conditione creatarum, in quibus inter plures personas physica unitas essentiae dari non potest. Nam quid natura sua vox ὁμοούσιον significet, paullo ante monuimus. Ceterum, *uti cum foetum sive germen aut Filium audimus, nihil humanum, sed cujusmodi Deo convenit, dici et inesse cogitamus: ita cum*

ὁμοούσιον *audimus*, *quod est consubstantiale; caveamus*, *ne ad humanos sensus revoluti*, *partitiones quasdam divisionesque divinitatis cogitemus. Sed tamquam de corporis expertibus animo versantes*, *unitatem naturae et identitatem lucis minime dividamus*; ait Athanasius in lib. de decr. Nic. syn.

Ad 2. Antiochena synodus vocem illam ὁμοούσιον non in se et absolute, sed secundum abusum quem illius faciebat Paulus samosatenus damnavit ut dictum est supra cap. 8.

Ad 3. Vocabulum ὁμοούσιον in nativa propriaque sui significatione denotat, ut saepe diximus, duo esse simul, vel eamdem substantiam, vel in eadem substantia. In rebus autem creatis partitionem divisionemque significat ex rerum creatarum conditione. Quare nonnisi ex hominum malitia vel ignorantia praebere ansam Sabellianis potest: nec imprudenter Nicaeni Patres vocem illam consecrando se gesserunt, praesertim cum talem adhibuerint illi cautionem, ut omnem errandi submoverint occasionem. Nam dixerunt: *Credimus in unum D. J. C. Filium Dei unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia saecula. Deum de Deo*, *lumen de lumine*, *Deum verum de Deo vero. Genitum*, *non factum*. Subinde vocem quam Ariani reformidabant addiderunt, *Consubstantialem Patri*. Quare si vox illa recte perpendatur, nequit Sabellianorum errori ansam praebere. Nam, ut ait Basilius ep. 300. *Tollit hypostaseon identitatem*, *perfectamque personarum intelligentiam inducit. Non enim idem tibi ipsi consubstantiale est*, *sed alterum alteri. Proinde recte ac religiose admodum usurpatur*, *cum et hypostaseon proprietatem decernat*, *et naturae sine ulla diversitate communionem exprimat*.

SCHOLION.

Semiariani, ut capitis initio praemonuimus, non dubitabant confiteri Filium esse quidem Patri ὁμοιούσιον, *similem substantia*, negabant autem esse ὁμοούσιον, *consubstantialem*. Etiam Catholici et qui Arium insectabantur tam ante, quam post Nicaenum I. concilium vocabulum illud ὁμοιούσιον de Filio enuntiabant, unitatem et ipsi naturae quae est inter Patrem ac Filium, similitudinis et imaginis nomine declarantes. Hinc Alexander Alexandriae antistes in ep. ad sui cognominem C. P. unitatem naturae quam illa Christi verba, *Ego et Pater unum sumus*, appellat similitudinem: *Quia ita natus est Filius*, *ut paternam effigiem exacte retineat*, *ut qui omnimodam ipsius natura sua similitudinem expresserit*, *ac sit nulla re discrepans imago Patris et prototypi expressa figura*. Hinc etiam Hilarius in lib. ad Const. Aug. vocem ὁμοιούσιον non approbat modo, sed illam utilem esse docet ad Sabellianorum refellendam impietatem. Verum ubi Semiariani eo usi sunt vocabulo, tamquam propugnaculo ad bellum voci ὁμοούσιον indicendum, rejici a Catholicis coepit, ut colligitur ex Athanasio in lib. de syn.

CAPUT X.

De mente nonnullorum Patrum qui post Nicaenum I. concilium floruerunt, quorumque fides circa Verbi divinitatem dubia videtur.

Tres sunt praecipui post Nicaenum I. concilium Patres quorum circa Verbi divinitatem fides non solum ab haereticis, verum etiam a Catholicis in dubium revocatur. Eusebius nimirum caesariensis, Hosius cordubensis, et Liberius Romanus Pontifex. Et Eusebium quidem arianismi insimulant praeclari viri, Annalium parens Baronius, Dionysius Petavius, Natalis Alexander, ambo Johannes, Clericus scilicet et Dallaeus, aliique complures. Defenditur autem a Molinaco, Zanchio, Cave, Witasse, Juenin, aliis. In utramque partem de illius sententia disputat Laurentius Berti.

De Hosio cordubensi nemo quem sciam, si unum excipias Cardinalem Aguirre, dubitat quin post innumeros exanthlatos pro catholica fide labores, secundae sirmiensi formulae quae tota arianica erat, tandem subscripserit. Ab haeresi tamen, Dei adjuvante misericordia, resipuit; quamvis nonnulli ignoti nominis Scriptores, quos Valsaeus et Mariana sequuntur, contrarium affirment.

Majore animi contentione disputant Eruditi de fide Liberii R. P. atque in tres dividuntur classes pro triplici quae Sirmii edita est formula Fidei, quarum uni certum est subscripsisse Liberium. Sciendum quippe est tres editas fuisse Sirmii, ut ajebam, ab arianae factionis episcopis formulas Fidei; primam anno 351. alteram anno 357. tertiam anno 359. In priori damnatus est Photinus eadem cum Sabellio ac Paulo samosateno de Christo Domino sentiens: quae catholica est nisi quod vocabulum ὁμοούσιον, *consubstantiale*, fuit in ea suppressum. Hinc ab Hilario lib. de synod. a Philastrio lib. de haer. cap. 65. et a Vigilio Tapsensi lib. 5. cont. Eutych. tamquam catholica habetur; quamvis Athanasius, quod ab Arianis edita fuerit, illam haeresis accuset. Altera Fidei formula quam perditissimi nonnulli occidentales, Valens nempe, Ursacius, Germinius, ac Potamius ediderunt, quum definiat solum Patrem non Filium Deum esse: Patrem honore dignitate majestateque Filio esse majorem: et abstinendum esse veluti a blasphemis vocibus ὁμοούσιον et ὁμοιούσιον, expresse ariana est. Tertia demum formula Fidei haec inter cetera habet: *Vocabulum porro substantiae quia simplicius a Patribus positum est et a populis ignoratur et scandalum affert, eo quod in Scripturis non continetur, placuit, ut de medio tolleretur, et nullam posthac de Dei substantia mentionem esse faciendam, eo quod sacrae Scripturae nusquam meminere substantiae Patris et Filii. Filium autem Patri per omnia similem dicimus, quemadmodum sacrae litterae dicunt et docent*. Quoniam igitur uni ex his tribus formulis certum est subscripsisse Liberium; cuinam vero subscripserit, incertum: Eruditi ubi de tanti Pontificis fide disputant, ad invicem dissociantur. Henricus Valerius in not. ad lib. 4. Sozomeni cap. 15. cui assentitur Pagius ad an. 357 arbitratur Liberium subscripsisse tertiae: Blon-

dellus in lib. de Prim. Papae, quem ex parte sequitur Petavius, secundae: Reliqui vero omnes, primae. Sed ut redeamus ad Eusebium, sit

CONCLUSIO I.

Probabile admodum est Eusebium caesariensem castigatioribus adhaesisse Arianis.

Castigatiores Arianos eos appello qui post Nicaenum concilium Semiariani dicti sunt, quique a cruda illa quam Arius evomuit blasphemia vehementer abhorrentes, ajebant Filium esse Patri ὁμοιούσιον, *substantia similem*. In quorum opinione verae sunt sequentes propositiones: *Filius ante omnia fuit*. Et, *Filius non est ex nihilo factus, aut creatus in tempore: sed est ab aeterno ex Patris substantia generatus*. Platonicorum siquidem more plures in divinitate admittebant gradus, ut in superioribus diximus.

Prob. itaque thesis 1. veterum testimonio. Alexander Alexandriae episcopus qui primus Arium damnavit, in ep. ad Alexandrum C. P. Eusebium absque ulla haesitatione Arianis accenset. Athanasius in lib. de synod. Arim. et Seleuc. de Eusebio inquit: *Non est veritus palam dicere Christum non esse verum Deum*. Idem aperte tradunt, et Marcellus ancyranus in lib. cont. Arianos, et Hilarius in lib. 1. ad Constantium, et Epiphanius in haer. meletiana; Hieronymus autem in ep. ad Ctesiphontem scribit: *Eusebium fuisse arianum nemo est, qui nesciat*. Idem profert judicium in utraque apol. adv. Rufinum, et in ep. ad Minervium, et Alexand. Arianus dicitur quoque ab Antipatre Bostrorum antistite lib. 1. adv. Eusebii apol. pro Origene. Patres vero VII. Oecumenicae synodi actione 6. ita loquuntur: *Quis enim fidelium Ecclesiae et eorum qui verorum dogmatum scientiam perceperunt, ignorat quod Eusebius Pamphili in reprobum sensum traditus, ejusdem opinionis et sensus fuerit cum iis qui Arii impietatem secuti sunt?* Sequuntur deinde Photius in biblioth. cod. 13. et 128. et Zonaras in hist. Const. et Nicephorus lib. 6. hist. cap. 37. nec non Sophronius, Suidas, Baronius, qui omnes non obiter, sed ex professo Eusebii tractarunt caussam: quique uno ore concludunt adhaesisse illum revera Arianis.

Respondent Eusebii Apologistae suos quoque habuisse inter veteres Eusebium defensores. Fuerunt autem hi Constantinus M. et Gelasius Papa, Pelagius item Papa II. et cum eo Gelasius Cyzicenus, Auctor de lumin. Eccl. in Bedae collectaneis. Nec magni esse videtur momenti, inquit Valesius, quod adversus Eusebium protulerunt VII. synodi Patres qui non data opera sed obiter nec caussa cognita, loquuti sunt de Eusebio.

Huic autem exceptioni sic occurri potest. 1. Haec una ex rationibus est, cur de Eusebii arianismo probabiliter tantum pronuntiaverimus, ut veterum videlicet auctoritas sarta tecta servetur. 2. Si tamen auctoritas cum auctoritate conferatur, majoris quidem ponderis Scriptorum nostrorum quam

eorum qui ab Eusebii Apologistis laudantur, esse videtur. Nam Alexander, Athanasius, Hilarius, Hieronymus, ceterique a nobis relati ex proposito, et postquam diu multumque caussam versarunt, Eusebium arianismi insimularunt. E contra vero Scriptores ab adversariis laudati vel obiter, vel nullo praemisso examine, de Eusebii fide pronuntiarunt. Sed nonnihil dicamus de singulis. Constantinus M. etsi piissimus imperator, aliquid tamen humani in utriusque Eusebii caesariensis et nicomediensis passus est, ut singuli historici narrant. Affertur deinde Gelasius Papa tamquam Eusebii laudator in lib. de duabus naturis, sed demonstrandum antea erat librum illum esse revera Gelasii: et quamquam illius esset vel alterius gravis Scriptoris, nil tamen confici ex eo posset; quum illius scopus non sit de Eusebii fide pertractare. Quid demum Pelagius II. de Eusebio dicit? Esse illum inter historicos honoratissimum; quasi vero nequeat haereticus res ad historiam spectantes sincere accurateque narrare. Reliquos non moror, quoniam aut non magni nominis, aut anonymi sunt Scriptores. 3. Quod regerit Valesius concilii Nicaeni II. Patres de Eusebii fide obiter pertractasse, falsum omnino est. Actione enim V. in medium allata est ipsius epistola ad Euphrasionem; ex eaque textus excerpti ipsius arianismum redolentes. Item act. VI. alia ejusdem furfuris recitata sunt testimonia ex epistola iterum ad Euphrasionem scripta, et ex altera ad Alexandrum alexandrinum episcopum. Objectionem subinde ex illius subscriptione Nicaeno I. concilio deductam solvunt: atque his omnibus accurate perpensis, pronuntiant Eusebium esse arianum. Non ergo obiter Nicaeni II. Patres de Eusebii fide pertractarunt.

Prob. 2. ex illius scriptis ante Nicaenum I. concilium editis; ex libris videlicet tum Preparationis tum Demonstrationis evangelicae, quos elucubrasse fertur circa an. 315. In VII. ergo Praep. evang. cap. 14. docet duas in divinis esse caussas duasque substantias: quarum altera, *sine principio est et ingenita*; altera est *secunda substantia prima omnium constituta, et a primo principio condita quam Verbum et Dei sapientiam et virtutem nominant*. Neque vero dici potest Eusebium Patrem ac Filium duas appellare substantias, hoc est, duas personas, quasi οὐσίας et ὑποστάσεις nomina promiscue usurpet. Nam, ut cetera mittam, secundam substantiam ait ipse conditam a primo principio fuisse: et cap. sequenti 15. quid duarum substantiarum nomine intelligere velit exponens, comparat Patrem supremo caelo, Filium soli, et Spiritum S. lunae, affirmans illud inter Patrem Filium ac Spiritum S. intercedere discrimen, quod inter caelum, solem, et lunam conspicimus: *Nobis igitur*, inquit, *simile utcumque modo de incorporearum illarum intelligentiumque naturarum ordine sentiendum, ut vis quidem illa immensa Dei praepotentis omnique oratione major, confertim ac simul universa comprehendat; tum Patrem consequatur Verbi divini potentia quae reliqua pariter moliatur et illustret; quam ob caussam lux vera, et justitiae sol ab Hebraeis nominari consuevit: deinde post secundam illam naturam, lunae quasi loco, Spiritus S. natura succedat*. En Platonicorum more diversi in divinitate gradus.

Plura alia hujus generis sunt in libris de Praep. evang. quae collecta vide apud Petavium lib. 1. de Trin. cap. 2. Praeterea de Demonstr. evang. cap. 3. lib. 4. Verbum Dei cum splendore comparat, qui oritur e luce: tum subdit hoc esse inter utrumque discrimen, *quod a sensibili luce separari splendor non potest: at Filius privatim, praeter Patrem, per se ipse subsistit. Tum lucis splendor efficientiae locum obtinet; Filius vero aliud quiddam est ab efficientia diversum, cum per se substantiam habeat. Item splendor cum luce simul existit ... At vero Pater prius quam Filius existit, et ante generationem ejus subsistit, quatenus solus erat ingenitus*. Nullam haec benignam videntur interpretationem admittere. Lib. 5. cap. 1. *Ante Filium*, inquit, *existere Patrem ac subsistere, nemo non fatetur*. Et cap. 6. affirmat, *Patrem esse universorum Deum primum et vere Dominum tam ipsius unigeniti sui Verbi, quam eorum omnium quae post illud genita sunt*. Atque haec quidem scribebat Eusebius antequam Nicaeno interesset concilio. Videamus modo quid post concilium illud senserit.

Prob. 3. Lib. 1. H. E. cap. 1. ita loquitur: *Patrem quidem et factorem introducens* (Moyses,) *tamquam summum ducem nutu regio praecipientem; hunc vero secundum ab illo Dei Verbum, non alterum utique quam qui praedicatur a nobis, paternis imperiis servientem*. Appellat hic Verbum a Patre secundum, illiusque ministrum et servum. Lib. 1. adv. Marcel. cap. item 1. ait Verbum esse mediatorem Deum inter et Angelos. Praeterea ex illius ep. ad Euphrasionem, prout in concilio Nicaeno II. recitata est Act. 5. haec depromi possunt testimonia ad judicium de illius fide ferendum: *Non enim coexistere Filium Patri, sed ante fuisse Patrem quam Filium dicimus. Nam si coexistunt, quomodo erit Pater et Filius? vel quomodo unus quidem primus? alter vero secundus est? et alter quidem ingenitus; alter autem genitus, etc.* Et paullo post haec alia ex eadem promuntur epistola: *Eumdem vero et solum verum esse docet, per ea quae ait: ut sciant te solum verum Deum; non quasi unus solus sit Deus, sed quia unus est verus Deus cum additamento necessario veri. Nam et ipse quidem Filius Deus, sed non verus Deus*. Athanasius quoque locum hunc arianismi insimulat. Nil ergo solidi ad excusandum ab arianismi labe Eusebium caesariensem afferri potest.

Prob. ultimo ex illius genio agendique ratione. Nam ante Nicaenum concilium quid de Ario ejusque discipulis, deque Verbi sentiret consubstantialitate, satis demonstrat epistola illius ad Alexandrum Alexandriae episcopum, ex cujus lectione sanctus ille praesul illico deprehendit Eusebium in eodem haesisse luto cum Ario. Absoluta Nicaena synodo adeo impense Arianis favit, ut eorum praefuerit pseudosynodis Antiochenae, et Tyriae. In libris cont. Marcellum ancyranum arianae factionis episcopos usque ad sidera extollit. In sua autem ecclesiastica historia de ariana haeresi tunc temporis adeo celebri ne verbum quidem habuit. Iniquo denique animo fuit semper in S. Athanasium. Probabile ergo admodum est virum a tot tantisque celeberrimis Scriptoribus arianae haeresis insimula-

tum; virum qui tam ante, quam post Nicaenum I. concilium eadem scripsit quae Ariani sentiebant; virum cui ingenium agendique ratio fuit favere semper Arianis, horum fuisse labe contaminatum.

CONCLUSIO II.

Hosius cordubensis episcopus in arianam lapsus est haeresim; sed ab ea tamen resipuit.

Prob. prior thesis pars. Hosius artibus deceptus Arianorum secundae tandem sirmiensi formulae subscripsit quae pus venenumque arianum expresse continebat, ut capitis initio adnotavimus. Nam Athanasius in ep. ad Solit. *Tantam vim*, inquit, *Constantius imperator intulit seni, et ita eum arcte tenuit, ut afflictus attritusque malis tandem aegreque cum Ursacio et Valente communicaret, sed tamen contra Athanasium non subscriberet*. Et in sua ad Constantium apologia scripsit: *Quamvis ob illatas ipsi multas plagas, immodicas et structas in cognatos ejus insidias cesserit ipsis* (graece εἶξεν, *non repugnavit,*) *ad horam, utpote senex, et corpore imbecillis*. Hilarius lib. de synod. miserandum Hosii lapsum fuse describit, Fideique secundam formulam sirmiensem ab eo approbatam appellat *Blasphemiam per Hosium et Potamium conscriptam*. Theodoretus lib. 4. hist. eccl. cap. 6 ait: *Hosius initio quidem illis consentire detrectabat, compulsus tamen, et verbera, ut fama fert, cum esset senex perpessus, tandem consensit et subscripsit*. Socrates lib 2. hist. cap. 31. *Necessitate compulsus* (Hosius) *adfuit invitus* (concilio Sirmiensi,) *sed cum consentire renuerit, verbera et tormenta inflixerunt seni: itaque vi et necessitate adactus, editis tum Fidei expositionibus consensit atque subscripsit*.

Prob. altera pars. Athanasius in laudata paullo ante apol. ad Imp. testatur Hosium *cessisse ad horam*. In ep. autem ad Solit. *Verum*, inquit, *ne ita quidem eam rem pro levi habuit, moriturus enim protestatus est, et arianam haeresim condemnavit, vetuitque a quoquam probari aut recipi*. S. P. Augustinus in lib. 1. cont. ep. Parmen. cap. 4. ex professo adversus Donatistas demonstrat, Hosium resipuisse et in pace obiisse Ecclesiae.

CONCLUSIO III.

Liberius R. P. non tertiae neque secundae, sed primae sirmiensi formulae subscripsit.

Prob. prima prop. pars. Constat ex Liberii ipsius epistola ad episcopos orientales et ex fragmentis Hilarii Liberium sirmiensi formulae subscripsisse, dum adhuc Beroeae exul esset; et quidem ut ab exilio revocaretur. Sic enim in ep. ad Orient. legitur: *Sane petendum credidi sanctitatem vestram, quia jam pervidetis in omnibus me vobis consentaneum*

esse, *dignemini communi consilio ac studio laborare*, *quatenus de exilio dimittar*, *et ad sedem quae mihi divinitus credita est*, *revertar*. Verum tempore quo tertia edita est sirmiensis formula, Liberius jam ab exilio fuerat revocatus Romamque redierat. Nam Romam rediit summus Pontifex post exactum exilii sui triennium, ut testis est Athanasius in ep. ad Solit. qui reditus incidit in an. 358. non diffitentibus Valesio et Pagio. Porro tertia sirmiensis formula edita non est ante an. 359. ut patet ex epigraphe eidem formulae apposita quae ita se habet: *Exposita est catholica Fides in praesentia Domini nostri religiosissimi*, *et victoris Imperatoris Constantii aeterni Augusti*, *sub consulatu Flavii Eusebii*, *et Hypatii clarissimorum virorum apud Sirmium XI. kal. Junias*. Consulatus autem Eusebii, et Hypatii incidit in an. 359. ut accuratiores demonstrant Chronologi.

Prob. altera pars. I. Sirmiensis formula cui, juxta Hilarium in fragm. subscripsit Liberius, edita fuerat ab *Homoeusianis*: *Perfidiam apud Sirmium descriptam quam dicit Liberius catholicam*, *et a Demophilo sibi expositam*, *hi sunt qui conscripserunt*: *Narcissus*, *Theodorus*, *Basilius*, *Eudosius*, *Demophilus*, *Cecropius*, *Silvanus*, *Ursacius*, *Valens*, *Evagrius*, *Hyrenius*, *Exuperantius*, *Terentianus*, *Bassus*, *Gaudentius*, *Macedonius*, *Marthus*, *Actius*, *Julius*, *Surinus*, *Simplicius*, *et Junior*. Ast altera sirmiensis formula edita minime fuit ab Homoeusianis: imo statim ac illa ad illorum pervenit notitiam, in Ancyrana synodo, procurante Basilio, damnata fuit. Nam de ea formula scribit Socrates lib. 2. hist. cap. 30. *Sciendum autem quod Episcopi Sirmii congregati*, *poenitentia ducti sunt propter romanam Fidei expositionem*. *Multa namque post expositionem videbatur ipsis habere contraria*. *Quapropter satagebant ut eam ab illis qui descripserant*, *reciperent*. *Quoniam vero multi eam occultabant*, *Imperator cum edictis inquiri jussit*, *supplicium minatus*, *si quis eam occultasse deprehenderetur*. Constantius siquidem Semiarianis, non Arianis favebat. II. In fidei formula sirmiensi quam approbavit Liberius, subscripti inveniuntur, juxta Hilarii fragm. inter ceteros, Basilius ancyranus, Theodorus heracleensis, Silvanus tarsensis, Eudoxius, et Cecropius. Nemo autem ex recensitis mox episcopis secundae sirmiensi potuerunt subscribere formulae. Non Basilius quidem ancyranus, qui eam formulam impugnavit damnarique curavit in concilio Ancyrano. Neque Theodorus heracleensis, qui jam ab anno 355. fatis cesserat. Sed neque probare illam poterat Silvanus, quum catholicus esset multaque Fidei caussa fuerit ab Arianis perpessus. Nec denique Eudoxius, et Cecropius, qui anno 357. Sirmio aberant. III. Fidei formula sirmiensis cui subscripsit Liberius, viginti duo episcoporum nomina, ut loco citato refert Hilarius, continebat: iique fere omnes orientales erant, ut Liberius ipse in ep. ad Orientales data testatur. Ast vero altera sirmiensis formula a sex tantum episcopis, iisque occidentalibus, ut testes sunt Socrates lib. 2. hist. cap. 3. et Sozomenus lib. 4. cap. 12. condita fuit. Adde, quod formulae a Liberio probatae subscripti non erant Hosius, Potamius, Germinius, qui

tamen secundae sirmiensi formulae subscripserant. Qua de re si non tertiae neque secundae, consequitur priori tantum sirmiensi formulae quae interpretative dumtaxat haeretica dici potest, Liberium subscripsisse.

CAPUT XI.

Expenduntur praecipua adversariorum argumenta.

Obj. I. cont. primam propositionem. Eusebius in singulis suis operibus tam ante quam post Nicaenum concilium exaratis, ubique affirmat Filium esse Deum, et quidem Deum verum, ut est Pater. In lib. I. de Eccl. thesaur. cap. 20. ita loquitur: *Deus est ac Dominus similiter atque Pater, et Dominus Deus, quomodo per Scripturas universas annunciatur.* Et paullo post tradit, *Verbum esse* Θεὸν, *quia habet divinae dignitatis excellentissimam naturam.* II. Et in lib. 4. ejusd. oper. cap. 23. totus est, ut adv. Marcellum ancyranum demonstret Patrem et Filium unicum esse Deum unicamque substantiam. III. Nec ullibi in ejus operibus legere est Filium depressisse ad sortem creaturarum. E contra in singulis suis voluminibus aperte damnat eos qui Filium esse creaturam affirmant, ea ductus ratione apprime catholica, quod Filius sit vere ac proprie a Patre genitus. Legatur lib. I. de eccl. theol. cap. 8. 10. et II. Quibus in locis et alibi, puta lib. 10. hist. eccl. cap. 4. non semel Filium αὐτόθεον, *per se vere Deum*, appellat.

Resp. ad singula. Et ad I. Eusebius appellat utique saepe Filium Deum verum, ut verus Deus est Pater, sed quoad aliqua, non ratione naturae. Nam nihil in citato volumine de eccl. theol. tradit, quod non libenter ab ipsis quoque Semiarianis admittatur; quum et Semiariani Filium Deum nominarent, et quidem verum, ut verus Deus est Pater, confitentes Patri esse ὁμοιούσιον, *substantia similem*. Nusquam tamen nec Eusebius, nec Semiariani Filium esse verum Deum quoad omnia et ratione divinae naturae fassi sunt. Hinc loco in argumento laudato, postquam tam magnifice fuerat de Filio loquutus, explicans illa verba, *Omnia per ipsum facta sunt*, inquit, *Esse in Verbo ministri ac servi conditionem qua Deo famulatur*, hanc afferens caussam. *Cum dicere posset Evangelista, omnia ab ipso facta sunt, et mundus ab ipso factus est: non dixit, ab ipso, sed per ipsum, ut nos revocaret ad omnium effectricem Patris auctoritatem.* Et iterum: *Sed et mundus, inquit, per hoc lumen factus est; utpote quia qui praestantior est, videlicet Pater, per Filium universa constituerit.* Quae quidem satis superque declarant quo sensu Eusebius Deum Filium appellaverit.

Ad 2. Demonstrat Eusebius contra Marcellum Patrem ac Filium unicum esse Deum unamque substantiam: Sed quomodo? Sicut videlicet unum sunt Rex illiusque imago: non in sensu catholico. Ita siquidem argumentatur: *Non tamen cunctandum est quin et ipsum Filium confiteamur esse verum Deum, cui quidem hoc, tamquam in imagine con-*

veniat. Porro quemadmodum ubi rex unus imperat, cujus imago terrarum ubique circumfertur, nemo prudens dixerit duos esse imperatores, sed unicum, qui in imagine ista colitur; eodem modo et Ecclesia unum venerari Deum edocta, hunc ipsum et per Filium, quasi per imaginem adorare perseverat. An ne imago regis illi consubstantialis est? Ita nec Filius per Eusebium consubstantialis est Patri.

Ad 3. Etiam Semiariani damnabant eos qui Filium ad sortem deprimebant creaturarum, putantes Filium esse quidem creaturam, sed non ut ceterae creaturae sunt. Ab illis non recedit Eusebius: Nam in lib. 4. Dem. evan. cap. 2. scribit: *Itaque omnium, quae sunt, primum producit* γέννημα, *foetum suum primogenitam Sapientiam*. Et cap. 4. *Visum est*, inquit, *optimo Patri unigenitum et dilectum Filium, antequam facta omnia moliretur, debere produci*. Haec familiaria sunt Eusebio in singulis suis operibus. Quare dum Filium creaturam esse negat, subdole agens vult non esse creaturam ejusdem conditionis, ac ceterae creaturae sunt. Unde lib. 5. Dem. evan. docet non carere periculo, *si quis simpliciter ac temere Filium ex non exstantibus genitum perinde ac genita cetera pronuntiet*. Et lib. 1. de eccl. theol. subdit: *Ex quo merito reprehendi possunt ii, qui illum creaturam esse veriti non sunt dicere e non exstantibus, similiter ac creaturas ceteras productum*. Parum autem caussam illius juvat, quod Filium a Patre genitum confiteatur. Nam nec Ariani rationem geniti Filio audebant denegare ut nimirum a reliquis creaturis quibus convenire ajebant, Verbum *factum* aliquo modo distinguerent. Hinc Eusebius γενητὸν, καὶ γεννητὸν, ubique artificiose confundit, ut scilicet innuat Filium dici genitum et non factum, ne cum vulgo creaturarum confundatur. Ubi vero appellat Filium αὐτόθεον, *per se Deum*, significare videtur Verbum non esse more aliarum creaturarum per aliud Verbum productum: et distinctionem dari inter Patrem et Filium; non quatenus vox illa identitatem naturae importat inter Patrem et Filium. Ille enim de Filio loquens vocem αὐτόθεον usurpavit tum in lib. 10. H. E. cap. 4. tum de eccl. theol. lib. 2. cap. item 4. sed diverso sensu. Id est, in libris H. E. ut suaderet Filium non esse, ut reliquae creaturae ex nihilo factum et productum: neque enim per aliud Verbum Verbum factum est, ut creaturae de quibus dicitur, *Omnia per ipsum facta sunt*: quod non obscure indicat, dum laudato in loco inquit: *Adeo ut Servator noster J. C. solus ex omnibus qui ab omni aevo umquam extiterunt, ab ipsis orbis terrarum summis principibus ... tamquam* αὐτόθεος *per se Deus, adoretur: idque merito*. In lib. autem de eccl. theol. Filium αὐτόθεον, *per se Deum*, nuncupavit, ut contra Marcellum Filii personam a persona Patris demonstraret distingui. Ceterum numquam Filium fassus est αὐτόθεον, ut ostenderet ejusdem cum Patre naturae unitatem et identitatem. Quare paullo post inquit: *Ob id diximus ipsum primum omnium a Patre, velut simplex et unius modi substantiae omnis ac naturae, editum instrumentum fuisse animatum ac vivens, sive potius divinum et vivificum*.

Obj. 2. Ut Eusebii fides dubia ante Nicaenum concilium fuerit, post

illa tempora tamen citra summum nefas, inquit Valesius, dici non potest adhaesisse Arianis: plura quippe egit quae fuisse perfecte catholicum aperte demonstrant. Et 1. in concilio suum protulit symbolum in quo haec prae ceteris legebantur: *Credo in J. C. ... Deum de Deo, lumen de lumine, ante omnia saecula ex Deo genitum, per quem omnia facta sunt*. Quibus verbis satis declarat Verbi aeternitatem. II. Et symbolo subscripsit quod de communi consensu edidere Patres, et in quo erat particula ὁμοούσιον. III. Calculo suo comprobavit quoque anathematismum a concilii Patribus in eos intortum, qui cum Ario dogmatizarent. IV. Epistolam ad Caesarienses dedit qua iterum catholicam suam confirmat de Verbi divinitate sententiam.

Resp. numquam sententiam mutasse suam Eusebium, eumdemque semper et ante et post concilium fuisse aethyopem. Nam in ep. ad Caesar. inquit: *Praeteritis etiam temporibus sic credidimus, et docuimus.* Quare si Guilelmus Cave, et Henricus Valesius concedunt ante Nicaenum concilium favisse illum Arianis, admittere quoque debent post concilium non resipuisse. Sed singula breviter expendamus. Atque ad 1. Nec Semiariani fateri detrectabant Filium extitisse ante saecula: volebant quippe prius Deum condidisse Verbum, tum per ipsum Verbum saecula cunctamque produxisse creaturam: atque hoc ipsum, non sinceram Verbi aeternitatem Eusebius confitetur. In singulis namque suis operibus post concilium elucubratis, prius Patrem, deinde Filium existere constanter affirmat, ut capite antecedenti observavimus. Quo autem sensu de Filio dixerit, *Genitum, non factum*, explicat in epist. ad suos Caesarienses in haec verba: *Similiter admisimus voces genitum, et non factum; quoniam factum commune esse ajebant adjectivum ceterarum creaturarum quae per Filium factae sunt, et quibus nihil habet simile Filius*. Observo praeterea eruditos non deesse viros qui contendunt hanc Eusebii fidei confessionem illam esse, quae 17. episcoporum arianorum nomine oblata est concilio, et a reliquis tamquam haeretica rejecta, ut Theodoretus narrat lib. 1. cap. 7.

Ad 2. Concilii Nicaeni Patres eo sensu Filium Patri ὁμοούσιον appellarunt, ut explicarent non esse extrinsecus productum, vel ex aliqua factum praejacente materia; sed eamdem numero cum Patre habere naturam, quod erat directe contra Arianos. Ast Eusebius vocem admisit ὁμοούσιον, quatenus exprimit Filium non esse portionem substantiae Patris, quasi unam Pater, aliam Filius sibi retinuerit partem: quod ne specie quidem tenus haeresim impetebat Arianorum, sed Sabellianorum dumtaxat; unde in citata ep. inquit: *Et has quidem voces, Ex substantia, fassi sunt hoc significare, Filium quidem esse ex Patre, sed non tamquam partem ipsius Patris*. Et rursus: *Sic etiam illud consubstantialem esse Filium Patri, cum allatis rationibus discussum esset, convenit, juxta corporum modum, neque instar mortalium animantium accipi debere: nam neque per divisionem substantiae, neque per abscissionem, nec per mutationem paternae substantiae atque virtutis id posse constare*. Clarius adhuc deinceps explicat quo sensu vocabulum illud admiserit, dicens: *Verum hoc consubstantia-*

lem esse Patri, nihil aliud significare, quam Filium Dei nullam cum creaturis ab ipso factis similitudinem habere, sed solius Patris a quo genitus est, per omnia similem esse. Quisque profecto Semiarianus vocem, *consubstantialis*, exposito ab Eusebio sensu, admittere poterat et confiteri. Addo non levem esse suspicionem quod Eusebius subscriptioni accesserit symboli Nicaeni territus minis Imperatoris: quae animi simulatio nova ei non fuisset. Nam quum in persecutione Maximini una cum Pamphilo ejus familiari ac praeceptore comprehensus esset, ille quidem gloriosum subiit martyrium, Eusebius autem dimissus fuit illaesus non sine ejuratae fidei suspicione: quod exprobratum illi fuit in concilio Tyrio a S. Potamio, ut refert Epiphanius haer. 68.

Ad 3. Approbatione anathematismi videtur Eusebius irridere voluisse concilium Nicaenum: hanc enim approbationis suae afferebat caussam. *Anathematismum porro illum qui post Fidem ab illis editus est, nihil noxium habere judicavimus, cum prohibeat ne voces quae non exstant in Scripturis, usurpentur: ex quo ferme tota orta est perturbatio et dissensio Ecclesiae. Cum ergo nulla divinitus inspirata Scriptura usa sit vocibus, Ex non exstantibus, Fuit aliquando cum non esset, aliisque ibi subjectis; non visum est rationi consentaneum haec dicere et docere: cui rei, cum recta esse videretur, assensi sumus.* Rursus addit: *Nec item absurdum judicavimus his vocibus, Non erat antequam genitus esset, anathema dicere; quum omnes fateantur Filium Dei fuisse priusquam secundum carnem gigneretur.* Hoc sensu igitur anathematismum approbans Eusebius, nonne illudere Nicaeno concilio videtur? Proculdubio. 1. Quoniam falsum est ea de caussa Nicaenos Patres anathematismum edidisse, ob quam illum admisit Eusebius. 2. Ob caussam illam qua ductus approbavit anathematismum, improbare debuit vocabulum ὁμοούσιον; quum et ipsum in Scripturis non reperiatur. 3. Non dogmata verbis contenta, sed verba in Scripturis non expressa damnare videtur. 4. Ac tandem, voces illae, *Non erat antequam genitus esset*, prorsus arianae erant: adeoque illas damnando tantum Arianos damnavit, non Semiarianos.

Ad 4. Epistola Eusebii ad Caesarienses quin illum ab arianismo vindicet, potius accusat, ut ex iis quae hactenus laudavimus satis superque patet.

Obj. 3. cont. alt. prop. Hosius ad summum communionis cum Arianis reus dici potest, non subscriptionis secundae formulae sirmiensi. Nam I. Ferunt Hosium secundae sirmiensi subscripsisse formulae jussu Costantii imperatoris; quum ex ecclesiastica historia constet ejusdem Constantii decreto formulam illam fuisse suppressam. II. Athanasius, cujus testimonio ad accusandum Hosium utuntur, meminit quidem communionis cum Ursacio et Valente; non autem subscriptionis. III. Hilarius vero qui expresse appellat illum haereticum, quum procul Sirmio abesset, rumore famae decipi facile potuit. Ita Cardinalis Aguirre apud Jo. Laurent. Berti.

Resp. ad 1. Quamvis Constantius alteram sirmiensem formulam minis ac decretis damnari denique jusserit, initio tamen ab Ursacio, Valente, aliisque arianae factionis episcopis sollicitatus eam approbaverat: unde Constantii jussu approbari utique potuit etiam ab Hosio.

Ad 2. Athanasius non communionis dumtaxat, sed et subscriptionis sirmiensi formulae per Hosium factae apertissime meminit: ait enim cessisse Arianis ad horam. Cujus testimonium eo pluris faciendum est, quod fuerit is Hosii cordubensis cultor singularis et gratus amicus; licet magis illi amica veritas.

Ad 3. Demonstrandum foret deceptos ex rumore famae una cum Hilario fuisse innumeros alios antiquos Scriptores: quod difficile admodum est.

Obj. 4. adv. eamd. thes. Faustinus et Marcellus in supplici ad Valentinianum imperatorem libello, de Hosio narrant quod cum Gregorii illiberitani antistitis qui Arianis adhaerere noluerat, depositionem tentaret, a Deo percussus miserabili exitu obiit. Quam historiam narrat quoque Isidorus Hispal. in lib. de viris illustr. cap. 14.

Resp. Faustino atque Marcello fides habenda non est. 1. Quoniam nullus ejusdem saeculi Scriptor eis adstipulatur. 2. Quoniam Faustinus et Marcellus Luciferiani erant; ex illis videlicet schismaticis qui cum lapsis in persecutione Constantii nolebant communicare. 3. Quoniam contrarium omnino narrant Athanasius et S. P. Augustinus. 4. Demum, quoniam in eodem libello plures adversus Hilarium et Athanasium atroces continentur calumniae. Isidorus autem Hispalensis excusatione dignus est, quoniam ex hoc putido fonte fabulam hausit.

Obj. 5. cont. 3. prop. Liberius subscripsisse videtur tertiae formulae sirmiensi. Nam ei subscribere debuit formulae quae eodem anno edita est quo ipse revocatus fuit ab exilio, anno scilicet 358. hac enim de caussa Semiarianis cessit. Ast anno 358. edita fuit non prima, sed tertia sirmiensis formula. II. Nec improbabile est approbasse formulam secundam quae aperte arianica erat. Nam S. Hilarius in fragm. de Fidei formula cui Liberius subscripsit verba faciens, appellat eam, *perfidiam*, dicens: *Perfidiam autem apud Sirmium descriptam, quam dicit Liberius catholicam, et a Demophilo etc.* Character autem hic optime convenit secundae, non primae formulae sirmiensi. III. Nam idem Hilarius in lib. de syn. priorem sirmiensem formulam, contra quam faciat Athanasius, approbat, et catholicam appellat. IV. Imo idem Hilarius in lib. mox laudato, recitata Liberii epistola ad Orientales, de suo subdit: *Haec est perfidia Ariana, haec ego notavi, non apostata Liberius, sequentia*. An ne de Fidei formula interpretative ariana, ut Liberii defensores primam existimant, tam dura scribere poterat Hilarius? V. Verum non Hilarius modo, sed et Hieronymus, et Auxilius, et alii testantur Liberium in haeresim revera incidisse. Hieronymus quippe in lib. de Scrip. eccl. cap. 97. inquit: *Fortunatianus* (aquilejensis) *in hoc habetur detestabilis, quod Liberium Romanae urbis Episcopum pro fide ad exilium pergentem primus solicitavit ac fregit, et ad subscriptionem haeresis compulit*. Auxilius autem lib. 1. cap. 25. *Quis nesciat*, inquit, *quod Liberius heu! proh dolor! arianae haeresi subscripsit*? Similia habet Athanasius in ep. ad Solitarios.

Resp. ad 2. Nihil est quod nos cogat asserere ei sirmiensi formulae subscripsisse Liberium, quae eo anno edita est quo ab exilio fuit revoca-

tus. Cur subscribere non potuit formulae fidei editae an. 351.? Praeterea, falsum penitus est tertiam sirmiensem formulam exaratam fuisse anno 358. ut supra probavimus. Quibus addimus, ea de caussa conscriptam fuisse tertiam illam formulam, ut ad concilia quae Arimini et Seleuciae celebranda erant, deferretur. Ast duo concilia haec indicta fuere, postquam Basilius ancyranus Constantii imploraverat auxilium ad Anomoeos compescendos: quod juxta omnes Chronologos accidit anno 359. Atque ita hoc anno edita est tertia sirmiensis formula.

Ad 2. Hilarius formulam quam adprobavit Liberius, appellat perfidiam, quod a perfidis viris ac perfido quidem consilio composita fuerit; non quod in se atque terminis inspectis perfidiam saperet arianam. Nam adversus Photinum definit Christum non merum hominem, sed esse Deum de Deo, quod catholicum est: sed quoniam reticebatur in ea formula vocabulum ὁμοούσιον, quod ea aetate Fidei tessera erat, appellari merito poterat perfidia haeretica interpretative, praecipue juxta phrasim Hilarii qui in ep. ad Constan. scribit: *Quidquid praeter Fidem unam est, perfidia, non fides est*; fidei nomine symbolum intelligens Nicaenum.

Ad 3. In lib. de synod. Hilarius spectat formulam primam sirmiensem juxta sonum verborum quibus conflata est, non interpretative: atque ideo catholicam illam appellat. Ast in fragm. observat eam subdole, hoc est, animo Nicaenam Fidem abolendi fuisse exaratam; eaque de caussa non immerito appellat perfidiam.

Ad 4. Temporum rerumque circumstantiis inspectis, potuit utique Hilarius tetro commate notare Liberium, etiamsi formulae Fidei subscripserit, quae juxta sonum verborum haeretica non erat. Nam subscriptione sua non solum ansa praebebatur reticendi vocabulum ὁμοούσιον, quod in priori formula supprimebatur; verum etiam communicavit cum Arianis, illos non male de Fide sentire arbitratus: et quod penes nonnullos scandalum auxit, errore facti deceptus in Athanasii consensit damnationem. Accedit quod licet Liberius subscriptione sua haeresim compresserit Photinianorum, Anomoei nihilominus qui tunc praecipue vexabant Ecclesiam, arrepta inde occasione spargere in vulgus coeperunt Romanum Episcopum vocem ὁμοούσιον, compressisse. Nil ergo facilius quam ad aures Hilarii falsus rumor perveniens anathema intorserit in Liberium. Sunt denique eruditi nonnulli qui sibi suadent anathema illud e margine in textum irrepsisse.

Ad 5. Quae Hieronymus, Auxilius, et alii de Liberii lapsu scribunt, sic intelligi debent, ut conquerantur quod Fidei formulae subscripserit quae interpretative haeretica erat; praesertim cum ab haereticis viris et maligno animo, ut diximus, fuerit concinnata: et quod errore facti deceptus, ut aliis catholicis episcopis accidit, vera esse putans per aliquod temporis spatium crimina Athanasio ab Arianis impacta, in tanti viri consenserit damnationem.

Auctor Supplementi de locis theologicis ad Johannis Laurentii Berti synopsim totis viribus suis demonstrare contendit Liberium nullam ex sirmiensibus formulis approbasse; nec umquam communicasse cum Arianis; neque

Athanasii consensisse damnationi: sed integram Liberii tragoediam a Luciferianis fuisse confictam qui in veterum monumenta temerarias manus injicientes, epistolam Athanasii ad Solitarios, ubi Arianorum historia narratur, et Hilarii fragmenta corruperint; indeque sinistram de Liberio opinionem ad posteros descendisse. Non omnia quae cl. auctor ad sententiam suam adstruendam affert argumenta, invicti roboris sunt. Sed non pauca urget adeo erudite et acute, ut a cordato viro assensum valeant extorquere. Si opinio haec vera sit, controversia de fide Liberii jam in Theologia locum amplius non habet. Dignus est qui legatur anonymus auctor.

CAPUT XII.

Ostenditur Spiritum S. esse rem subsistentem sive personam.

Sub Christi tempora et post christianae Religionis ortum, variae extiterunt in Spiritum S. haereses, ut initio hujus libri monuimus; fueruntque omnium antesignani Sadducaei, de quibus Lucas Act. cap. 23. v. 8. scribit: *Sadducaei enim dicunt non esse resurrectionem, neque Angelum, neque Spiritum*: ex quo Epiphanius, Theophilactus, Oecumenius, aliique veteres arguunt abnegasse illos cum ceteris spiritualibus substantiis etiam Spiritum Sanctum. Idem Epiphanius, S. P. Augustinus, ac Theodoretus post Irenaeum tradunt veneficum illum virum, Simonem magum, modo seipsum, modo scortum suam Spiritus S. nomine designasse. Nec melius Valentinus qui totam Trinitatem passam esse affirmabat, ut testis est Athanasius, ac Spiritum S. ad naturam redegit Angelorum. Non moror Montanum qui a suis, ut Hieronymus, Augustinus, et Theodoretus scribunt, pro Spiritu S. habitus est. Eunomius hostis infensissimus Trinitatis, et ipse putidissimo ore effutiebat Spiritum S. meram esse creaturam. Nec mirum profecto; quum Anomoei, qui ab Eunomio etiam Eunomiani nuncupati sunt, partes tuebantur Arianorum quibus impia erat de Filio ex aequo ac de Spiritu S. sententia. Sed qui haeresi contra Spiritum S. nomen dedit, fuit impius Macedonius episcopus C-P. ea de caussa in secundo Oecumenico concilio damnatus, et e C-P. sede expulsus. Erat ipse e secta Semiarianorum, et, ut Socrates lib. 2. cap. 45. auctor vocis ὁμοιούσιον libere ac palam in locum vocabuli ὁμοούσιον usurpandae. Nonnihil Macedonii nomen obscuravit Faustus Socinus, a quo Sociniani, qui cum omnium veterum haereticorum ac Ebionitarum praesertim et Arianorum, tum ipsius Macedonii teterrima dogmata renovavit. Recensiti mox haeretici in universum omnes affirmant Spiritum Sanctum vel non esse rem subsistentem sive personam, vel si persona sit, eam esse puram putamque creaturam, non Deum O. M. Utrumque controversiae caput pro dignitate versabimus; demonstrabimus videlicet hoc in capite Spiritum S. non esse meram Dei virtutem, sed veram ac subsistentem personam: tum in subsequentibus de illius divinitate pro viribus pertractabimus. Sit igitur

CONCLUSIO

Spiritus S. non est mera Dei virtus, sed vera ac subsistens persona.

Ex iis quae antecedenti libro agentes de Trinitate personarum fuse disputavimus, propositio haec demonstrata remanet: in gratiam nihilominus tyronum quos instituendos suscepimus, hoc loco rursus breviter eam demonstramus I. ex iis Scripturae locis in quibus Spiritus S. una cum Patre et Filio exhibetur. Matth. enim cap. 3. narratur quod cum Christus baptizaretur in Jordane, audita est vox Patris dicentis: *Hic est Filius meus dilectus ... et descendit Spiritus Sanctus*, ut Lucas inquit cap. 3. *corporali specie sicut columba in ipsum*. Item Matth. cap. 28. v. 19. legitur: *Euntes docete omnes gentes: baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus S.* Rursus, Johan. cap. 14. v. 16. Christus inquit: *Ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis*. Tandem idem Johannes in sua I. ep. cap. 5. v. 7. scribit: *Tres sunt, qui testimonium dant in caelo, Pater, Verbum, et Spiritus S.* Ex his testimoniis sequentia colliguntur argumenta. 1. In recitatis sententiis Spiritus S. una cum Patre et Filio ubique recensetur: Sed Pater et Filius, ipsis fatentibus Socinianis, non merae virtutes sunt, sed subsistentes personae: Cur non et Spiritus Sanctus? 2. Is qui speciem assumit corpoream, et apparet hominibus: is in cujus nomine homines baptizantur: qui alius est a Patre et Filio, et Consolator appellatur: qui demum dat testimonium in caelo, persona proculdubio est vera et subsistens, non pura qualitas aut virtus Dei. Et revera quia Filius tam in V. quam in N. T. assumpta sensibili specie apparuit: et in ejus nomine baptizantur homines: et Consolator passim appellatur: et testimonium perhibet, ob hoc illum dicimus veram ac subsistentem esse personam: Ast haec eadem enunciantur de Spiritu Sancto, ut recitata praeseferunt testimonia; Ergo Spiritus quoque Sanctus vera est ac subsistens persona.

Quae huic argumento reponere solent Sociniani, soluta vide cap. 2. superioris libri a mom. 1. usque ad 4. Audiamus nihilosecius quae versutissimi dialectici hic addunt. Ipsi itaque insuper dicunt, Quod etsi Spiritus S. una cum Patre et Filio recitatis in testimoniis enuncietur, non demonstrant haec tamen esse illum veram personam, ut personae sunt Pater et Filius. Nam cum personis, ipsi inquiunt, saepe junguntur res quoque non subsistentes, ut ad Ephes cap. 6. v. 10. *Confortamini in Domino, et in potentia virtutis ejus*. II. Iidem characteres personas denotantes tribuuntur etiam rebus non subsistentibus et inanimatis. Ita ad Rom. cap. 3. v. 19. dicitur: *Quaecumque lex loquitur, iis qui in lege sunt, loquitur*. Ad Cor. I. cap. 11. v. 14. *Ipsa natura docet vos*. Johan. ep. I. cap. 5. v. 8. *Tres sunt, qui testimonium dant in terra, Spiritus, Sanguis, et aqua*. Etiam virga dicitur consolari: psal. 22. v. 4. *Virga tua et baculus tuus: ipsa me consolata sunt*. Quod si de Spiritu S. legitur, *venire*, *descendere*, *mitti*, haec eadem enunciantur quoque de Regno Dei,

de illius misericordia, ira etc. ut videre est innumeris in locis S. Scripturae. Quid plura? Legite, inquiunt, integrum caput 13. ep. I. ad Cor. ibique invenietis charitati adscribi actiones omnes quae fieri a personis solent; nec proinde charitas persona est.

Verum misera haec sunt Pneumatomachorum effugia. Et ad 1. non ex sola personarum unione colligimus nos Spiritum S. veram esse personam, sed insuper et ex adjunctis Spiritus S. nomen comitantibus. Sic ubi Christi baptisma narratur, non solum cum Patre et Filio nominatur Spiritus Sanctus: sed praeterea descendisse dicitur in specie columbae. Similiter in forma baptismi habetur τὸ *in nomine*. In cap. 5. ep. I. Johan. inducitur testimonium perhibens in caelo: et sic porro de reliquis quae personam proculdubio significant.

Ad. 2. Quoties Scriptura rebus inanimatis ac insubsistentibus personarum attribuit proprietates, tropice loquitur et per metaphoram. E contra vero ubi proprietates easdem adscribit Spiritui Sancto, semper proprie loquitur et litteraliter. Quod manifestum fit per singula breviter excurrendo. De Lege, inquit Scriptura, quod loquatur non secus, ac Spiritus Sanctus: Sed accipe discrimen, quo metaphorica a propria loquutione secernitur. De lege dicitur dumtaxat quod loquatur: ast de Spiritu S. quod loquatur ea quae audit. Naturam docere nos, inquit Ap. ad Cor. I. cap. 11. non omnem tamen veritatem, nec loqui quaecumque audit, neque Filium clarificare de cujus accipiat et hominibus annunciet, quomodo Joh. cap. 16. dicitur de Spiritu Sancto. Etiam Spiritus, Sanguis, et aqua perhibent testimonium: sed non in caelo una cum Patre et Filio, sicut Spiritus Sanctus. Reliqua ad hujus testimonii intellectum vide lib. superiori. Spiritus S. appellatur Paraclitus, seu Consolator. Quomodo? Ut Paraclitus et Consolator erat Christus: *Et alium Paraclitum dabit vobis*. Numquid virga et baculus hoc sensu dicuntur consolari? Ita porro de ceteris characteribus disserendum est. Quod denique ad charitatem spectat, cui in ep. ad Cor. I. proprietates adscribuntur personarum, facillime solvitur si animadvertatur ibi non charitati in se sumptae, sed homini praedito charitate notas illas attribui. Quare non charitas quae mera spiritualis qualitas est, sed homo charitate exornatus non inflatur, non aemulatur, non quaerit quae sua sunt etc. Deinde alia est charitas de qua dicitur: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris*; alia est charitas de qua: *Deus charitas est*. Prior donum est, et charisma; altera vero est persona: unde dicitur, *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum*, ubi donum a persona quae donat, distinguitur. Sed ut Socinianorum cavillationes plenius adhuc enodentur, sit

SCHOLION.

Nemini dubium quin rebus etiam non subsistentibus tribuantur quandoque characteres convenientes personis. Sed ad dignoscendum quando de personis sermo instituitur, nonnullae attendendae sunt regulae, quas per-

spicne tradit Johan. Laurentius Berti, quasque nos in epitomen redactas hic exhibemus. I. Regula est anallages pronominis. Puta ad Rom. cap. 9. v. 23. legitur: *Ut ostenderet divitias gloriae suae in vasa misericordiae*. Vasa misericordiae hoc in loco sunt personae, quoniam v. 14. sequenti habetur pronomen relativum, *Quos*, masculini generis cujus sunt homines. II. Antecedentia et consequentia attendi debent verba; nullibi enim v. g. legimus caelum enarrare quae audit, quod tamen dicitur de personis. III. Ubi vocabula accipi nequeunt pro personis, sumenda sunt metaphorice, et vicissim. E. G. verba haec, *Si non abiero*, *Paraclitus non veniet ad vos*, accipi debent proprie et de persona, non de virtute et gratia, quum virtus et gratia collatae fuerint justis ante Christi ascensum in caelum. IV. Demum ubi in Scripturis occurrit nomen πνῦμα, *Spiritus*, cum articulo, fere semper personam significat; virtutem autem et energiam, quoties adnexum non habet articulum. Ita Didimus lib. 1. de Spiritu S. His accedit, quod metaphorae in sacris litteris ut plurimum usurpantur, ubi nullum sit errandi periculum. Puta, quoniam nemo crediderit legem esse personam, de illa dicitur quod loquatur. E contra quia πνῦμα, *Spiritus*, nomen est substantiam significans, ne legenti errandi detur periculum, sacrae Scripturae, quoties sermonem de Spiritu S. instituunt, a metaphora temperant. Ac denique Scripturae uti solent metaphoris inter docendum vel arguendum, numquam vero in rebus gestis narrandis.

Eorum quae objectantur dissolutio.

Obj. I. In sacris litteris Spiritus S. passim appellatur Spiritus Dei: Spiritus autem alicujus non est persona ab eo distincta, cujus est Spiritus, sed potius pars illius; unde Spiritus S. dici nequit persona a Deo distincta, sed veluti pars essentiae divinae. II. Et hoc quidem sensu intelligi videtur Scriptura, ubi Spiritum S. appellat Spiritum Dei. Nam Apostolus Paulus in I. ad Cor. cap. 2. v. 11. *Quis enim hominum scit*, inquit, *quae sunt hominis*, *nisi spiritus hominis*, *qui in ipso est; ita et quae Dei sunt*, *nemo cognovit*, *nisi Spiritus Dei*: Per quae verba intelligimus Spiritum S. appellari Spiritum Dei, quomodo anima vocatur spiritus hominis: Ast Spiritus hominis subsistens persona non est, sed pars essentiae hominis; Ergo etiam Spiritus S. est veluti pars essentiae Dei. III. Idque ex eo confirmatur, quod Spiritus S. dicatur ibidem esse in Patre: Verum una persona esse nequit in altera; Ergo etc.

Resp. ad 1. totum concedendo argumentum. Neque enim Spiritus S. persona est a Deo, hoc est, a divina natura distincta; sicuti nec Pater, nec Filius. Sed rem clare exponamus. Qui Spiritum dicit, intelligere potest et partem essentiae alicujus et essentiam sua praeditam subsistentia. Ita si dum dico, *Spiritum*, intelligo animam hominis, prae mente gero partem essentiae hominis; si vero dum dico, *Spiritum*, loquor de Angelo, rem sane per se subsistentem omnibusque ad personam requisitis characteribus absolutam intelligo. Porro cum de tertia Trinitatis persona Scriptura inquit esse Spiritum Dei, τό *Spiritus* ideam rei subsistentis ingerit, non

partis essentiae alterius. Nec refert quod dicatur *Spiritus Dei*: quum etiam Angeli Apoc. cap. 3. v. 1. dicantur *Spiritus Dei*; nec proinde sunt partes essentiae divinae.

Ad 2. Comparat Apostolus Spiritum S. spiritui hominis quoad aliqua, non quoad omnia. In hoc videlicet constituit comparationem, quod sicuti spiritus hominis scrutatur omnia quae in homine sunt: ita Spiritus Sanctus scrutatur et novit omnia quae Dei sunt. Ceterum, quem Socinus esse putat Deum illum cujus est Spiritus Sanctus? Proculdubio Patrem. Ast de Spiritu S. statim addit Apostolus, *Qui ex Deo est*. Quare Spiritus S. realiter distinguitur a Patre; alioquin esset pars ex qua simul cum alia parte Pater componeretur, quod absurdissimum est.

Ad 3. Quoniam datur in divinis *circuminsessio*, per quam una persona est in alia, juxta illud Christi Johan. cap. 14. *Ego in Patre, et Pater in me est*: ideo Spiritus S. esse dicitur in Patre. Quid sit autem *circuminsessio* deinceps suo loco dicemus.

Obj. 2. In sacris litteris crebro Spiritus Dei nomen occurrit, quod virtutem et efficaciam, non personam significat. Sic Isaiae cap. 40. v. 7. legitur exarescere foenum, et cadere florem si insufflaverit Spiritus Domini. Actor. cap. 2. v. 38. appellatur Dei donum: legitur enim ibi, *Et accipietis donum Spiritus Sancti*. Non alio pacto accipitur Apoc. cap. 3. v. 1. ubi dicitur de Christo, *Qui habet septem Spiritus Dei*. Insuper II. ad Cor. cap. 1. v. 22. vocatur *pignus* sive *arrhabo*. Actor. cap. 11. dicitur effundi super homines, vel dividi super Apostolos. Et aliquando etiam duplicari, ut IV. Reg. cap. 2. v. 9. *Obsecro ut fiat in me duplex Spiritus tuus*. Haec autem et similia de persona dici non possunt.

Resp. ad 1. Non diffiteor nomine Spiritus significari quandoque virtutem et energiam: sed non est hinc inferendum quam saepissime etiam non significari personam: Imo per metonymiam ponitur aliquando res effecta pro persona efficiente, et vicissim.

Ad 2. Non repugnat personam aliquando nuncupari donum. At donum dupliciter distinguitur; et aliud est donum accidentale, aliud personale. Primum est munus a persona collatum; alterum est persona quae seipsam aut donat aut dono datur ab alia persona. Spiritus itaque S. est donum vel quod a Patre et Filio, vel quod a seipso datur hominibus. Atque hoc sensu, etiam Christus qui proculdubio persona, non mera virtus est, dicitur ad Gal. cap. 1. v. 4. semetipsum dedisse pro peccatis nostris.

Ad 3. Falsum est personam dici non posse pignus sive arrham. Hostes enim pro pace firmanda, nonne Filium vel nobilissimam aliquam personam dant in obsidionem? Potuit ergo et Deus dare nobis arrham personam Spiritus S.

Ad 4. dico 1. nihil obstare ut de persona enuncietur quod effundatur; sicuti non obstat dici de persona, quod ea nonnulli induantur, ut scribit Apostolus de Baptismate, ubi affirmat eos Christum induere qui eo abluuntur. 2. Psal. 21. v. 15. de se ipso Christus inquit: *Sicut aqua effusus sum*, et nihilominus persona est. 3. Spiritus S. effundi dicitur in

homines ratione donorum, juxta illud Actor. cap. 10. v. 45. *Gratia Spiritus S. effusa est*.

Ad 5. Eodem sensu, ratione nimirum donorum, dividi intelligitur Spiritus S. Actor. cap. 2. ubi post linguarum descriptam multitudinem, unus adstruitur Spiritus S. linguas diversas elargiens. Adde quod laudato in argumento loco non asseritur Spiritum S. distributum fuisse super Apostolos, sed Apostolos repletos fuisse Spiritu Sancto.

Ad 6. Etiam verba Elisei de donis intelligi debent Spiritus Sancti; ita ut sensus sit: Obsecro ut fiat in me duplex donum illud Spiritus Sancti quod hactenus fuit in te. Alia quae Pneumatomachi objiciunt, sunt parvi momenti.

CAPUT XIII.

Spiritum S. esse Deum, Patri Filioque consubstantialem, breviter demonstratur ex S. Scripturis.

MOMENTUM I.

Ex Dei nominibus.

Ille verus Deus est, Patri ac Filio consubstantialis, cui sacrae Scripturae nomina tribuunt quae nonnisi vero Deo conveniunt: At sacrae Scripturae Spiritui S. revera tribuunt nomina quae nonnisi vero Deo conveniunt. Nam I. quam saepissime testantur quae dicta sunt a Deo O. M. prolata fuisse a Spiritu Sancto. 1. Enim Isaiae cap. 6. v. 9. legitur: *Et dixit*: (Dominus exercituum) *Vade, et dices populo huic: audite audientes, et nolite intelligere*. Et verba quidem haec a Deo O. M. fuisse prolata vel ex eo patet, quod in laudata sententia habeatur hebraice nomen Dei tetragrammaton יהוה, *Jehovah*: Sed verba haec dicta fuisse a Spiritu S. testatur Paulus Actor. cap. 28. v. 25. *Bene Spiritus S. loquutus est per Isaiam ... dicens: Vade ad populum istum, et dic ad eos: Aure audietis, et non intelligetis*: Ergo etc. 2. Qui Patribus nostris loquebatur per Prophetas proculdubio erat Deus verus et altissimus: dicente Luca cap. 1. *Sicut loquutus est* (Deus Israel) *per os sanctorum, qui a saeculo sunt, Prophetarum ejus*, et Apostolus ad Hebr. cap. 1. v. 1. *Olim Deus loquens Patribus in Prophetis*: Ast vero ille qui loquutus est per os Prophetarum est Spiritus Sanctus. Nam Petrus ep. II. cap. 1. v. 21. inquit: *Spiritu Sancto inspirati, loquuti sunt sancti Dei homines*: Ergo etc. 3. Psal. 94. v. 9. Deus altissimus ita de Israelitis conqueritur: *Tentaverunt me patres vestri*; et ps. 77. v. 41. inquit: *Tentaverunt Deum: et sanctum Israel exacerbaverunt*: Sed verba illa, *Tentaverunt me Patres vestri*, dicta a Spiritu S. fuisse docet Apostolus ad Hebr. cap. 3. v. 7. *Quapropter, sicut dicit Spiritus Sanctus: Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra, sicut in exacerbatione secundum diem tentationis in deserto, ubi tentaverunt me patres vestri:* Ergo etc.

II. Apostolus in I. ad Cor. cap. 3. alloquens Fideles ait: *Nescitis quia templum Dei estis* etc. Nemini autem dubium quin Dei nomine verus altissimusque Deus hic intelligatur. Templa siquidem nonnisi vero Deo eriguntur: Ast Apostolus idem affirmat ibid. cap. 6. Fideles esse templum Spiritus Sancti, *An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus Sancti?* Ergo etc.

III. Actor. cap. 5. v. 3. ita Petrus alloquitur Ananiam: *Anania cur tentavit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui Sancto, et fraudare de pretio agri?... Non es mentitus hominibus, sed Deo*. Quae verba hoc invictum suppeditant argumentum. Ille cui mentitus est Ananias, est Spiritus Sanctus: Sed ille idem cui Ananias mentitus est, juxta eumdem Apostolum, est Deus: Ergo Spiritus Sanctus est Deus.

Sed vinci ab hoc argumento nolunt Sociniani; ideo post Crellium ajunt: Nihil ex Ananiae facto pro Spiritus Sancti divinitate concludi potest. Nam graece habetur ψεύσασθαί σε τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον, *mentiri te*, seu, *fallere* vel *decipere Spiritum Sanctum* nempe in accusativo casu: proindeque diversum ab eo quem Catholici excogitarunt, praeferunt ea verba sensum. II. Deinde, non Spiritum Sanctum, sed Apostolos in quibus erat Spiritus Sanctus, decipere intendebat Ananias. III. Subdit Wolzogenius; ex quo Exod. cap. 16. v. 8. de filiis Israel qui contra Moysen et Aaron murmuraverant, legatur, *Nec contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum*, numquid colligitur Moysen et Aaron fuisse Deum? Minime. Quare ex quo dixerit Petrus Ananiae: *Non es mentitus hominibus, sed Deo*, non colligitur Spiritum Sanctum esse Deum.

Resp. ad 1. Nil futilius excogitare poterat Crellius. Verbum namque ψεύδω, *fallo*, *decipio*, Med. autem ψεύδομαι, *mentior*, ut Grotius et Wolzogenius etiam observant, modo cum Dat. modo cum Acc. construitur. Wolzogenius enim com. in Act. Apost. exponens laudatum in argumento testimonium, ita scribit: *Sicut alia quaedam verba construuntur aliquando cum dativo casu, aliquando autem cum accusativo; ut evangelizo tibi et evangelizo te, benedico tibi et benedico te; imo etiam benefacere aliquem, pro alicui, Matth. cap. 5. v. 44. et Marci 14. 7. ita etiam graece dicitur non tantum mentior tibi, sed et mentior te. Cujus constructionis exemplum citatur et ex Aristophane comico graeco, et ex graeca Bibliorum versione Prov. 11. v. 5. et Reg. 4. 4. 16.* Ita Wolzogenius, et recte quidem, quum inusitatum non sit particulam εἰς, *ad*, vel, *In*, reticeri, ut ex Thucidide, Pindaro, et Hesiodo idem ipse demonstrat. Imo Beza cui assentitur et Wolzogenius loco proxime citato, testatur in cap. 5. Act. Apost. haberi v. 3. particulam, *In*, in quibusdam veteribus MSS. Denique sive legatur, *mentiri Spiritui Sancto*; sive legatur, *decipere Spiritum Sanctum*, perinde est. Is enim quem Ananias fallere voluit, erat Deus.

Ad 2. Bene habent Sociniani. Sed hoc idem demonstrat Spiritum Sanctum esse Deum. Nam quoniam Ananias mentitus est Apostolis in quibus erat Spiritus Sanctus, non est mentitus hominibus, sed Deo: itaque Spiritus Sanctus qui erat in Apostolis, est vere Deus.

Ad 3. Non tenet comparatio, quoniam non idem utrobique habetur loquendi modus. Exodi quippe cap. 16. legitur: *Murmuravit omnis congregatio filiorum Israel contra Moysen, et Aaron*: En murmur Israelitarum contra Moysen et Aaron. Subdit sacer Auctor, *Nec contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum*: Ecce hic murmur non dicitur esse contra Moysen et Aaron, sed contra Deum in quem potius Israelitae peccaverant. Perpendamus modo verba Act. Apost. *Anania, cur tentavit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui Sancto?* En Ananiae mendacium contra Spiritum Sanctum. Subdit ne hic sacer textus: *Non es mentitus Spiritui Sancto, sed Deo*, quomodo in lib. Exod. *Nec contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum?* Minime gentium: sed ait, *Non es mentitus hominibus*, nempe Petro ceterisque Apostolis, *sed Deo*; mentiendo scilicet Spiritui Sancto mentitus es Deo. Quare Spiritus Sanctus est Deus. Hic est genuinus laudati testimonii sensus.

MOMENTUM II.

Ex divinis Attributis.

Ille est vere ac proprie Deus, cui divina attributa conveniunt. Cumque conveniant haec Spiritui Sancto, colligitur inde Spiritum Sanctum esse Deum.

Et I. quidem, nemo dubitat quin creatio attributum sit soli vero Deo conveniens; quum ad creandum virtus requiratur infinita. Porro Spiritus S. conditor dicitur universorum a Job cap. 33. *Spiritus Dei fecit me*; et a Davide psal. 32. v. 6. *Verbo Domini caeli firmati sunt: et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.*

II. Quod de creatione dictum est, id ipsum quoque dicendum de rerum omnium conservatione quae continua quaedam est nec umquam interrupta creatio; psal. autem 103. v. 30. Spiritus S. dicitur universa regere et gubernare: *Emitte Spiritum tuum et creabuntur: et renovabis faciem terrae.*

III. Spiritui Sancto convenire quoque immensitatem habetur in lib. Sap. cap. 1. v. 7. *Spiritus Domini replevit orbem terrarum.*

IV. Secretorum cordium cognitio et perscrutatio soli Deo reservata est, juxta illud Isaiae, *Scrutans corda, et renes Deus*: Sed hoc privilegio gaudet Spiritus Sanctus. De ipso enim Apostolus in I. ad Cor. cap. 2. inquit: *Nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum: Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei. Quis enim hominum scit, quae sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? Ita et quae Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei.*

V. Majestas illa quae summa est et infinita, convenit Spiritui Sancto. Nam Apostolus in I. ad Cor. cap. 3. v. 16. *Nescitis, quia templum Dei estis, et Spiritus Sanctus habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus.* Et cap. 6. v. 19. *An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Spiritus Sancti?*

MOMENTUM III.

Ex iis rebus quae Dei propria sunt.

De Spiritu Sancto ea praedicantur quae solius Dei propria sunt: Quod patet enumeratione.

I. Procedere a Patre ab intra adeo solius Dei proprium est, ut Filius Deus verus habeatur, quoniam a Patre procedit. Hoc idem dicitur in Scripturis de Spiritu Sancto. Johannis enim cap. 15. v. 26. inquit Christus: *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille* etc. Adeoque non minus ac Filius Deus est.

II. *Omnis creatura etiam caelestium potestatum, Angelorum et Archangelorum, nescit de proprio praestare justitiam*, scribit Eusebius Emissenus hom. 33. de Trinitate: proindeque ille qui justitiam ac sanctitatem alteri confert, vere et proprie Deus est, Patri ac Filio consubstantialis. Character autem hic remittendi hominibus peccata illosque sanctificandi, Spiritui Sancto juxta Scripturas competit, non secus ac Patri, et Filio. Nam Apostolus ad Cor. scribens in I. ep. cap. 6. v. 11. inquit: *Sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis in nomine D. N. J. C. et in Spiritu Dei nostri*. Et Johan. cap. 20. ait Christus ad Apostolos: *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*. Et in ep. ad Rom. cap. 5. scribit Apostolus: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum S.* Et cap. 8. appellat eum *Spiritum adoptionis*, et nonnulla alia subdit quae mirifice ad rem nostram faciunt.

III. Baptizari in nomine alicujus quum idem sit ac sese devovere illi per Fidem, quod nonnisi Deo competit, profecto is in cujus nomine baptizantur homines, non potest nisi verus Deus esse: Sed homines baptizantur in nomine quoque Spiritus Sancti, *Baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*; Ergo sicuti Pater et Filius veram habent divinitatem, quoniam in eorum nomine confertur baptisma; ita et Spiritus S. Optime Athanasius orat. 3. cont. Arianos: *Quae potest esse creaturae cum Creatore societas, et communio? Cur quod factum est, cum factore connumeratur ad perfectam omnium absolutionem?*

MOMENTUM VI.

Ex perfecta Spiritus S. cum Patre et Filio aequalitate.

I. Baptisma, ut nuper ajebam, ex aequo confertur in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti; *Baptizantes eos* etc.

II. Non minus Pater et Filius quam Spiritus Sanctus constituunt in Ecclesia apostolos, episcopos, doctores. De Patre namque in I. ad Cor. cap. 12. v. 28. legitur: *Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primum apostolos, deinde* etc. De Filio idem Apostolus in ep. ad Ephes. cap. 4. v. 11. scribit: *Et ipse dedit quosdam quidem apostolos*

etc. Sed de Spiritu quoque S. inquit Lucas Actor. cap. 20. v. 28. *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei*. Neque vero fingi potest ab alio quam a Deo constitui posse in Ecclesia apostolos et episcopos. Nam Moyses non ab hominibus, sed a Deo missus fuit ad populum Israel: et Christus ipse, ut homo, *non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret*, sed ad Patrem conversus inquit: *Clarifica me, Pater, claritate etc.*

III. Eodem modo ac Pater et Filius, Spiritus S. testimonium dat in caelo: dicente Johanne in ep. I. cap. 5. v. 7. *Tres sunt, qui testimonium dant in caelo, Pater, Filius, et Spiritus Sanctus*; unde merito infert: *Et hi tres unum sunt*.

IV. Deus Altissimus fuit qui populum Israel per deserta loca in terram Chanaan deduxit, unde in psalmis saepe repetit Dominus: *Ego liberavi te de manu Pharaonis*: Ast etiam Spiritus S. eodem modo ac Pater et Filius dicitur in Scripturis israelitici populi ductor. De Patre inquit Jeremias cap. 2. v. 6. *Dominus, qui ascendere nos fecit de terra Aegypti: qui traduxit nos per desertum*: De Filio legitur psal. 79. v. 10. *Dux itineris fuisti in conspectu ejus*: De Spiritu autem S. scribit Isaias cap. 53. v. 14. *Spiritus Domini ductor ejus fuit*. Quae cum ita sint eamdem habet Spiritus Sanctus cum Patre et Filio divinam naturam et substantiam.

Objectiones refelluntur.

Obj. 1. Etsi sacrae litterae Spiritum S. Patri et Filio aequalem aliquando faciant, quam saepissime tamen certis syllabis Spiritum Sanctum et Filium a Patre distinguunt: Pater enim per particulam, *ex*; Filius per particulam, *per*; et Spiritus S. per particulam, vel *per*, vel *in*, designatur. II. Adde quod numquam Spiritus S. appellatur in Scripturis expresse Deus; aut saltem nullibi legitur esse adorandum.

Resp. ad 1. vana esse haec commenta Socinianorum. 1. Siquidem, quamvis diversis syllabis Pater, Filius, ac Spiritus S. exprimantur aliquando; quam saepissime tamen eadem utitur Scriptura loquutione ad singulas exprimendas personas, ut ex recitatis superius satis apparet. 2. Eadem penitus est trium illarum praepositionum vis et facultas; unde Apostolus ad Rom. cap. 11. inquit: *Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia;* Praeterquamquod etiam de Spiritu S. ut de Patre enuntiatur quandoque particula, *ex*: scribente Johanne cap. 2. v. 6. *Quod natum est ex Spiritu*, et non raro etiam particula, *per*, ut ad Rom. cap. 5. v. 6. *Charitas Dei diffusa est ... per Spiritum Sanctum*. Imo per particulam, *per*, etiam Patris persona non raro designatur, juxta illud Pauli I. ad Cor. cap. 1. v. 9. *Fidelis Deus: per quem vocati estis in societatem Filii ejus*. Nec ullum inter particulam, *per*, et particulam, *ex*, video discrimen, quum eumdem habeat utraque sensum, ut patet ex cap. 4. Gen. v. 1. *Possedi hominem per Deum*. 3. Peculiari tamen quodam titulo praepositione, *ex*, utitur S. Scriptura ad Patris significandam personam, quoniam is fons est et origo totius divinitatis, ut suo loco dicemus.

Ad 2. Quamvis Spiritus S. in Scripturis expresse non vocaretur Deus, non inferendum esset proinde non esse Deum; si Deus appellaretur implicite, ut inquiunt, et aequivalenter. Sed falsa est omnino propositio, ut ex iis quae mom. 2. 3. et 4. produximus patet. Falsum etiam est nullibi legi Spiritum Sanctum esse adorandum. Nam Matth. cap. 28. ubi forma praescribitur Baptismatis, traditur utique Spiritui Sancto divinum deferendum esse cultum. Quid enim aliud est in Spiritus Sancti nomine baptizari, nisi fidem, obseqnium, adorationemque ei spondere? Hoc idem significare vult Apostolus docens nos esse templa Spiritus Sancti. Hoc demum loca Scripturae in quibus divina attributa Spiritui Sancto asseruntur.

Obj 2. S. Scripturae undique clamant Spiritum S. meram esse creaturam. Johannes enim cap. 1. *Omnia*, inquit, *per ipsum facta sunt*: Ex quo, si Spiritus Sanctus est aliquid, per Verbum profecto factum est. Et Amos cap. 4. v. 13. juxta 70. Interp. versionem, affirmat Deum formare tonitrua, et creare Spiritum.

Resp. Johannes cap. 1. tradit per Verbum facta esse omnia quae facta sunt, non quae absolute existunt: alioquin affirmare conabimur et Patrem factum fuisse per Verbum; quum et ipse aliquid sit. Sed clare mentem suam aperit Evangelista dum prosequitur dicens: *Et sine ipso factum est nihil, quod factum est*. Pro nihilo autem est quod addunt ex Amos. Nam Spiritus nomine non intelligit eo loci Propheta tertiam Trinitatis personam, de qua loquimur nos, sed ventum. Hinc noster latinus Interpres vertit: *Ecce formans montes, et creans ventum*.

Obj. 3. Talia in Scripturis de Spiritu S. dicuntur quae ipsum Deum non esse satis abunde demonstrant. Nam Apostolus ad Rom cap. 8. v. 26. ait Spiritum Sanctum pro nobis postulare gemitibus inenarrabilibus, *Spiritus postulat pro nobis* etc. quod infirmitatis nota est. II. Neque difficultatis nodum solvunt qui dicunt verba illa hoc esse intelligenda sensu, quod Spiritus Sanctus nos gemere et postulare faciat. Nam si hoc modo Apostoli textum liceet exponere, etiam de Patre dici posset gemere et interpellare pro nobis; quum opera ad extra toti communia sint Trinitati: nullibi tamen talia de Patre legimus. III. Praeterea idem Apostolus ad Eph. cap. 4. adscribit Spiritui Sancto etiam tristitiam dicens: *Nolite constristare Spiritum Sanctum Dei, in quo signati estis*. IV. Et Johannis cap. 16. v. 13. testatur Christus Spiritum Sanctum et praesentia et futura nescire: *Non enim loquitur a semetipso: sed quaecumque audiet loquetur*: et in futuro quidem tempore, quod aeternitatem a Spiritu Sancto excludit. V. Et dum in ep. ad Cor. I. cap. 2. v. 10. tradit Apostolus Spiritum Sanctum scrutari etiam profunda Dei, non denegat illi fortasse omniscientiam? Scrutari enim ignorantiae indicium est.

Resp. ad 1. Spiritus S. postulare dicitur pro nobis gemitibus inenarrabilibus, quatenus gratia sua, *interpellandi et gemendi inspirat affectum*, inquit Augustinus ep. 194. olim 105. ad Sixtum. Quae responsio quadrat per omnia et scopo et verbis ipsiusmet Apostoli. Et scopo quidem; quoniam quantum ex ejus textu intelligi potest, in id tota epistola tendit ut

nec Judaeos superbire permittat, tamquam de meritis operum legis; nec Gentes merito fidei adversus Judaeos inflari, quod ipsi receperint Christum. Verbis autem; quoniam, ut legenti patet, nil aliud nisi hoc unum insinuare assumit Apostolus eodem in capite, nimirum sine gratia Salvatoris nos nihil boni perficere posse. Ac ideo v. 6. inquit: *Prudentia carnis mors est*: v. 7. *Sapientia carnis inimica est Deo*: Item v. 20. *Vanitati enim creatura subjecta est non volens*, et, *Quid oremus, sicut oportet, nescimus*, ibidem versu 26. Hactenus audisti Apostolum exaggerantem infirmitatem nostram: audi nunc Salvatoris gratiam commendantem. *Si Christus in vobis est: corpus quidem mortuum est propter peccatum, Spiritus vero vivit propter justificationem ... Quicumque Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei ... Similiter autem et Spiritus adjuvat infirmitatem nostram*, et, *Sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*; et cetera ejus generis bene multa. Neque adhuc suspiceris, quia dicitur, *postulat*, alicujus rei esse indigentem Spiritum Sanctum: non enim postulat pro se, sed *pro nobis*, inquit Apostolus; praeter quam quod jam dixerat, *Non enim accepistis spiritum servitutis ... sed Spiritum adoptionis ... in quo clamamus, Abba, Pater*. Ecce hic non dixit, inquit Aug. loco citato, quod ipse Spiritus clamet orando; sed, *in quo clamamus*. Sensus ergo germanus illorum verborum est Spiritum Sanctum postulare, interpellare, ingemiscere, quatenus postulandi, interpellandi, gemendique inspirat nobis pium desiderium castumque affectum.

Ad 2. Etsi opera ad extra toti communia sint Trinitati, usus tamen penes theologos invaluit, et quidem Scripturarum innixus auctoritati, ut uni potius quam alteri personae actiones quaedam attribuantur, qui usus appellatur, *Appropriatio*. Per appropriationem ergo Spiritui S. et non Patri adscribitur quod postulare ac gemere Sanctos faciat; sicuti Patri et non Spiritui S. opera appropriantur omnipotentiae, tametsi toti communia sint Trinitati.

Ad 3. Etiam Spiritus S. tristitia sumitur ab Apostolo improprie ac metaphorice, propter nos videlicet qui illius dona contemnimus; quomodo metaphorice sumenda sunt verba Gen. cap. 6. v. 6. *Et tactus dolore cordis intrinsecus*.

Ad 4. Sententia illa Christi, *Non loquetur a semetipso*, significat Spiritum S. ideo ab alio accipere quod loquatur, non a semetipso; quia ab aliis essentiam accipit. Solutio est S. P. Augustini qui tract. 99. in Johan. docet Spiritum S. ab illo accipere scientiam et audientiam a quo accipit essentiam; a Patre scilicet ac Filio, a quibus procedit. *Ab illo audiet, a quo procedit. Audire illi scire est: scire vero esse ... Quia ergo non est a semetipso, sed ab illo a quo procedit, a quo illi est essentia, ab illo scientia: ab illo igitur audientia, quod nihil est aliud quam scientia*. Verbum autem, *loquetur*, futuri temporis, positum est ratione creaturarum ad quas Spiritus S. mittendus erat. Cumque sit ille verus altissimusque Deus, enunciari de eo utique potest tam praeteritum quam futurum tempus.

Ad 5. Scrutari, juxta Scripturae phrasim, divinam perfectissimamque significat scientiam; unde de Deo dicitur scrutari renes et corda. Quam significationem eo vel magis exhibet allata in argumento sententia, quia scrutari profunda et arcana consilia Dei quum sit comprehensio, ad solum Deum pertinet.

CAPUT XIV.

Etiam Patrum traditione demonstratur Spiritus S. divinitas.

I. Auctor libri qui inscribitur, *Pastor*, quique vulgo creditur Hermas, ita scribit: *Cum igitur corpus illud* (Christi) *paruisset omni tempore Spiritui Sancto ... fortiter cum Spiritu S. comprobatum, Deo receptum est in caelum*. Tradit hic Hermas Christi corpus, quod alteri obtemperare non poterat nisi Deo altissimo, paruisse omni tempore Spiritui Sancto: quare Hermas cum Christianis qui sua aetate vivebant, credebat Spiritum S. esse Deum.

II. Clemens Romanus apud Basilium lib. de Spir. S. cap. 29. *Vivit Deus*, inquit, *et Dominus J. Christus, et Spiritus Sanctus*. Juxta Clementem ergo eadem vita Pater, Filius, ac Spiritus S. vivunt: proindeque sicut Pater et Filius verus sunt Deus, ita et Spiritus Sanctus.

III. Ignatii martyris comites qui passionis ejus acta scripserunt, ad calcem ita loquuntur: *Communicemus Christi martyri Ignatio ... glorificantes D. N. J. C. per quem et cum quo Patri gloria et potentia cum Spiritu Sancto in sancta Ecclesia in saecula saeculorum. Amen*. Secundo itaque saeculo Fideles adorabant et conglorificabant una cum Patre et Filio Spiritum Sanctum: adeoque verum esse Deum credebant.

IV. Argumentum idem suppeditant verba Justini martyris in apol. 1. quae ita se habent: *Filium, et Spiritum S. colimus et adoramus, ratione et veritate adorantes*.

V. Et quae de S. Polycarpi martyrio in epistola quae est apud Eusebium lib. 4. H. E. cap. 15. Ecclesia smyrnensis scripsit in haec verba: *Quapropter de omnibus laudo te cum sempiterno et caelesti Jesu Christo filio tuo dilecto, cum quo tibi et Spiritui S. gloria nunc, et in futura saecula. Amen*.

VI. Athenagoras qui cum apologiam ad M. A. Antoninum et L. A. Commodum pro Christianis obtulerit, totius certe Ecclesiae nomine loquebatur; et ipse docet Spiritum S. Deum esse, quomodo Deus est Pater et Filius. Ita namque scribit: *Quis non miretur cum audiat nos, qui Deum Patrem praedicamus, et Deum Filium, et Spiritum Sanctum, eorum in unitate virtutem, et in ordine distinctionem explicantes, atheos vocari?* Et iterum: *Deum asserimus, et Filium ejus Verbum, et Spiritum Sanctum virtute unitos, Patrem et Filium et Spiritum S. Filius enim Patris mens, Verbum, et Sapientia est; et effluentia, ut lumen ab igne, Spiritus*. Nonne haec mirifice probant Spiritus S. divinitatem?

VII. Epipodius martyr lugdunensis ita in confessione Fidei praesidem alloquutus est: *Christum cum Patre, et Spiritum Sanctum Deum esse confiteor: dignumque est ut illi animam refundam, qui mihi et creator est et redemptor.*

VII. Infinitus essem, si omnia S. Irenaei loca ad rem facientia vellem hic exscribere. Nonnulla recensebo. In lib. 1. de haer. cap. 2. hanc insanis Valentini commentis opponit Ecclesiae Fidem: *Ecclesia ab Apostolis accepit eam fidem quae est in unum Deum Patrem, et in unum J. C. Filium Dei incarnatum pro nostra salute, et in Spiritum Sanctum.* Et cap. 19. *Nihil indiget omnium Deus: sed per Verbum et Spiritum S. suum omnia faciens, et disponens, et gubernans, et omnibus esse praestans.* Eadem repetit lib. 4. cap. 37.

IX. Auctor Philopatris qui Luciano samosateno vulgo adscribitur, haec ad rem nostram habet: *Deum alte regnantem, magnum, immortalem, caelestem, Filium Patris, Spiritum ex Patre procedentem, unum ex tribus, et ex uno tria.* Quae ex ore christiani philosophi ab incredulo viro animo irridendi prolata invicte demonstrant integram de Trinitate catholicam Fidem.

X. Clemens Alexandrinus lib. 1. Pedag. cap. 6. *Unus quidem est*, inquit, *universorum Pater: unus est etiam Verbum universorum: et Spiritus Sanctus unus, qui et ipse est ubique.* Et ejusdem Pedag. lib. 3. cap. 7. subdit: *Gratias agimus soli Patri et Filio, Filio et Patri, Pedagogo et Magistro Filio una cum S. Spiritu, per omnia uni, in quo omnia, per quem omnia unum, per quem est quod semper est.* Quum per haec doceat Clemens Spiritum Sanctum esse immensum, ut immensus est Pater et Filius: illique agendas esse gratias, ut Patri et Filio: Patrem Filium ac Spiritum Sanctum unam habere naturam; proculdubio tradit Spiritum Sanctum verum esse Deum.

XI. Tertullianus lib. adv. Prax. cap. 13. ait: *Duos quidem definimus Patrem et Filium, etiam tres cum Spiritu Sancto ... Duos tamen Deos numquam ex ore nostro proferimus: non quasi non et Pater Deus, et Filius Deus, et Spiritus S. Deus, et Deus unusquisque.* Et cap. 9. jam scripserat: *Tertius est Spiritus a Deo Patre et Filio: sicut tertius a radice fructus ex frutice ... nihil tamen a matrice alienatur a qua proprietates suas ducit ... ita Trinitas per consertos et connexos gradus a Patre decurrens* etc.

XII. Hippolytus martyr portuensis scriptum edidit contra Noetum, cui titulus: *Homilia de Deo trino et uno, et de mysterio Incarnationis contra haeresim Noeti.*

XIII. Auctor constitutionum apostolicarum, cujus fidem integram fuisse aevo suo testatur Epiphanius haer. 70. ita loquitur lib. 7. cap. 15. *Nos omnes congrega in regnum caelorum in Christo Jesu Domino nostro, cum quo tibi gloria honor et veneratio et Spiritui S. in saecula. Amen.*

XIV. Praeclarum est Cypriani de Trinitate testimonium in lib. de

unit. Eccl. cap. 4. ubi sic habet: *De Patre, Filio, et Spiritu Sancto scriptum est: Hi tres unum sunt*. Et in ep. ad Jubaj. *Si baptizari*, inquit, *quis apud haereticos potuit, utique et remissam peccatorum consequi potuit. Si remissionem peccatorum consequutus est et sanctificatus est, templum Dei factus est. Quaero cujus Dei? Si Creatoris; non potuit qui in eum non credidit. Si Christi; nec hujus fieri potuit templum qui negat Deum Christum. Si Spiritus Sancti; cum tres unum sint; quomodo Spiritus S. placatus ei esse potest, qui aut Patris aut Filii inimicus est?*

XV. Dionysius alexandrinus in apologia ad Dionysium romanum haec inter cetera tradit: *Singula illa nomina de quibus loquutus sum, inseparabilia a se invicem sunt, nec dividi queunt: Patrem cum dico, ante mentionem Filii, sub Patris vocabulo etiam Filium significavi: contra, si in mentione Filii Patrem omiserim, tamen ille sub nomine praeintelligi debuit. Spiritum S. adjeci: sed ita ut simul adjunxerim undenam ille et per quem venerit*.

XVI. Dionysius rom. epistolam pro catholica Trinitatis Fide adversus Sabellianos scripsit, cujus nonnulla exstant adhuc fragmenta ap. Athan. lib. de decr. Nicaenae synodi. Ibi autem ad rem nostram ita scribit: *Etenim necesse est uniri omnium Deo Dei Verbum, et in Deo manere et habitare Spiritum Sanctum*. Et infra: *Credendum est in Deum Patrem omnipotentem, et in Christum Jesum Filium ipsius, et in Spiritum Sanctum*.

XVII. Gregorius thaumaturgus in confess. Fidei a Johan. Gerardo Vossio edita, haec ait: *Unus Deus Pater Verbi viventis ... Unus Dominus solus ex solo, Deus ex Deo; unusque Spiritus S. ex Deo existentiam habens* etc. Et ibidem subdit: *Non ergo defuit umquam Filius Patri, neque Filio Spiritus: sed immutabilis, invariabilis, eadem semper manet Trinitas*. Ita trium priorum saeculorum Patres de Trinitate sentiebant. Nec diversimode profecto deinceps credidit Ecclesia. Nam Athanasius in ep. 18. ad Serap. ait: *Qui de Trinitate aliquid eximit, et in solo Patris nomine baptizatur, aut in solo nomine Filii, aut sine Spiritu in Patre ac Filio, nihil accipit: sed inanis ac sine initiatione manet tam ipse, quam qui tribuere videtur. Nam in Trinitate initiatio consistit. Ita qui Filium a Patre dividit, aut Spiritum ad creaturarum conditionem detrahit, neque Filium habet neque Patrem, sed atheus est* etc.

XVIII. Basilius integrum concinnavit opus adversus Eunomium, cui titulus: *de Spiritu Sancto*, quo verum Deum illum esse demonstrat. Et hom. 27. cont. Sabell. hanc praeclarissimam habet sententiam: *Nam neque Trinitas manet Trinitas detracto Spiritu: et si unum aliquid e creaturis adjungatur, universa creatura simul introducetur, et Patri Filioque connumerabitur*.

XIX. Ambrosius et ipse libros *de Spiritu Sancto* inscripsit ubi, nempe lib. 1. cap. 14. de forma verba faciens Baptismi, ait: *In nomine, dixit, non in nominibus. Non ergo aliud nomen Patris, aliud nomen Filii, aliud nomen Spiritus Sancti, quia unus Deus: non plura nomina, quia non duo dii, non tres dii*.

XX. Consimilia habet S. P. Augustinus tract. 6. in Johan. *Iste unus Deus, quia non in nominibus Patris, et Filii, et Spiritus Sancti: sed in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Ubi unum nomen audis, unus est Deus*. Et rursus: *Probatur unus Deus Pater, et Filius, et Spiritus S.*

XXI. Concilium C-P. I. in Fidei symbolo quod edidit, inquit: *Credo in Spiritum S. Dominum, vivificantem, qui ex Patre procedit; qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur*. Quibus verbis Spiritum S. Deum altissimum esse statuerunt 1. Quoniam hoc Fidei symbolum C-P. Patres condiderunt adversus Macedonianos affirmantes Spiritum S. meram esse creaturam. 2. Quoniam expresse illum nominant Dominum, quomodo ibidem Dominum appellant Jesum Christum Patres Nicaeni I. concilii. 3. Quia tradunt Spiritum S. procedere ex Patre. 4. Denique, quoniam eumdem ei tribuendum esse definiunt cultum, qui Patri ac Filio tribuitur.

XXII. Ab ea tandem aetate ad haec usque nostra tempora universalis tum orientis, tum occidentis Ecclesia constanter semper ac firmissime tenuit et tenet Spiritum S. esse Deum, ut ex Baptismatis ritu quod numquam sine expressa Patris et Filii ac Spiritus S. mentione collatum validum habitum est, et ex antiquissimo ac celeberrimo glorificationis hymno, *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto*, manifeste patet.

Nonnullae objectiones solvuntur.

Obj. 1. Auctor const. apost. lib. 2. cap. 26. tradit Spiritum S. voluntatem expectare Christi: quod de vero Deo dici non potest. II. Concilium Nicaenum I. circa Spiritus S. divinitatem nihil penitus statuit: quod argumento est ad Fidem ea aetate hoc dogma non spectasse. III. Imo neque concilium C-P. I. quod convocatum adversus Macedonianos fuit, Spiritum S. expresse appellat Deum.

Resp. ad 1. Frivolum est quod ex constit. apostolicis opponitur. Nam auctoris illarum mens est affirmare Spiritum S. executioni mandare voluntatem Christi, juxta illud, *Non loquetur a semetipso*; non vero esse effectum voluntatis Christi, ut sunt omnes creaturae.

Ad 2. Nihil Nicaeni Patres de Spiritus S. divinitate aperte definierunt: non quod ad Fidem ea aetate dogma hoc non pertineret, sed quoniam agebatur in eo concilio contra Arianos qui nihil aperte contra Spiritum S. blasphemaverant. Solent enim ut plurimum concilia ea Fidei dogmata definire, ad quae illustranda ac confirmanda convocantur. Cumque Ariani, qui implicite Spiritus S. denegabant divinitatem, explicite tamen nihil adversus illam affirmarent; concilium praefatum statuta Verbi divini consubstantialitate quam haeretici explicite inficiabantur, Spiritus S. divinitatem silentio praeteriit.

Ad 3. Caecutiunt aut caecutire se simulant haeretici dum tam fidenter affirmant nihil C-P. concilium de Spiritus S. statuisse divinitate. Le-

gatur Fidei symbolum in eo concilio exaratum. Addo epistolam synodicam ad Damasum R. P. in qua sancti illi Patres expressissime nominant Spiritum S. Deum.

Obj. 2. Saeculo quarto non omnes sancti Patres Spiritum S. Deum esse credebant. Nam Hilarius in suis de Trinitate libris numquam Spiritum S. Deum appellat: quod adnotavit Erasmus. II. Dionysius alexandrinus credidit aliquando Spiritum S. puram esse creaturam: de illo siquidem haec Basilius narrat ep. 42. *Hunc (Spiritum S.) ab adorandae deitatis consortio segregasse, et creatae ac servili naturae connumerasse fertur*. Basilius ipse non semper Spiritum S. Deum ausus est appellare, ut ex Gregorii nazianzeni orat. 20. liquet: qui cum Basilii silentium summis laudibus extollit, demonstrare videtur articulum de Spiritus S. divinitate ad fidem tunc temporis non pertinuisse. III. Et adeo verum est non habuisse Basilium dogma de Spiritu S. tamquam articulum Fidei; ut quum aliquando, et in orat. praesertim habita in festo S. Eupsichii, Spiritus S. divinitatem reticuerit, a multis reprehensus est ea ductis regula, quod fidei veritatem palam confiteri tenemur. IV. Duae quas Basilius ad Apollinarem dedit epistolae, multis scatent erroribus in Trinitatem: ipsumque glorificationis hymnum hoc modo recitare solitus erat, *Gloria Patri per Filium in Spiritu Sancto*.

Resp. ad 1. Falsum omnino quod saeculi IV. Patres Spiritum S. Deum esse non crediderint, sicuti et falsum nullibi Hilarium divinitatem confiteri Spiritus Sancti. Nam com. in Matth. cap. 32. *Baptizantur*, inquit, *in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti: ut quorum una est divinitas, sit una largitio; nomenque Trinitatis est unus Deus*. In libris autem de Trinit. lib. videlicet 12. ad finem, definit Spiritum S. non esse creaturam.

Ad 2. Dionysium alexandrinum de Spiritu S. optime sensisse, jam supra suo loco demonstravimus: quibus addo illius ad Paulum samosatenum responsionem in haec verba: *Non impune feret is qui adversus benignum Spiritum S. blasphemus est: Spiritus autem est Deus*. Quum autem Dionysius acerrimus Sabellianorum fuerit insectator, non paucos habuit nominis sui obtrectatores qui, ut ex ep. Dionysii rom. et ipsius Dionysii alex. apol. aperte colligitur, teterrimas in vulgus sparsere calumnias, a quibus Basilius deceptus de Dionysii fide sinistre aliquando judicavit: unde non absolute S. antistitem damnat, sed utitur phrasi, *ut fertur*. Neque vero Basilius articulum de Spiritus S. divinitate inter adiaphora habebat, ex quo non semper illum esse Deum expresse praedicaret. Ea namque S. Pater vivebat aetate qua haeretici potentissimi erant; quum hinc furerent Ariani, illinc Semiariani debaccharentur: ac potentia freti Constantii omnem adhibebant conatum ut e propriis sedibus catholicos episcopos deturbarent. Tempori ergo oeconomiae caussa cedens Basilius, abstinendum aliquantisper putavit ab appellando Spiritu S. Deum, ne Fidei insolentissimi hostes occasionem arriperent episcopales sedes invadendi. Tragoediam narrat Gregorius nazianzenus eadem orat. 20. his verbis: *Illi nudam et apertam vocem de Spi-*

ritu Sancto , quod Deus esset , arripere studebant , (quod quidem tametsi verum esset , impium tamen illis , atque improbo impietatis antistiti videbatur :) et eum quidem cum theologica lingua civitate pellerent ; ipsi autem Ecclesiam occuparent . Ceterum Basilium semper de Spiritu S. catholice sensisse patet 1. ex laudata Gregorii nazianzeni oratione 2. Quod ep. 79. et 80. anathema in eos intorserit qui Spiritnm S. ad creaturae sortem deprimebant . 3. Quoniam ubique in suis scriptis eosdem agnoscit in Spiritu S. divinitatis characteres quos admittit in Patre et Filio . 4. Quoniam ipse Gregorio nazianzeno auctor fuit, ut Spiritum S. Deum esse publice praedicaret . 5. Quoniam quotidie glorificationis utebatur hymno . 6. Demum , quoniam in ep. 141. aperte inquit : *Confitendum est Deum esse Patrem , Deum Filium, Deum Spiritum Sanctum , quemadmodum divinae Scripturae et qui sublimiora contemplati sunt , docuerunt .*

Ad 3. Qui Basilii silentium redarguerunt , non existimarunt male de Spiritu S. sensisse : sed prudentem quam adhibebat , ut diximus , oeconomiam ignaviam judicarunt . Ast sancti Patres , Athanasius praesertim et Gregorius nazianzenus , prudentiam illius summopere commendarunt : unde Basilius obtrectatorum auditis querimoniis , epistolam numero 33. ad Gregorium nazianzenum dedit , in qua de suorum temporum calamitate acerbissime conqueritur : quod argumento est Spiritus S. divinitatem tamqnam capitale Fidei dogma semper habuisse . Ad illud vero quod addunt , teneri nos veritatem palam profiteri, breviter dico, aliud esse insidias devitare silentio , ut Basilius fecit ; aliud non respondere sciscitantibus . Si veritatem interrogatus reticuisset , fuisset proculdubio culpabilis . Denique id ad snmmum demonstraret S. Patrem imprudentiae , non violatae Fidei in Spiritum S. reum fuisse .

Ad 4. Duae illae ad Apollinarem epistolae suppositae sunt et sub Basilii nomine confictae , ut ex ipsius Basilii epist. 49. patet, ubi ita loquitur : *Ut calumniam illam quae adversum nos invaluit depellam , conspicuum facimus omnibus nihil nobis cum illis esse commercii , qui ad eum modum loquuntur* . Quod addunt de hymno glorificationis frigidum admodum est. 1. Quoniam nimis argumentum illud probaret ; probaret videlicet negasse Basilium etiam divinitatem Filii, quoniam de illo loquens adhibet particulam, *per* . 2. In mente S. Patris eamdem vim habet particula , *in* , ac particula , *cum :* quod fuse ipse demonstrat in lib. de Spiritu S. cap. 25. 3. In eodem lib. cap. 27. etiam sequentem approbat formulam : *Gloria Patri et Filio cum Spiritu Sancto .*

CAPUT XV.

An Spiritus S. a Patre Filioque procedat .

Postrema nunc Fidei controversia an Spiritus S. a Patre Filioque procedat , superest dirimenda et explicanda . Et a Patre quidem procedere , quum disertis verbis asserat Christus Johan. cap. 15. jam nemo inficiari

audet. Senserunt tamen contrarium olim Ariani qui, teste Augustino, contendebant Spiritum Sanctum esse creaturam creaturae, hoc est, creatum a Filio: quapropter a Patribus concilii C. P. Nicaeno symbolo additum fuit, *Qui a Patre procedit*. Neque per aliam viam incesserunt Macedoniani, aliter πνευματομάχοι, *Pneumatomachi*, sic dicti eo quod de Spiritu Sancto litigent, asserentes apud eumdem S. P. Aug. Spiritum Sanctum creaturam esse; et Eunomiani blasphemantes dissimilem per omnia esse Filio Spiritum Sanctum, ut ipse beatissimus Doctor perhibet fidelissimum testimonium. Sed horum errorum capita confregimus in superioribus elucubrationibus: remanet solum igitur ut cum illis congrediamur, qui profitentes nobiscum Spiritum Sanctum esse verum Deum, contendunt nihilominus et acriter digladiantur Spiritum Sanctum non a Patre et Filio, ut catholico-romana confitetur Ecclesia, sed a solo Patre procedere: cujus controversiae historia paullo altius repetendam duximus. Sit itaque.

Historici fere omnes atque Theologi erroris hujus de Spiritus S. processione a Patre tantum, et non a Filio, primum auctorem faciunt Theodoretum, quod in anathematismi IX. Cyrilli alexandrini confutatione scripserit. *Proprium esse Filii Spiritum Sanctum, si eo sensu intelligatur ut ex Filio aut per Filium exstantiam habeat, id blasphemum est et impium*. Sed de Theodoreti mente paullo post disputabimus. Hoc unum certum est apud omnes, controversiam Graecos inter et Latinos de processione Spiritus Sancti, celebrem evadere coepisse circa ann. 640. quo S. Maximus martyr Latinorum adversus populares suos suscepit patrocinium in epist. ad Marinum. Acrior adhuc disputatio evasit saeculo VIII. eaque de caussa tria sub Pipino et Carolo Magno celebrata sunt concilia, primum videlicet Genethliaci prope Lutetiam an. 760. alterum Forojulii an. 791. tertium Franco-furti. Et quoniam saeculo IX. fervebat adhuc contentio, duo alia convocata sunt concilia, Aquisgranense videlicet an. 809. et Arelatense an. 813. Photius spado, vir quidem in quo doctrina cum impietate decertabat, quum C.-P. sedem ejecto Ignatio per vim invasisset: ut Nicolaum R. P. qui infandum illius facinus improbaverat damnaret, eo usus est praetextu quod Latini omnes crederent Spiritum S. etiam a Filio procedere. Saeculo deinde XI. pugna eadem adhuc instaurata est opera Michaelis Cerularii patriarchae itidem C.-P. et Constantini monomachi imperatoris; unde ad schismata sopienda Fidemque sartam tectam servandam varia celebrata sunt concilia, Barense nimirum in Apulia anno 1097. sub Urbano II. cui ut insignis Fidei athleta S. Anselmus cantuariensis interfuit: tum Lateranense IV. sub Innocentio III. 1215. ad quod ambo Patriarchae C.-P. et Hierosolymitanus cum paucis graecis episcopis convenerunt. Deinde an. 1274. sub Gregorio X. Michaele Paleologo imperante celebratum est concilium Lugdunense II. in quo ad concordiam rediere Graeci cum Latinis. Sed quoties pax inita est, toties iterum fracta, Graecis in pristinum schisma labentibus; donec controversia omnis finita est in concilio Florentino habito, sedente Romae Eugenio IV. et Graecis imperante Johanne Paleologo an. 1439. Huic concilio Imperator ipse Graecorum, et Patriarcha C. P.

cum aliis bene multis graecis episcopis interfuerunt: qui omnes catholico dogmati de Spiritus S. processione a Filio subscripserunt, uno excepto Marco ephesio, cujus opera non multo post Graeci initum foedus iterum fregerunt. Contra hos ergo sit

CONCLUSIO.

Spiritus S. etiam a Filio procedit.

Prob. 1. Scripturarum oraculis. I. Ex iis Scripturae locis quae Filio adscribunt cuncta quae habet Pater; puta Johan. cap. 16. v. 15. Christus inquit: *Omnia quaecumque habet Pater, mea sunt*. Et cap. sequenti v. 10. *Mea omnia tua sunt, et tua mea sunt*. Omnia ergo quae habet Pater, excepta, ut inquit Augustinus, paternitate, propria sunt Filii, ut laudata mox evangelica verba significant: in quae Cyrillus alexandrinus in 2. dial. ad Hermiam inquit: *Ceterum credimus Patri Filium, et quodlibet aliud habentem ex aequo, eo solo excepto quod non genuit*. Quapropter cum proprium sit Patris Spiritum Sanctum inspirare, neque spiratio paternitas sit; consequitur et Filii, cujus omnia quae habet Pater sua sunt excepta paternitate, propriam esse hanc spirationem: adeoque Spiritus S. a Filio, non secus ac a Patre procedit. II. Ex eodem Johan. cap. 16. ubi Christus de Spiritu S. loquens, ita inquit: *Non enim loquetur a semetipso: sed quaecumque audiet loquetur, et quae ventura sunt annuntiabit vobis. Ille me clarificabit: quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis. Omnia quaecumque habet Pater mea sunt. Propterea dixi: quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis*. Haec luculenter demonstrant Spiritum S. accipere a Filio Esse. 1. Quoniam laudato in testimonio expresse legitur de Spiritu illo veritatis, *de meo accipiet*: Quid autem divina persona ab alia accipere potest nisi *Esse*? Deus enim est id quo melius excogitari nequit: adeoque Spiritus Sanctus qui, fatentibus adversariis, est Deus, quid aliud potest accipere a Filio praeterquamquod suam essentiam sive suum Esse, quod simul recipit et a Patre? Profecto non video. 2. Caussa quam Christus affert, cur de suo sit Spiritus S. accepturus, est quia omnia quae habet Pater propria sunt Filii: et sane de alio qui non sit suus frater, quique de bonis patris participet sui, recte dicit filius de suo accipere cui omnia donata sunt a patre suo, quemadmodum Unigenitus caelestis ibidem in Johanne confirmat: Sed Spiritus Sanctus, fatentibus Graecis, accipit a Patre εἶναι sive *Esse*; ergo idem illud *Esse* et accipere a Filio dicendus est. 3. Spiritus S. loquitur quaecumque audit a Christo: atque adeo a Christo habet *audientiam*: Sed audientia in divinis non distinguitur ab essentia; ut Augustinus arguit tract. 99. in Johan. dicens, *Ab illo audiet, a quo procedit. Audire illi scire est: scire vero esse*: Ergo Spiritus S. accipit a Filio essentiam a quo accipit audientiam: sed accipere essentiam sive *Esse* a Filio idem est ac a Filio procedere; Ergo Spiritus S. a Filio procedit.

Non acquiescunt tamen huic secundo nostro argumento Graeci, et ajunt I. Ubi legitur: *De meo accipiet*, subintelligendum est, de Patre meo. II. Quoniam occurrit ibi verbum, *Accipiet*, futuri temporis, quod locum habere nequit in divinis.

Sed mera subterfugia haec sunt. Nam quoad 1. legi proculdubio debet, ut habet nostra latina Vulgata, *De meo accipiet*: tum quia eam lectionem supponit caussa quam Christus his verbis affert, *Omnia quaecumque habet Pater, mea sunt, propterea dixi: quia de meo accipiet*: tum etiam quoniam nostrae Vulgatae lectionem confirmant versio persica quae habet, *A me accipiet*: Versio arabica ubi legitur, *Nam accipiet de eo quod meum est*: Versio aethiopica quae transtulit, *Totum quod habet, meum est*: ac denique Versio syriaca quae vertit, *Quippe qui de me accipiet*.

Ad 2. Nodum solvit S. P. Augustinus tract. 99. in Johan. his verbis: *In eo autem quod sempiternum est, sine initio et sine fine, cujuslibet temporis verbum ponatur, sive praeteriti, sive praesentis, sive futuri, non mendaciter ponitur. Quamvis enim natura illa immutabilis et ineffabilis non recipiat fuit et erit, sed tantum est ... tamen propter mutabilitatem temporum in quibus versatur nostra mortalitas et nostra mutabilitas, non mendaciter dicimus, et fuit, et erit, et est. Fuit, in praeteritis saeculis, est in praesentibus, erit in futuris. Fuit, quia numquam defuit; erit, quia numquam deerit; est, quia semper est.*

III. Ex locis illis in quibus Spiritus S. mitti dicitur a Filio. Johan. cap. 15. v. 26. legitur: *Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me*. Item cap. 16. v. 7. *Si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos*. Sane qui ab alio mittitur, ab alio procedit. *Hic est ordo naturae divinae a Patre et Filio, ut qui a nullo est, a nullo mittatur: et qui est ab alio, in nomine suo non veniat, sed in nomine illius a quo existit*, ait Athanasius in ep. ad Serap. Hinc Pater qui ab alio non procedit, non mittitur, ut S. P. Augustinus lib. 4. de Trinitate cap. 20. animadvertit: *Pater cum ex tempore a quoquam cognoscitur, non dicitur missus: non enim habet, de quo sit, aut ex quo procedat*. Et Filius e contra quoniam missus dicitur, *Misit Deus Filium suum factum ex muliere ... Evangelizare pauperibus misit me* etc. ideo dicimus a Patre procedere: adeo verum est missionem supponere processionem. Spiritus autem Sanctus mittitur a Filio, ut ex recitatis sententiis apparet: ergo a Filio procedit. Et vero, quandoquidem Spiritus S. laudatis in textibus dicitur missus a Filio, aliquid ab eo certe recipere debuit. Quid autem potuit a Filio recipere? Vel mandatum vel consilium vel potestatem. Non mandatum vel consilium, quoniam Spiritus S. Deus est. Igitur potestatem. Potestas vero in divinis non distinguitur ab essentia: ideoque Spiritus S. essentiam a Filio per processionem accepit.

Quum adversarii nostri mirum in modum ab hoc torqueantur argu-

mento, ad frigidas quasdam confugiunt cavillationes. Et I. quidem ajunt: Etiam Filius missus dicitur a Spiritu Sancto, juxta illud ejusdem Filii apud Lucam cap. 4. v. 18. ex Isaia deprompturn, *Spiritus Domini super me: propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me*; nec proinde Filius a Spiritu Sancto procedere dicitur. Reponunt hic Latini, Filium dici missum a Spiritu Sancto ratione humanae naturae, ut laudata proxime verba indicare videntur, secundum quam certe potuit mitti a Spiritu Sancto. Bene quidem, insurgunt hic II. adversarii, et Spiritus Sanctus dicitur missus a Filio secundum speciem illam externam qua in die Pentecostes super Apostolos descendit. III. Vel denique dici potest nomine Spiritus S. laudatis in locis non personam, sed Spiritus Sancti intelligi dona: Secundum quae potest pariter dici missus Spiritus S. a Filio.

Verum non potest allatum a nobis argumentum tam levibus eludi momentis. Filius enim missum se dicit a Spiritu S. missione quadam lato sensu accepta secundum dumtaxat externum effectum, ratione videlicet humanae naturae, non missione stricto ac rigoroso sensu sumpta quae personae missae a mittente supponit processionem; quae expositio ex textu ipso apertissime patet. Ait nempe Christus, *Spiritus Domini ... unxit me*: *evangelizare pauperibus misit me*: Unctio autem proprie significat unionem hypostaticam: At secundum humanam naturam Christus evangelizavit pauperibus; Ergo recte exponitur de humana quam Verbum divinum assumpsit forma. Ast e contra Spiritus S. missus dicitur a Filio missione proprie dicta, quae praeter externum effectum, internam supponit unius personae ab alia processionem. Quod, ne multus sim, vel ex allato in argumento Johannis testimonio colligitur. Ibi enim spondet Christus se missurum Apostolis Consolatorem: et hunc Paraclitum ait de suo accipere, *De meo accipiet*: et non magis Patris hunc esse ac suum, quia omnia quaecumque habet Pater sua sunt, et quae habet ipse Patris sunt, juxta jam superius recensita, quaeque in hanc formam exeunt, *Omnia quaecumque habet Pater mea sunt*; et deinceps, *Mea omnia tua sunt*, *et tua mea sunt*. Recole alia superius allata testimonia, et facile deprehendes latissimum quod intercedit discrimen inter utramque missionem. Qua responsione soluta remanet quoque altera Graecorum cavillatio.

Ad. 3. Decipiuntur fedifragi. Nam Christus Dominus allatis in testimoniis de Spiritu S. loquitur qui a Patre procedit: Per Spiritum autem qui a Patre procedit, persona, non donum intelligitur Spiritus Sancti.

IV. Ex locis ubi Spiritus S. dicitur Spiritus Filii. Actor cap. 16. v. 7. *Non permisit Spiritus Jesu*. Ad Gal. cap. 4. v. 6. *Misit Deus Spiritum Filii sui*. Ad Rom. cap. 8. v. 2. *Quod si Spiritus ejus*, *qui suscitavit Jesum a mortuis*, *habitat in vobis* etc. Si Spiritus S. est Spiritus Filii, quis non videt illum a Filio procedere? Et re quidem vera; ex quo Spiritus S. dicatur Spiritus Patris, Graeci concludunt Spiritum S. a Patre procedere: Ergo a pari, ex quo dicatur Spiritus Filii, confiteri debent et a Filio procedere. Etenim quo alio sensu dici potest Spiritus Sanctus Spiritus Filii? Profecto vel quod sit sanctitas Filio extrinsecus superveniens;

vel quod sit Filii instrumentum et virtus; vel quod sit Filio consubstantialis; vel demum quia a Filio procedit. Verum non priori, non secundo sensu Spiritus S. dicitur Spiritus Filii, ipsis fatentibus Graecis qui Spiritum S. personam divinam esse fatentur. Sed nec tertio; alioquin etiam Filius diceretur *Filius Spiritus Sancti*, quod nullibi legitur. Dicitur ergo Spiritus Filii, quoniam a Filio procedit.

V. Ac postremo ex cap. 20. Johan. v. 22. ubi haec occurrunt: *Haec cum dixisset, insufflavit: et dixit eis: Accipite Spiritum Sanctum*. In quae verba ita Doctorum aquila Augustinus fatur lib. 2. cont. Maximin. cap. 14. *Nisi procederet et de ipso, non diceret discipulis, accipite Spiritum Sanctum, eumque insufflando daret, ut a se quoque procedere significans, aperte ostenderet flando, quod spirando dabat occulte*.

Prob. 2. ex PP. graecis. Athanasius pluribus in locis implicite, expresse vero orat. de Incarnat. appellat *Filium fontem Sancti Spiritus*, τὸν υἱόν τὴν πηγὴν τοῦ ἁγίου πνεύματος. Epiphanius in Ancorato scribit: Χριστός ἐκ τοῦ πατρὸς πιστεύεται Θεὸς ἐκ Θεοῦ, καὶ τὸ πνεῦμα ἐκ τοῦ Χριστοῦ, ἢ παρ' ἀμφοτέρων *Christus ex Patre creditur Deus ex Deo, et Spiritus ex Christo, sive ex ambobus*. Et paucis interjectis e vestigio Filium vocat eum, *qui ab ipso*; Spiritum vero Sanctum, *qui ab ambobus*. Gregorius nyssenus in lib. 1. cont. Eunom. ita scribit: *Ut Patri conjunctus est Filius et cum illo esse habet, non tamen posterior existit: sic etiam Spiritus S. proxime haeret Filio; qui sola cogitatione secundum rationem principii prius consideratur productione Spiritus S. ... adeo ut detracta principii ratione, nulla re S. Trinitas a seipsa dissideat*. Cyrillus alexandrinus in Joel. cap. 2. inquit: *Et ex Deo quidem secundum naturam Filius (genitus est enim ex Deo, et ex Patre:) proprius autem ipsius, et in ipso, et ex ipso Spiritus est*. Et lib. 14. thes. *Quoniam ex essentia Patris Filiique Spiritus, qui procedit ex Patre et Filio*. Basilius lib. 3. cont. Eunom. docet, *Spiritum S. dignitate secundum esse a Filio: ut qui esse ab illo habeat, et ab ipso accipiat et annuntiet nobis, et omnino ex illa caussa pendeat*. Didymus alexandr. lib. 2. de Spir. S. in illa Christi verba, *Non enim loquetur a semetipso*, scribit: *Hoc est, non sine me et Patris arbitrio ... quia non ex se, sed ex Patre et me est. Hoc enim ipsum quod subsistit, a Patre et me illi est*. Anastasius sinaita lib. 1. de rectis dogmat. ait: *Dominus ostendens ex semetipso Spiritum existere, insufflatis discipulis dixit: Accipite Spiritum Sanctum*. Haec quae hactenus recitavi aliaque quae brevitati consulens omitto, peremptoria sunt adversus pravam Graecorum opinionem.

Hi nihilominus respondent laudata mox testimonia Latinorum caussam parum nihilve juvare; quoniam Epiphanius, inquiunt, non de persona, sed de charismatibus loquitur Spiritus Sancti. Cyrillus autem alex. Spiritum S. appellat proprium Filii, quatenus est ejusdem cum ipso substantiae. Ac Basilius denique vel laudata verba ex Eunomii recitavit sententia quem refutare eo in libro aggreditur; vel quod verosimilius est, verba illa in germano Basilii textu non leguntur.

Sed mera verba sunt haec. Repugnat enim ut Epiphanium interpretemur de donis; quum haec etiam a Spiritu S. procedant, ut a Patre et Filio. Sancti ergo Patris scopus eo loci est de origine disserere Spiritus Sancti. Origo autem proprietas est personalis. Ac denique, sicuti nomine Patris et Filii personas, non proprietates intelligit; ita nomine Spiritus S. intelligit personam, non charismata. Quoad Cyrillum; nullibi in Patrum scriptis ad unius personae cum altera consubstantialitatem exprimendam haec invenietur phrasis, *Una persona propria est alterius*. Praeterea, si ea verba, *Proprius Filii est Spiritus S.* significant utriusque personae consubstantialitatem, cur Cyrillus aliquando non scripsit proprium Filii esse Patrem; aut proprium Spiritus S. esse Filium? Sed controversiam omnem dirimunt illa Cyrilli verba quae lib. 14. thes. prostant, *Qui procedit ex Patre, et Filio*. Ad Basilium postremo quod attinet, falsum est loqui illum ex Eunomii sententia; quum non in 3. adv. Eunom. modo, sed et alibi saepe dicat, *Spiritum S. esse secundum a Filio*. Et ne multa exscribam, in ep. 300. ad Canon. in fine fidentissime pronuntiat nefas esse Spiritum S. vel ante Filium, vel aliter quam ordine tertium a Patre collocare. Atque Basilio hac in re adstipulantur Athanasius orat. de Incarn. et Chrysostomus hom. in myst. Bapt. Ut vero quod ultimo loco objectum est solvam, verbis utar Manuelis Calecas qui cap. 10. libri quem ad populares suos exaravit, ita loquitur: *Quod si quis additamentum hoc esse dicit, calumniatur. Primum enim in antiquissimis libris ista lectio deprehenditur quorum tanta est vetustas, ut eos ante schisma perscriptos esse quivis fateatur, quorum aliqui lituras etiam exhibent; cum quidam Doctoris sententiam tamquam spuriam calumniati essent ob idque ferro in scripturam grassati, ut contradicere possent. Sed et consequentia sermonis et phrasis ipsa valde cohaerens est, et Doctoris proposito consentanea*. Ita Calecas: quae ad Marci ephesii refellendam calumniam, germanitatemque textus Basilii defendendam abunde sufficiunt.

Prob. 3. ex PP. latinis: Hilarius lib. 2. de Trinit. disserens de Spiritu S. inquit: *Loqui de eo non necesse est, quia de Patre et Filio auctoribus confitendus est*. Plura in libro quoque 8. de Trinit. ad rem hanc habet. Ambrosius lib. 1. de Spiritu S. cap. 10. ita scribit: *Spiritus quoque S. cum procedit a Patre et Filio, non separatur a Patre, non separatur a Filio*. Et de symb. cap. 3. *Spiritus S. vere spiritus est, procedens quidem a Patre et Filio, sed non est ipse Filius, quia non generatur; neque Pater, quia procedit ab utroque*. Et in lib. de dign. hum. condit. cap. 2. *Sicut ex Patre generatur Filius, et ex Patre Filioque procedit Spiritus Sanctus: ita et ex intellectu generatur voluntas; et ex his etiam ambobus procedit memoria*. S. P. Augustinus lib. 4. de Trinit. *Nec possumus dicere*, inquit, *quod Spiritus S. et a Filio non procedat: neque enim frustra idem Spiritus et Patris et Filii Spiritus dicitur*. Idem tract. 99. in Johan. repetit: *Cur ergo non credamus quod etiam de Filio procedat Spiritus Sanctus, cum Filii quoque ipse sit Spiritus?* Leo M. in ep. 93. affirmat *alium esse qui genuit, alium qui genitus est,*

alium qui de utroque processit. A recitandis aliorum Patrum sententiis abstineo, quoniam Graeci non diffitentur hanc perpetuam fuisse Ecclesiae occidentalis fidem; quemadmodum nec diffitentur definitum hoc dogma fuisse in tribus oecumenicis conciliis initio capitis commemoratis, in Lateranensi IV. nimirum, in Lugdunensi II. et in Florentino.

Sed non suadentur proinde, et ajunt non ex occidentalis, sed ex orientalis Ecclesiae Fide controversiam hanc esse dirimendam: atque adeo nec latinorum Patrum allata testimonia, nec trium illorum conciliorum definitiones ad rem facere.

Verum quid insulsius responderi poterat? Si namque occidentalis Ecclesia Spiritus S. a Filio processionem semper credidit: ergo perpetuo erravit et in Fide; ad Fidem enim pertinere ajunt hanc de Spiritus S. processione sententiam. Quod si consistat, jam periisse dicendum erit penes occidentales Ecclesiam: atque adeo pessimo se commaculavit scelere etiam Ecclesia orientalis quae cum haeretica Ecclesia ante exortum schisma, et saepe deinceps schismate praefocato communicavit. Sed neque occidentalis neque orientalis Ecclesia: bene vero qui ita ratiocinantur a veritate aberraverunt. Nam latini Patres supra commemorati a graecis Patribus laudati sunt in eorum conciliis oecumenicis; ut in Ephesino I. par. 2. act. I. S. Ambrosii advocatum est testimonium, tamquam sanctissimi Ecclesiae Patris; in Chalcedonensi act. VIII. omnia ad mentem fere peracta sunt Leonis Magni: hoc idem de VI. generali concilio dicendum, in quo debita cum reverentia, Ambrosii, Augustini, et Leonis excerpta citantur. Qua fronte igitur audent nunc latinorum Patrum parvipendere auctoritatem? Tribus denique oecumenicis conciliis Lateranensi IV. Lugdunensi II. ac Florentino nobilior Ecclesiae orientalis pars interfuit, ipsique Graecorum Imperatores: qui omnes catholico Latinorum subscripsere dogmati, et pacem ad invicem inierunt.

CAPUT XVI.

In quo Graecorum referuntur ac refutantur oppositiones.

Obj. 1. Quod in Scripturis non legitur non est tamquam Fidei dogma admittendum: In Scripturis autem non legitur Spiritum S. a Filio procedere: Igitur Latinorum sententia admittenda non est. II. Quoniam Spiritus Sanctus a Patre revera procedit, processio illa in Scripturis apertissime legitur; ita enim Christus appellat eum *Spiritum veritatis*, *qui a Patre procedit*: Nusquam autem in illis legitur procedere de Filio; Ergo a Filio procedere contranitendum est.

Resp. ad 1. 1. Tametsi concederemus dogma hoc in Scripturis non contineri, non proinde inferendum esset ad Fidem non pertinere; quum illud expresse habeatur in Patrum tam orientalium quam occidentalium perpetua traditione, ut superiori capite demonstravimus. Porro nec ipsi Graeci diffitentur alteram Fidei morumque regulam praeter Scripturam esse Traditionem. 2. Non explicite quidem, sed implicite crebro legitur in Scri-

pturis Spiritum S. a Filio procedere, ut momenta superius allata satis superque demonstrant.

Ad 2. Ratio cur S. Scriptura de Spiritu S. verba faciens expresse tradat illum a Patre procedere, non est quod a solo Patre procedat, sed 1. quoniam sacrarum est consuetudo litterarum, ut opera sive *ad extra*, ut inquiunt, sive *ad intra*, quae singulis paria sunt et communia divinis personis, uni potius quam alteri tribuantur. Puta singulae Trinitatis personae sunt, *Lux vera*; et nihilominus de Verbo dumtaxat dicitur, *Erat Lux vera*. 2. Ideo Spiritus S. processio Patri et non Filio explicite tribuitur, quoniam ille non iste fons est et origo totius divinitatis, unumque non multiplex est in Trinitate principium. Ita S. P. Augustinus tract. 99. in Johan. *Si ergo et de Patre et Filio procedit Spiritus Sanctus; cur Filius dixit, de Patre procedit? Cur putas, nisi quemadmodum ad eum solet referre et quod ipsius est, de quo et ipse est? Unde illud est quod ait, Mea doctrina non est mea, sed ejus qui me misit. Si igitur intelligitur hic ejus doctrina, quam tamen dixit non suam, sed Patris; quanto magis illic intelligendus est et de ipso procedere Spiritus Sanctus, ubi sic ait De Patre procedit, ut non diceret De me non procedit?*

Obj. 2. Sancti graeci PP. diserte negant Filium principium aut caussam aut fontem esse Spiritus Sancti: adeoque negant a Filio procedere. Nam Auctor de divin. nomin. cap. 2. *Pater solus*, inquit, *est fons substantialis divinitatis*. Athanasius de nat. Dei sic loquitur: *Solus Pater est caussa duorum*. Gregorius nazianzenus orat. ad Aegypti episcop. *Omnia*, inquit, *quae habet Pater*, *Filii sunt praeter principium*. Maximus martyr in ep. ad. Marin. *Unam quippe Filii et Spiritus S. caussam*, (sancti Patres) *agnoscunt Patrem*. II. Et per has similesque phrases ita Spiritum S. a Patre procedere definiunt; ut a participatione principii excludere omnino intendant Filium. Nam quoties de Spiritus S. loquuntur processione, constanter affirmant procedere ex Patre per Filium; numquam vero ex Patre et ex Filio. Ita Athanasius in redargut. Eusebii et Meletii: *Erat autem impossibile Spiritum inter Trinitatem cum gloria numerari, si non esset emanatus ex Deo Patre per Filium*. Et Basilius cont. Eunom. *Spiritus S. non dicitur Filius Filii: non ideo, quia non est ex Deo per Filium etc.* Ita etiam Gregorius nyssenus lib. 1. cont. Eunom., Cyrillus contra Pallad. pluresque alii. III. Inter particulam ἐκ *Ex*, et particulam διὰ, *Per*, hoc intercedit discrimen quod illa efficientem caussam; haec vero medium per quod actio transit ad terminum significet. Patres ergo ubi de Filio loquuntur, adhibentes particulam διὰ, *Per*, affirmare videntur Filium merum esse medium per quod actio spirativa Patris transit ad terminum, scilicet ad Spiritum Sanctum.

Resp. ad 1. Quamvis Spiritus S. a Patre Filioque procedat, speciali tamen quadam ratione a Patre procedere dicitur; atque adeo Patrem solum principium esse, ut Latini loquuntur, vel fontem et caussam, ut ajunt Graeci, Spiritus Sancti; quoniam prima Trinitatis persona ab alia non ha-

bet originem. Quod plane exprimere voluerunt graeci Patres, ubi scripserunt solum Patrem caussam esse, fontem, aut principium Spiritus Sancti. Ceterum numquam docuerunt ita solum Patrem principium esse Spiritus Sancti, ut principii rationem Filio denegaverint: tum quia plerique affirmant Spiritum S. procedere ab ambobus, ut capite antecedenti monuimus: tum etiam quia et ipsi cum Scriptura docent omnia quae habet Pater, habere etiam Filium, excepta paternitate: tum demum quoniam multi etiam expresse Filium appellant principium Spiritus Sancti, ut Basilius in orat. 2. cont. Eunom. dicens Filium πηγὴν ζωῆς, *fontem vivificum;* et Chrysostomus hom. in myst. Bapt. et Epiphanius haer. 96. et Cyrillus alexandr. in exp. symb. Nic. quorum testimonia vide ap. Petavium lib. 8. cap. 3. et 4.

Ad 2. Graeci Patres ut plurimum affirmant Spiritum S. procedere per Filium, ut significent Filium non esse primarium Spiritus S. principium; vel ut negent procedere a Filio tamquam creaturam a creatore. Et in primis falsum est graecos Patres de Spiritus S. processione loquentes, numquam adhibuisse particulam, *Ex*. Epiph. enim in Ancor. *Spiritus*, inquit, ἐκ τοῦ Χριστοῦ, ἢ παρ' ἀμφοτέρων, *ex Christo, aut ex ambobus*. Greg. nys. hom. 3. super Pater noster, *Ex Filio procedit* (Spiritus,) *quia proprius ejus est, quemadmodum et Patris*. Cyrillus alex. in epist. ad Nestorium: *Spiritus veritatis nominatur, et Christus est veritas, et ex eo profluit*. Paria habent Maximus martyr aliique quos vide apud Petavium loco proxime laudato. Ratio autem cur graeci Patres de Spiritus S. processione comparate ad Filium sermonem habentes uti maluerunt non particula *Ex*, quam tribuere consueverunt Patri, sed particula *Per*, duplex est: prima, ut significarent Filium non esse primum, ut diximus, Spiritus S. principium; praesertim cum adversus Arianos jam definierint particulam, *Ex*, denotare aequalitatem, particulam vero, *Per*, ordinem seu relationem unius personae ad aliam. Basilius adv. Eunom. cap. 3. inquit: *Hae voces* (Ex, *et* Per) *non praescribentis legem sunt, sed discernentis hypostases*. Altera autem ratio est, ut obviam irent Eunomii blasphemiae. Cum enim ille blateraret Spiritum S. ex Filio, uti creaturae profluunt, processisse: optime prudenterque Patres asseruerunt Spiritum S. esse ex Patre per Filium.

Ad 3. Etiam particula, *Per*, caussam significat efficientem, non secus ac particula *Ex*: quod facillime suadetur. Gen. enim cap. 4. legitur dixisse Cain: *Possedi hominem per Deum?* Johan. cap. 1. *Omnia per ipsum facta sunt*. Apostolus in I. ad Cor. cap. 8. *Nobis tamen unus est Deus Pater, ex quo omnia, et nos in illum: et unus Dominus J. C. per quem omnia, et nos per ipsum*. Et ad Colos. cap. 1. *Omnia per ipsum, et in ipso creata sunt*. Nonne laudatis in locis particula, *Per*, efficientem caussam significat, et posita est loco particulae, *Ex*? Idipsum expresse confirmant Sancti Patres. Nam Basilius in tract. ad Amphiloch. scribit: *Jam vero secundum promiscuam significationem dictio* Per *transit saepe numero in dictionem* Ex, *quia altera alterius significationem sibi vendicat, ut, Possedi hominem* Per *Deum, aeque ac si diceret*, Ex *Deo*. Chrysostomus hom. 53. in Matth. *Nam Scriptura solet*, Per quem *dicere*, Ex

quo: *velut cum dicit*: *Possedi hominem per Deum*. Cetera Patrum testimonia vide apud Calecam, et Cardinalem Bessarionem qui egregie de hoc argumento scripserunt.

Obj. 3. Theodoretus Spiritus S. processionem aperte negat in confutatione anathematismi 9. Cyrilli alexandrini. Nam ad illa ejusdem Cyrilli verba, *Proprius est Filii Spiritus*, ita scribit: *Quod autem proprium Filii asserit Spiritum, siquidem ut ejusdem cum eo naturae et ex Patre procedentem dixit, simul confitebimur, et tamquam piam suscipimus vocem; si vero tamquam de Filio aut ex Filio exstantiam habeat, hoc ut blasphemum et impium rejiciemus*: *fidem enim adhibebimus dicenti Domino, Spiritus qui ex Patre procedit: nec non divinissimo Paulo similiter loquenti, Nos autem non Spiritum mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo Patre est*. Dicens Theodoretus eum qui Spiritum S. proprium esse Filii dicit, impium esse atque blasphemum, negat proculdubio Spiritum S. a Filio procedere.

Resp. 1. Plerique theologorum existimant Theodoretum revera errorem praeformasse Graecorum: atque idcirco illius non esse admittendam auctoritatem, maxime cum Theodoreti scripta damnaverint duo generalia concilia. Neque ad Theodoreti defensionem reponere juvat, illius contra Cyrillum scriptum in quo Spiritum S. a Filio non procedere continebatur, hac in parte non fuisse damnatum: Nam primo falsum est, ajunt, Ephesinam synodum, implicite saltem, pravam illam Theodoreti sententiam non reprobasse; quum Cyrilli et Alexandrinae synodi epistolam ad Nestorium in qua anath. 9. dogma istud de Spiritus S. a Filio processione legebatur, plenis calculis approbaverit. Deinde si admittatur etiam Theodoreti confutationem anathematismorum non fuisse proscriptam, non proinde consequeretur veram esse sententiam illam de Spiritus S. a solo Patre processione: propterea quod articulus iste 9. incidens erat, neque ad synodi scopum pertinebat. Accedit his, quod argumentum illud ex Theodoreto depromptum si consisteret, nimis probaret: ostenderet enim Spiritum S. neque ex Filio, neque per Filium procedere; ait siquidem, *Si vero tamquam ex Filio, aut per Filium exstantiam habeat, hoc ut blasphemum, et impium rejiciemus*; quum tamen Graeci schismatici et ante et post concilii Florentini celebrationem semper professi sint Spiritum S. per Filium procedere, quamvis negent procedere ex Filio. 2. Respondent alii quibus subscribimus, Theodoretum negasse Spiritum S. esse proprium Filii ab eoque procedere, non in catholico sensu quatenus videlicet a Filio accipit esse, sed in sensu Eunomii et Apollinaristarum qui Spiritum S. conditum esse effutiebant et a Filio accipere esse, uti creatura a Creatore. Nam quum S. Cyrillus Nestorium ejusque fautores damnasset impietatis quod duplicem in Christo admitterent personam; Nestorius quique cum eo faciebant, Cyrillum accusabant quod sub obtentu damnandi nestorianismum haeresim invehere vellet Apollinaris atque Eunomii qui Spiritum S. ad creaturae sortem deprimebant. Theodoretus itaque qui ea aetate Nestorii partibus nimis quam par esset studebat, cum in 9. anathe-

matismo Cyrilli adversus Nestorium legisset Spiritum S. proprium esse Filii, suspicatus est alexandrinum antistitem affirmare voluisse quod Spiritus S. proprius sit Filii, quatenus cum ceteris Universitatis rebus ab illo conditus est; et propter hoc in illius anathematismi confutatione inquit, *Quod autem Spiritum Filii esse proprium asserit* etc. Rem ita accidisse patet in primis, quoniam Theodoretus ipse post initam rursus cum Cyrillo concordiam, in epist. ad Johannem antiochenum affirmat se cum Cyrillo circa Spiritus S. personam semper recte sensisse, in iis etiam locis, ubi Cyrillus docebat Spiritum S. proprium esse Filii, et ex Filio et per Filium exstantiam habere; totamque controversiam ortam ex mala verborum fuisse intelligentia. Deinde credibile ne est, si Theodoretus in Cyrilli scriptis suspicatus non fuisset Apollinaris et Eunomii blasphemias, negare aperte voluisse Spiritus S. ex Filio et per Filium exstantiam contra unanimem omnium praecedentium Patrum confessionem? Denique vel oculos tantum in Theodoreti scripta adversus Cyrillum injicere sufficit, ut quisque facile sibi suadeat totam ejus mentem fuisse Apollinaris Eunomiique errores in illis rejicere et execrari. Comm. enim in ep. ad Rom. se insectari protestatur eos, *qui dicunt Spiritum S. esse Filii opus*; quoniam Apostolus *Spiritum S. appellavit, et Dei, et Christi: non quod ut volunt haeretici execrandi, ex Deo per Filium creatus sit: sed quia ejusdem est cum Patre et Filio substantiae*. Hinc totus est in suis apologiis Cyrillus, ut ab Apollinaristarum ac Eunomianorum haeresis suspicione se liberet. Quare citra summam injuriam affirmari non potest Theodoretum primum fuisse qui Graecorum in Ecclesiam invexerit errorem.

Obj. 4. S. Johannes Damascenus lib. 1. de Fide orth. cap. 11. ita scribit: *Spiritum S. ex Patre esse statuimus, et Patris Spiritum appellamus. At vero eum non esse ex Filio dicimus: sed Filii Spiritum nominamus*. Cap. autem 13. *Spiritus est*, inquit, *non tamquam ex ipso, sed quod per ipsum ex Patre procedit: solus enim Pater principium est*.

Resp. 1. cum S. Thoma 1. p. q. 36. ar. 2. *Ad tertium, dicendum, quod Spiritum S. non procedere a Filio primo fuit a Nestorianis introductum ... Et hunc errorem sequutus est Theodoretus Nestorianus et plures alii post ipsum, inter quos fuit etiam Damascenus. Unde in hoc ejus sententiae non est standum* 2. Sunt alii plerique Theologi qui putant Damascenum eo loci docere Spiritum S. non procedere ex Filio tamquam ex principio sine principio, quomodo procedit a Patre: quae theologorum expositio ex iis quae immediate praecedunt et subsequuntur potest confirmari. Ante enim verba in argumento recitata ita scribit Damascenus: *Scire oportet nos non dicere Patrem esse ex aliquo, sed ipsum dicimus Patrem esse Filii; Filium vero non dicimus principium neque Patrem, sed eum dicimus et ex Patre esse et Filium Patris. Porro Spiritum S. tam ex Patre esse profitemur, quam Patris appellamus Spiritum. At vero eum non esse* etc. Tria hisce in verbis animadverto, primum, loqui Damascenum de ordine relationum, ut innuere videntur verba illa, *Scire oportet nos non dicere Patrem esse ex aliquo*. Alterum, eodem modo Da-

mascenum appellare Spiritum Sanctum *Spiritum Filii*, quomodo appellat Filium *Patris Filium*: Atqui ita Filius proprius est Patris, ut ab illo procedat: Ergo a pari etc. Tertium denique, hoc statuere discrimen insignem Theologum Filium inter et Patrem relate ad Spiritum Sanctum; nempe, Spiritum esse *ex Patre*, et esse *Patris Spiritum*: contra vero esse quidem *Spiritum Filii*, at non *ex Filio*. Et quare hoc? Quoniam a Patre est tamquam a primario totius Deitatis fonte; a Filio vero non item. Sed haec majorem lucem accipiunt ab his quae cap. 11. laudato subnectuntur, *Quemadmodum scilicet ex sole est radius et splendor, (ipse enim et radii et splendoris fons est,) per radium autem splendor nobis communicatur; atque ipse est qui nos collustrat et a nobis percipitur*. Per Damascenum itaque Pater est veluti sol; Filius ut radius; Spiritus vero Sanctus sicuti splendor. Splendor porro a sole est et a radio. 3. Sed et alio modo solvi potest argumentum, si nempe dicamus Spiritum S. per Damascenum non esse ex Filio, ut creatura est a Creatore. Leone quippe Isaurico Graecis imperante serpebat adhuc Macedonii ac Eunomii impiissima haeresis quae, ut diximus, ferebat Spiritum S. non Filio consubstantialem, sed ejusdem esse Filii opus, ut sunt reliquae creaturae: quod ut exprimerent, ajebant Spiritum S. esse ex Filio. Ne itaque Damascenus impiis haereticis ansam praeberet delirandi, docet non dici a nobis Spiritum S. esse *ex Filio*: sed dici *Spiritum Filii*. Quibus in verbis illud est animadvertendum non affirmare S. Patrem Spiritum S. non esse *ex Filio*: sed dumtaxat non dici *ex Filio*, volens ita significare se utique credere Spiritum S. esse ex Filio, sed oeconomiae caussa id dicendum non esse. Haec responsio verosimilior mihi videtur. Nam quod inquiunt, S. Thomam accensuisse Damascenum inter eos qui Spiritus S. processionem a Filio inficiantur, neminem movere debet; quoniam S. doctor communem sequutus est sui temporis theologorum opinionem; e vestigio enim subdit: *Quamvis a quibusdam dicatur quod Damascenus sicut non confitetur Spiritum S. esse a Filio, ita etiam non negat vi illorum verborum*. Aliorum autem illorum temporum theologorum sententia in rebus criticis non magni facienda est. Falsum autem est quod Graeci addunt, Latinos in Aquisgranensi concilio an. 809. celebrato damnasse Johannem Damascenum quod Spiritus S. a Filio processionem denegaverit, ut narrat in sua historia Johannes Pithoeus. Nam ille qui in laudato concilio proscriptionem subiit, fuit Johannes monachus hierosolymitanus, non Damascenus. Nominis ergo professionisque similitudine deceptus est Pithoeus.

Obj. 5. Concilii C-P. Patres de Spiritus S. origine agentes statuerunt quidem procedere ex Patre, sed de illius processione a Filio ne jota unum habuerunt; unde addidere symbolo, *Qui ex Patre procedit*, haud apposita particula, *Filioque*.

Resp. Si quidquam argumentum probaret, nimis probaret; demonstraret enim Spiritum S. non modo non procedere a Filio, sed nec a Patre; nec Deum esse: quum Patres concilii Nicaeni I. symbolo non addiderint, *Qui ex Patre procedit*; neque Deum expressis terminis appellaverint. Di-

co itaque hunc conciliorum esse morem, ut de iis expresse loquantur pro quibus sunt convocata. Cumque C-P. I. concilium celebratum fuerit adversus Macedonianos et Eunomianos quorum praecipuus error erat affirmare Spiritum S. non consubstantialem Deo, sed meram esse creaturam, vel virtutem Patris: satis fuit Patribus ad hunc praefocandum errorem definire atque symbolo apponere particulam illam, *Qui ex Patre procedit*, ut ita Spiritum S. verum esse Deum declararetur.

Obj. ultimo. Si Spiritus S. a Patre Filioque procederet, a duobus produceretur principiis. Nam spiratio qua Spirius S. producitur, proculdubio est actio; unde dicitur *Spiratio activa*. Actiones autem sunt suppositorum, ut habet vulgare proloquium, seu personarum. Cumque Pater et Filius duae sint personae, consequitur Spiritum S. a duplici produci principio. Id autem rationi repugnat: quoniam a duplici principio nequit una tantum res produci. II. Et revera, spiratio activa profluit vel ab essentia, vel a persona. Si ab essentia: ergo Spiritus S. procedit etiam a seipso; quum una eademque sit in singulis personis essentia. Si a persona: ergo Spiritus S. a duobus principiis procedit; quia Pater et Filius duae sunt personae. III. Neque dici potest spirationem activam esse quidem personalem proprietatem, sed participari a duabus personis: quoniam proprietas personalis, ut paternitas, filiatio, uni tantum convenire potest personae. IV. Ac denique, nonne spiratio activa quae reperitur in Patre sufficiens est ad producendum Spiritum Sanctum? Proculdubio: alioquin non esset infinita. Ad quid ergo spiratio activa in Filio ad producendum Spiritum Sanctum?

Resp. ad 1. Tota argumenti hujus solutio a recta communis proloquii, *Actiones sunt suppositorum*, intelligentia dependet. Quaevis itaque actio a natura tamquam a fonte seu radice profluit; unde natura dicitur a Philosophis principium operandi: non a persona quae in suo conceptu nil aliud includit quam principium subsistendi. Sed quoniam natura nisi ab hypostasi sit suppositata, non a parte rei sed in mente nostra dumtaxat existit: hinc quum actio procedens a natura transire debeat per suppositum, non male dicitur: *Actiones sunt suppositorum*; quamvis proprie loquendo, quaelibet actio sit naturae in qua principium seu forma agendi, ut ajunt, tamquam in radice reperitur. Quod adeo verum est ut ubi plures sunt naturae, etiamsi una sit persona, plures sunt actiones, ut in Christo Domino. Et e contra ubi una est natura, quamvis sint plures personae, unica tantum est actio, ut in operibus ad extra totius Trinitatis, qualis est hujus universi creatio: quae ab unico proficiscitur agendi principio, quia unica est in tribus personis natura. Qua de re quum in Patre et Filio unica sit divina natura, dum ambae illae personae spirant Spiritum Sanctum, hic non a duobus sed ab unico principio procedit. Hoc posito facilis est responsio.

Ad 2. Spiratio activa profluit utique ab essentia, sed quatenus est modificata, ut ita dicam, per paternitatem ac filiationem; non quatenus tribus communis est personis: eo prorsus modo quo Pater generat Verbum ex sua divina substantia, non quatenus communis est, sed prout modificata est a paternitate.

Ad 3. dico spirationem activam, nec essentialem et absolutam; item neque personalem proprietatem a nobis appellari, sed *notionalem*. Quinque enim sunt notiones quibus divinarum nobis innotescit personarum distinctio. Paternitas soli Patri conveniens; filiatio quae propria est solius Filii; spiratio passiva pertinens ad solum Spiritum Sanctum; innascibilitas quae non ad solum Patrem, sed etiam ad Spiritum S. pertinet; ac demum spiratio activa communis Patri ac Filio. Hinc quemadmodum non inficiantur Graeci non solum Patrem sed etiam Spiritum S. qui per generationem non nascitur, habere innascibilitatem; ita neque negare poterunt spirationem activam propriam esse Patris ac Filii.

Ad 4. Nonne creandi virtus quae est in Patre sufficiens erat ad universum producendum? Utique; alioquin ea virtus non esset infinita: et nihilominus Filius et Spiritus S. una cum Patre mundum condiderunt. Quare? Quoniam creandi virtus inseparabilis est ab individua Trinitate. Idem dicendum de virtute spirandi Spiritum Sanctum. Quoniam quaecumque habet Pater, habet et Filius, excepta paternitate: si Pater virtutem habet spirandi Spiritum S. ut Graeci de Fide tenent, hanc eamdem habere debet etiam Filius. Sed de his hactenus. Ad reliqua.

CAPUT XVII.

An particula, Filioque, *jure addita sit symbolo Constantinopolitano*.

Photius pseudopatriarcha C-P. in encyclica quam contra Nicolaum R. P. ad primarias orientis sedes scripsit, inter cetera crimina quae illi exprobravit, et istud posuit, quod C-P. symbolo Spiritum S. a Filio procedere addiderit: eaque de caussa in anathema incidisse ab Ephesinae synodi Patribus in eos intortum, *qui ausi fuissent alteram Fidem proferre, aut conscribere, aut componere praeter definitam a sanctis Patribus qui in Nicaea cum Spiritu S. congregati fuerunt*. Easdem post Photium ingeminant adhuc querelas adversus Latinos Graeci schismatici illos deturpati symboli insimulantes. Expostulationem ergo istam hoc in capite repellendam aggredimur: nam de tempore quo particula illa symbolo primitus addita est, nonnulla dicemus ad calcem.

CONCLUSIO.

Jure addita est symbolo particula, Filioque.

Prob. 1. Quum una semper fuerit futuraque sit Ecclesia a Christo institutore usque ad consumationem saeculi, idem fuit jus eademque potestas in Ecclesia quando symbolo addita fuit particula, *Filioque*, ac quando duo celebrata fuere concilia Nicaenum I. et C-P. itidem I. Ast horum conciliorum aetate Ecclesia jure addere potuit symbolo aliquas particulas. Nam nemo umquam, nisi Arianus vel Macedonianus ausus est reprehendere Ec-

clesiam quod in Nicaeno concilio congregata adversus Arianos symbolo addiderit vocem ὁμοούσιον, et in C-P. contra Macedonianos integrum de Spiritus S. divinitate articulum, *Et in Spiritum S. Dominum, et vivificantem. Qui ex Patre procedit. Qui cum Patre et Filio simul adoratur, et conglorificatur*. Cur ergo eadem Ecclesia jure addere non potuit symbolo vocem, *Filioque?* Sicut enim C-P. symbolo deerat olim particula, *Filioque;* ita symbolo Nicaeno ante concilii C-P. celebrationem integer deerat de Spiritus S. divinitate articulus, et ante Nicaenum symbolo Apostolorum vox ὁμοούσιον: et tamen Ecclesia potuit tunc additiones illas facere symbolo. Quare eidem symbolo addere non potuit deinceps voculam, *Filioque?* An Ecclesia mutata est? Vel ejusmodi additio nova aliqua est revelatio? II. Patet propositio non absimili argumento. Ideo Ecclesia in laudatis conciliis coacta jure addere potuit symbolo vocem ὁμοούσιον, et articulum de Spiritus S. divinitate, quibus ex toto ariana et macedoniana haeresis convellebatur, quoniam ad illius spectat auctoritatem ac vigilantiam, ut si novi oriantur errores, novas condat Fidei definitiones, et conditas olim exponat et explicet: et si opus fuerit, symbolo etiam particulas quibus emergentes facilius praefocentur errores inserat: Atqui Ecclesia ubi symbolo addidit eam vocem. *Filioque*, ita se gessit; etiam tunc enim in ea grassabatur error circa Spiritus Sancti processionem, ad illiusque pertinebat auctoritatem et vigilantiam Fidem ab hac lue sartam tectam servare: non est ergo cur Graeci schismatici de illa conquerantur additione. 3. Ecclesia jure condere potest Fidei symbolum. Nam Apostoli non solum prout Apostoli erant et testes Christi doctrinae, sed etiam prout erant Ecclesiae pastores, primi symbolum quod apostolicum dicitur condiderunt. Multo magis igitur potest Ecclesia symbolum jam exaratum per aliquam additionem exponere et explicare.

Graeci autem schismatici singula a nobis allata argumenta eludere se posse putant sic respondendo. Potest utique Ecclesia et symbolum Fidei condere, et conditum subinde exponere et ampliare per particulae aut articuli alicujus additionem: at nequit quidquam contra conciliorum definitiones moliri. Porro in concilio oecumenico III. quod est Ephesinum, quodvis additamentum expresse prohibitum est par. I. sess. 6. ubi haec occurrunt: *Statuit S. synodus alteram Fidem nemini licere proferre, aut conscribere, aut componere praeter definitam a SS. Patribus, qui in Nicaea cum Spiritu S. congregati fuerunt. Qui vero ausi fuerint, aut componere etc.* Quae definitio quum tempore quo Nicaenum et C-P. concilia celebrata fuere non exstaret, potuit tunc Ecclesia particulas aliquas addere symbolo: quod post latam definitionem eadem Ecclesia facere non potuit. II. Neque dicant Latini ephesinorum Patrum mentem fuisse non quamlibet vetare additionem, sed illam tantum quae aut esset Fidei contraria, aut sine ulla necessitate fieret. Nam vox *Deipara*, vox est Fidei plane consentanea, et Ephesinum concilium universalem repraesentabat Ecclesiam: et nihilominus quamvis aptissima ea vox esset ad haeresim comprimendam nestorianam, noluit concilium symbolo inserere. III. Cujus renitentiae caussam conjicere possumus ex iis quae Cyrillus alexandrinus qui ei concilio prae-

fuit, ad Acacium melitinensem et Johannem antiochenum in haec verba scripsit: *Nullo autem modo patimur, ut ab aliquo Fides illa, sive Fidei symbolum concutiatur, quod a Sanctis Patribus Nicaenis quondam conditum est. Neque enim aut nobis aut ulli omnino alteri vel unam voculam ibi positam immutare, aut unam etiam syllabam praeterire permittimus*. Audin Cyrillum juxta concilii mentem vetare vel voculae vel syllabae additionem? IV. Atque definitio haec ephesina tam alte Veterum menti insedit, ut in synodo Chaalcedonensi SS. PP. rogati a judicibus ut novam Fidei formulam nicaenae et C-P. conformem promulgarent, Actione II. responderunt: *In scriptis expositionem non facimus. Regula est quae praedicat sufficere quae sunt exposita. Regula vult alteram expositionem non fieri. Ea quae sunt Patrum, teneantur*. Regulae autem nomine nil aliud certe intelligi potest quam canon hac de re a Patribus conditus ephesinis: atque idcirco chalcedonenses Patres existimarunt ephesinum decretum quamcumque vetare additionem etiam Fidei consentaneam. V. Hinc quamvis multi in concilio clara voce exclamarent: *Addatur ad symbolum S. Mariam esse Deiparam*, Patres annuere nullo modo voluerunt.

Resp. ad 1. Graeci aut non intelligunt, aut se non intelligere simulant Ephesini concilii definitionem. Voluerunt quippe sancti illi Patres quodvis vetare additamentum quod vel esset Fidei contrarium, vel fieret privata alicujus auctoritate, vel conderetur absque ulla necessitate. Quod ut suadeatur sciendum est sequens factum occasionem illius edendi decreti concilio dedisse. Cum Charisius Philadelphiae presbyter symbolum quoddam a Photio et Anastasio nestorianis acceptum ephesinis Patribus exhibuisset: quod symbolum non nestorianam haeresim modo circa Verbi Incarnationem continebat, sed negabat etiam Spiritum S. aut ex Filio, aut per Filium procedere his verbis, *Sed nec Filium illum putamus, neque per Filium suam subsistentiam habentem*, sancti illi Patres his ex publica Charisii recitatione auditis, illico exclamarunt recitatum a Charisio symbolum impium esse et haereticum, ac subinde laudatum in argumento decretum ediderunt. Jam vero ex nuda hac historia patet Ephesini concilii mentem eo in decreto fuisse non quamlibet, sed contrariam Fidei fieri expositionem. Et 1. quidem, Charisius idem audita symboli nestoriani a se exhibiti damnatione, propriam recitavit Fidei professionem: ob quam concilium benigne Charisium excepit illumque catholicum declaravit, ut in eadem legitur actione. Porro symbolum a Charisio prolatum nec Nicaenum erat, quoad verba; neque C-P. 2. Si Ephesini concilii mens fuisset ne ulla fieret symbolo additio etiam consentanea, quum in laudata definitione solius Nicaeni symboli mentio fiat, sequeretur repudiandum esse symbolum C-P. cui integer de Spiritus S. divinitate insertus est articulus: quod Graeci affirmare non audent. 3. Quum S. Flavianus cui Eusebius Dorilaei episcopus accessit, in pseudoephesina synodo ad Euthychianorum compescendam pervicaciam symbolo addidisset hunc articulum, *Consubstantialem Patri secundum divinitatem: et consubstantialem nobis secundum humanitatem*:

ac propterea Dioscorus qui Eutycheti favebat, Flavianum Eusebiumque damnasset quod aliam Fidem a Nicaena diversam protulerint, Patres concilii Chalcedonensis, ut Act. I. legitur, contra Dioscorum exclamarunt. *Anathema Dioscoro, quia male judicavit*. Nonnisi ergo per calumniam aut inscitiam possunt regerere Graeci particulae, *Filioque*, additionem decreto adversari concilii Ephesini. II. Sed etsi concederemus Ephesini concilii mentem fuisse quamlibet etiam Fidei consentaneam vetare additionem, non sequeretur proinde particulae, *Filioque*, additamentum illius decreto adversari. Nam prohibitum revera fuit ne fieret additio contraria et etiam Fidei conformis a privatis hominibus, non vero ab Ecclesia. Quod patet 1. ex Charisii facto superius allato. 2. Ex verbis ipsis decreti: *Qui vero ausi fuerint, aut componere Fidem alteram etc. hos quidem, si sunt episcopi, aut clerici etc.* 3. Ex poena in delinquentes decreta: neque enim credendum est Ephesinae synodi Patres poenis animadvertere in universam Ecclesiam voluisse.

Ad 2. Caussa propter quam noluit Ephesinum concilium inserere symbolo vocem, *Deipara*, non est quam sibi Graeci fingunt: sed renuit id facere quod non necessarium esse existimabat. In Nicaeno namque symbolo confessi sunt Patres Christum *Deum de Deo*, *lumen de lumine*, *Deum verum de Deo vero*, *genitum*, *non factum*, *consubstantialem Patri ... natum ex Maria Virgine*. Quid ad demonstrandum contra Nestorianos B. Virginem esse Deiparam luculentius dici poterat? Quare necessaria non erat vocis, *Deipara*, additio symbolo Nicaeno.

Ad 3. Non alio sensu Cyrilli alexandrini sententia est intelligenda, quam eo a nobis paullo ante explicato. Idque patet ex verbis ipsis Cyrilli qui ait: *Nullo modo patimur, ut ab aliquo Fidei symbolum concutiatur*. Concutitur autem per additionem, detractionem, aut mutationem catholico alicui dogmati contrariam. Accedit, quod haec scribit Cyrillus ad Nestorianorum comprimendam temeritatem qui nullum faciebant finem edendi novas Fidei formulas. Ac denique in eadem ad Johannem antiochenum epistola ejusdem Johannis aliorumque Orientalium commendat Fidei professionem eo titulo, quod in nullo a symbolo Nicaeno differret, quomodo Patres illi se facturos spoponderant: *De Virgine etc. breviter dicemus, nihil omnino addentes Fidei in Nicaea a sanctis Patribus expositae*. Et tamen illa Orientalium Fidei confessio a symbolo Nicaeno in verbis longe differt eoque longe amplior est.

Ad 4. hoc ipsum habeto responsum. Nulla quippe necessitas erat, ut nova contra Eutychianos in Chalcedonensi synodo conderetur Fidei professio; quum illorum error per symbolum Nicaenum in quo Christus dicitur verus Deus et verus homo, satis refelleretur. Regula autem concilii Ephesini citata in eo solum tendit ut quamlibet novam Fidei expositionem sive fidei Nicaenae contrariam, sive privata auctoritate, sive nulla cogente necessitate conditam, ut supra monuimus, omnimode vetet: idque praesertim facere renuerunt Patres, ut Nestorianis adhuc vigentibus innumerasque turbas novis quotidie Fidei formulis excitantibus, aditum omnem prae-

cluderent. Ceterum chalcedonenses Patres ephesinum decretum interpretatos in adversariorum sensu non fuisse patet ex quo post illud recitatum decretum, prolixam admodum contra peculiares Eutychetis blasphemias edidere definitionem: et ex eo etiam quod S. Leonis elegantissimam contra Eutychetem epistolam, quae sane non erat Nicaenum symbolum, plenis calculis approbarunt; licet nonnulli ob canonem ephesinum repugnarent.

Ad 5. Duplici ex caussa Chalcedonense concilium renuit apponere symbolo vocem, *Deipara*: et quia nulla, ut diximus, urgebat necessitas, et ob prudentem quamdam oeconomiam. Quamvis enim concilium illud convocatum esset contra Eutychetem, adhuc tamen haeresis nestoriana vigebat. Unde apponere noluerunt symbolo vocem, *Deipara*; propter Eutychianos; nec vocem, *Christipara*, propter Nestorianos, licet utraque vox catholica sit.

Opponunt ultimo. I. Agatho R. P. in epist. in VI. generali synodo lecta et approbata apertissime prohibet ne vel minimum quid symbolo Fidei addatur. II. Concilium oecumenicum VII. symbolis Nicaeno, et C-P. recitatis Act. 7. inquit: *Haec est fides Apostolorum... Nos leges Patrum custodimus. Nos eos qui addunt quid vel adimunt, de Ecclesia anathematizamus*. III. Leo. II. R. P. a Carolo M. per legatos ex Aquisgranensi synodo missos consultus, an recte in Galliis caneretur symbolum cum particula, *Filioque*, respondit se processionem Spiritus S. a Patre et Filio utique credere cum Gallis; verum sibi displicere quod symbolum cum addita particula, *Filioque*, caneretur: proindeque Regem hortabatur, *ut paulatim in palatio cantandi consuetudo ejusdem symboli intermitteretur*: et rationem afferens ait, *quia in nostra sancta Ecclesia non cantatur*: ac subinde C-P. symbolum absque voce, *Filioque*, in tabulis argenteis insculpi praecepit, ut se antiquitatis ostenderet custodem. Rem ita accidisse narrant post Smargdum abatem Anastasius bibliothecarius, Magister sententiarum, Baronius, Binius, alii. Unde jure concludi potest immerito ab Ecclesia additam fuisse symbolo particulam, *Filioque*.

Resp. ad 1. et 2. concilia VI. et VII. additionem symbolo vetare, vel Fidei contrariam, vel factam privata auctoritate, vel nulla cogente necessitate; praesertim cum in ep. Agathonis Fidei symbolum occurrat adversus Monothelitas a symbolo Nicaeno quoad verba longe diversum: et in VII. synodo prolixa Fidei professio legatur contra Iconoclastarum errores.

Ad 3. Nihil ex facto Leonis III. colligi potest. Primo, quoniam non absolute prohibuit ne deinceps amplius symbolum caneretur cum voce, *Filioque*: sed hortatus est ut consuetudo illa paulatim intermitteretur. Ast si additio illa contra ecclesiasticos canones facta fuisset, ut Graeci contendunt, symbolum cum particula, *Filioque*, cantari absolute vetasset. Jure tamen restitit Leo legatis aquisgranensibus: tum quia particulae additio privata facta erat auctoritate: tum etiam quia nulla urgebat necessitas ut cum eo additamento symbolum publice caneretur. Ast vero quum subsequentibus temporibus, et additio fuerit necessaria, et universalis Ecclesiae acceperit consensus, immerito schismatici de addita symbolo particula, *Filioque*, conqueruntur.

SCHOLION.

Nihil circa tempus quo symbolum C-P. vocula, *Filioque*, auctum fuit, temere definiendum est: sed indigitandae dumtaxat variae eruditorum sententiae. Nonnulli existimarunt a C-P. symbolo particulam illam numquam abfuisse. Quae opinio ridicula merito ducitur; quum in antiquis monumentis ubi symbolum legitur, vox *Filioque*, nullibi occurrat. Manuel Calecas, Josephus methonensis, ac Genebrardus additionis hujus auctorem faciunt Damasum R. Pontificem: sed hujus rei a Damaso factae nec vestigium uspiam invenitur: atque si res ita se haberet, Leo III. Caroli M. legatis tantopere non restitisset. Andreas colossensis cui Bellarminus aliique subscribunt, arbitratur in quadam magna occidentali synodo eam fuisse sancitam additionem circa tempora generalis VI. concilii: sed absque fundamento id asserunt; quum nullibi synodi illius nomen inveniatur. Julianus Cardinalis mutationem adscribit VII. concilio oecumenico: ast verisimile ne est statim Graecos contra VII. synodum voluisse pugnare? Photius aliique Graeci complures putabant additionis illius Nicolaum auctorem fuisse: verum quae affert Photius momenta demonstrant dumtaxat illius Pontificis aevo particulam fuisse jam receptam in symbolo. Melius arbitrantur recentiores paulatim additamentum obtinuisse, paucis initio auctoribus; subinde multis; postremo omnibus consentientibus. Et sane anno 400. vel 447, Toletana synodus I. meminit hujus particulae. Meminit et Toletana III. anno 599. celebrata: et Toletana IV. anno 630. Ab Hispanis manavit ad Gallos atque Germanos. Quo tempore recepta fuerit Romae incertum est. Illud scimus dumtaxat, saeculo IX. etiam Romanos symbolum habuisse cum particula, *Filioque*, ut constat ex Photio: et anno 1254. sub Gregorio X. in concilio Lugdunensi, utrinsque Ecclesiae graecae atque latinae consensu, eamdem particulam in symbolo fuisse approbatam.

Explicit Liber XVII.

INSTITUTIONUM THEOLOGICARUM

LIBER XVIII.

IN QUO PRÆCIPUÆ ATTINGUNTUR SCHOLASTICÆ QUÆSTIONES AD RECTE DOGMATICAS ASSEQUENDAS DE TRINITATE CONTROVERSIAS NECESSARIÆ.

Exposita superioribus libris recta atque catholica de Trinitate Fide, eaque a malis haereticorum artibus vindicata, par est ut quaestiones nonnullas modo resolvamus quae solent in scholis agitari. Neque enim hujus generis disceptationes omnino, ut quidam faciunt, spernendae sunt a tyronibus; quum non modo ad exercitandum ingenium, sed etiam ad dogmaticas controversias rectius intelligendas a majoribus nostris sint institutae. Insulsae illae scholasticae quaestiunculae potius abjiciendae sunt quae hominem litigiosum ac rixarum amantem faciunt: et ex quibus post longas per syllogismorum ac enthymematum anfractus disputationes, si torculari ut inde quidquam extrahatur supponamus, nec gutta utilitatis inde profluere conspicimus. Modus itaque in omnibus optimus est, ut Poeta graecus ait, nec illorum amplectenda opinio est qui scholasticam quamlibet aspernantur disquisitionem; nec illorum consuetudo amplectenda qui in scholasticis insulsissimis tricis proprium ingenium contorquentes tempus terere delectantur.

CAPUT I.

De existentia et numero processionum in Divinis.

De placitis ergo Scholasticorum pertractaturi, a divinis processionibus quae arctissimam habent cum definitis in superioribus controversiis connexionem ducemus exordium. His namque rite assequutis, Sabellianorum, Arianorum, Macedonianorumque contra catholicam Fidem machinamenta sua sponte labascunt. Ad rem igitur. Processio quae nihil aliud est quam origo unius ab alio, duplex est, *transiens*, et *immanens*. Processio transiens ea est per quam terminus extra caussam a qua procedit ponitur. V. G. Filius in humanis procedit a Patre per processionem transeuntem, quoniam Pater producit illum extra seipsum. Processio autem immanens est ea per quam principium operans non agit in subjectum positum extra se; puta, verbum humanae mentis ab ipsa mente per processionem procedit immanentem, quoniam mens cogitando verbum producit intra se. Haec autem processio in *imperfectam* dividitur, et *perfectam*. Prior est origo unius ab alio tamquam a caussa a qua dependet; perfecta vero est origo unius ab alio tamquam a principio, absque ulla tamen de-

pendentia. Imperfectae processionis immanentis exemplum desumi potest a verbo humanae mentis quod ab ipsa mente velut effectus a caussa dependet; perfectae autem a divinis personis, quoniam haec est illa per quam Verbum divinum a Patre, et Spiritus S. ab utroque ducit originem: et de qua nos disputaturi sumus.

Sabelliani et Ariani nullam penitus in divinis agnoscebant immanentem processionem. Illi, quoniam unicam in Deo admittebant personam, ut in superioribus diximus, quomodo unicam constituebant in divinis naturam. Isti autem, quoniam Filium ac Spiritum S. ad sortem deprimebant creaturarum. Valentiniani e contra qui *Pleroma* quoddam sibi fingebant divinitatis quod dividebant in triginta *Æonas* quorum pater profundum et mater erat silentium; ipsi tot admittebant in divinis processiones, quot deos sub Æonum nomine venerabantur. Sit itaque

CONCLUSIO I.

Admittendae sunt in divinis processiones, et quidem duae tantum, nec plures nec pauciores.

Prob. prior prop. pars I. ex Scripturis. Psal. enim 109. de Verbo divino legitur: *Ex utero ante luciferum genui te*. Eccli. cap. 24. divina Sapientia inquit: *Ego ex ore Altissimi prodivi*. Michaeas cap. 5. de Messia scribit: *Egressus ejus ab initio, a diebus aeternitatis*. Johan. cap. 8. Verbum divinum ita loquitur: *Ego enim ex Deo processi, et veni*. Et cap. 15. v. 26. Spiritum Sanctum appellat idem Filius *Spiritum veritatis, qui a Patre procedit*. II. ex sanctis PP. sive graecis sive latinis qui quovis saeculo docuerunt Verbum divinum alteram esse Trinitatis personam; tertiam vero esse Spiritum Sanctum; ac utramque Patri consubstantialem: Verbum esse verum Dei Filium, a Patre genitum, non factum; Patrem auctorem esse, ut Graeci loquuntur, sive principium, ut ajunt Latini, Filii sui; Spiritum autem S. ab utroque procedere, et quidem tamquam ab uno principio, ut suis locis demonstravimus. Porro qui haec docent proculdubio affirmant admittendam esse in divinis processionem, ut per se manifestum est. III. ratione theologica. Quum foecunditas sit summa perfectio, ea carere non potest Deus. Nam ut Athanasius orat. 2. cont. Arianos inquit, *Quod si non foecunda est, sed sterilis divina substantia .... quomodo eos non pudet, cum procreatricem efficaciam illi tribuant, ac detracto eo quod secundum naturam est, non erubescant id praeseferre, quod ex voluntate pendet*. Posita autem in Deo foecunditate sua sponte sequitur ut aliae personae a prima, tamquam a principio, ducant originem; et en processio. Deinde datur in divinis personis aliquis ordo, unde primam, alteram, ac tertiam dicimus SS. Trinitatis personam: at ordo hic nequit esse in divinis nisi ratione originis, quatenus videlicet secunda a prima, tertia vero ab utraque procedit; quum aliunde singulae personae inter se sint aequales: Ergo etc.

Prob. altera thesis pars. In divinis duae dumtaxat, nec plures nec pauciores sunt personae procedentes, Filius scilicet et Spiritus Sanctus; Pater enim quum fons sit totius deitatis a nullo procedit: Quare duae tantum, nec plures nec pauciores sunt in divinis processiones. II. Divinae litterae ac Sancti PP. ubique Patrem appellant principium sine principio; ubique statuunt Filium esse genitum a Patre, Spiritum S. ab utroque procedere, ut in controversiis superiori libro diremptis observavimus: duplicem ergo agnoscunt processionem.

Ad nonnulla quae in contrarium adduci possunt responsio.

Obj. 1. cont. priorem part. Quae a Latinis processio, a Graecis προβολη appellatur, hoc est, *emissio*, vel *projectio*, vel *prolatio*. Ast veteres complures Patres dari in divinis προβολην, *emissionem*, aperte negarunt, ut Origenes lib. 1. περὶ ἀρχῶν, Dydimus lib. 2. de Spir. S., Cyrillus hom. 12. de Pasch., et Athanasius qui in exposit. Fidei: *Verbum*, inquit, *non eloquutione pronunciatum, non cogitatione in animo conceptum, non perfecti profluvium ... non προβολην, seu emissionem, sed Filium per se absolutum confitemur*. II. De Fide est Filium et Spiritum S. esse Deum, ut Deus est Pater: quod falsum esset si in divinis daretur processio. Nam Dei essentia consistit in *Esse* a se: admissa autem processione, Filius ac Spiritus S. non essent a se, sed a Patre qui solus non est ab alio. III. Imo ex quo Filius ac Spiritus S. sint Deus, debent esse primum principium independens ab alio principio: admissa autem processione, solus Pater erit primum principium independens: adeoque Deus. IV. Admisso semel systemate Catholicorum, Filius et Spiritus S. erunt primum principium et non erunt. Erunt primum principium quia Deus; non erunt, quoniam solius Patris est, per Catholicos, esse primum principium.

Resp. ad 1. Veteres Patres quandoque negarunt dari in divinis προβολην, *emissionem*, in sensu haereticorum, non in sensu catholico. Sciendum quippe est Valentinianos voce προβολης primos abuti coepisse, delirantes admittendum in Divinitate esse Pleroma quoddam a quo triginta profluxerint *Æones*, quos προβολας, *emissiones*, appellabant. Cumque Æones illos per divinae substantiae divisionem abscissionemque propagatos fuisse censerent, consequens erat, προβολην, divinae importare substantiae divisionem. Hoc sensu itaque Patres nonnulli, ac ii praesertim qui laudati sunt in argumento, a Divinitate προβολην ablegarunt: *emissio* enim isthaec, ajebat loco citato Origenes, divinam naturam ipsamque Patris personam in partes secat atque discerpit. Eodem fere modo loquuntur Dydimus et Cyrillus. Et Athanasius in expos. Fidei affirmat Verbum non esse προβολην, *quoniam non est segmentum divinae naturae*. Ast non hoc sensu processio et προβολη a Catholicis accipitur, ut capitis initio monuimus. Atque hinc est quod vox illa saeculo IV. utpote ad revincendum Arium aptissima, in usu fuerit penes omnes Patres. Sed audiamus Tertullianum rem totam mirifice explicantem in lib. contra Prax. cap. 8. *Si quis putaverit me προβολην aliquam introdu-*

cere , idest prolationem rei alterius ex altera , quod fecit Valentinus ... primo quidem dicam tibi : Non ideo non etiam utatur et veritas vocabulo isto et re ac censu ejus , quia et haeresis utitur ? Imo haeresis potius a veritate accepit quod ad mendacium strueret . Prolatus est sermo Dei an non ? Hic mecum gradum fige : Si productus est , cognosce προβολὰς *veritatis , et viderit haeresis si quid de veritate imitata est . Jam nunc quaeritur quis quomodo utatur aliqua re et vocabulo ejus . Valentinus* προβολὰς *suas discernit et separat ab auctore ; et ita longe ab eo ponit , ut Æon patrem nesciat ... Apud nos autem solus Filius Patrem novit etc.* Ex quibus et genuinus προβολῆς sensus , et ad argumentum responsio patet .

Ad 2. Essentia Dei consistit in Esse a se , independenter videlicet a caussa extrinseca , non independenter a principio originis quod Filii ac Spiritus S. non repugnat divinitati . Nam Verbum divinum in Scripturis et Sanctis Patribus aperte dicitur *Filius Dei* , *Deus de Deo* , *Deus verus de Deo vero* : qui loquendi modi divinum Verbum ab alio Esse suum accepisse aperte demonstrant . Similiter et Spiritus S. accipere dicitur de Filio , et a Filio mitti , et a Patre procedere . Qua de re cum dicitur de essentia Dei esse ut non sit ab alio , intelligitur ut non sit ab alio tamquam ab extrinseca caussa .

Ad 3. Recte Filius et Spiritus S. dicuntur primum principium , sed creaturarum , non vero originis : et ita non repugnat ut duae illae personae vere Deus sint , et originem habeant a primo principio , nimirum a Patre.

Ad 4. Quum contradictio sit affirmatio vel negatio unius de eodem secundum eumdem respectum ; absque ulla contradictione Filius ac Spiritus Sanctus sunt et non sunt primum principium ; sunt respectu creaturarum, quibus una cum Patre dant Esse ; non sunt respectu Patris a quo tamquam a fonte Deitatis Esse recipiunt .

Obj. 2. Si datur in divinis processio, singulae Trinitatis personae sunt in potentia passiva : quae locum in divinis habere non potest . Nam in hypothesi Catholicorum Filius et Spiritus S. Esse recipiunt a Patre ; et Pater ipse si generat Filium , hunc in sinu suo recipit . Non est hoc esse in potentia passiva ? II. Posita in divinis processione in sensu superius exposito , Esse divinarum personarum erit Esse receptum . Id autem repugnat divinis personis ; arguit enim in illis aliquam imperfectionem , quasi indiguerint aliquando essentia quam receperunt . III. Praeterea processio quum sit origo unius ab alio , importat omnino prius et posterius : Ast in divinis personis quae simul coexistunt , prius et posterius repugnat ; Ergo etc.

Resp. ad 1. Etsi Filius ac Spiritus S. recipiant Esse a Patre , et Pater ipse Filium in sinu suo recipiat ; non inde tamen consequitur dari in divinis potentiam passivam . Haec enim in subjecto carentiam supponit rei quam recipit : Filius autem ac Spiritus S. numquam caruerunt , neque carere potuerunt divina essentia ; nec Patris sinus caruit umquam , aut carere potuit Filio quem ante luciferum genuit .

Ad 2. In creaturis quidem recipere aliquid arguit imperfectionem , quoniam in illis indigentia supponitur rei quam recipiunt : non ita tamen

in divinis personis quae sine Esse nusquam fuerunt, quum receperint illud ab aeterno. Ita S. Thomas q. 10. de Potentia, artic. 1. ad 13.

Ad 3. Processio in divinis importat utique prius et posterius, sed originis non temporis; quum origo sit aeterna: unde Gregorius nazianzenus orat. 35. *Quod aeternum est*, inquit, *non protinus omni caret principio, quamdiu ad Patrem, velut ad principium refertur*.

Obj. 3. cont. alt. part. Quod est infinitum est unum: at, si processio admittatur in Deo, est infinita; ergo una est ad summum, non duplex in divinis processio. II. Filius dum per primam processionem quae est infinita accipit Esse a Patre, totam ab illo recipit naturam: ergo nequit haec per alteram processionem communicari tertiae personae. III. Si vel unica admittatur in divinitate processio, plures erunt quam duae. Nam ideo datur in divinis processio, quoniam de Dei perfectione est foecunditas: sed Filius ac Spiritus S. et ipsi Deus sunt: ergo et ipsi foecundi erunt: adeoque alia persona a Filio, alia a Spiritu S. procedet, et ita in infinitum.

Resp. ad 1. Quod est infinitum in omni genere, illud proculdubio nequit esse nisi unum: ast si quidquam infinitum sit in aliquo genere, erit quidem unum in suo, sed non in diverso genere. Rem explico: Processio considerata in Deo infinita est et una, quoniam Deus infinitus est et unus: sed si processio consideretur connotative ad personas, infinita plane est ac duplex; infinita, quoniam divinae personae sunt infinitae; duplex vero, quoniam uno modo Filius a Patre, altero autem Spiritus S. ab utroque procedit. Et quemadmodum non repugnat ut personalitas infinita sit in suo genere, et nihilominus triplex sit: ita non repugnat ut sit in suo genere infinita etiam processio, et tamen sit duplex.

Ad 2. Filius totam ac integram recipit naturam a Patre: sed non omni modo quo communicari potest: unde remanet ut eadem natura alio modo communicetur etiam Spiritui Sancto. Pater videlicet integram suam communicat naturam Filio per generationem: et Pater et Filius eamdem communicant Spiritui Sancto per spirationem: adeoque duplex habetur processio.

Ad 3. Quum foecunditas divinam perficiat suo modo naturam, est quidem perfectio: sed relativa, non absoluta; quae singulis convenire debeat divinis personis. Quo posito argumentum evanescit; quum relativae perfectiones non exigant ut in singulis inveniantur personis: alioquin et Verbum deberet esse Pater, et Spiritus S. Verbum etc. Nec inde colligi potest Spiritum S. non esse vere Deum, quod ex defectu foecunditatis nulla ab eo persona procedat: quoniam sicuti Spiritus S. vere est Deus, quamvis ei deficiat paternitas quae est perfectio relativa; ita illius nihil derogat divinitati, quod nulla ab eo procedat persona: quum processio non absoluta sed relativa sit proprietas, et quidem *notionalis* quae duabus dumtaxat convenit personis. Ad rem S. P. Augustinus lib. 2. cont. Maximin. cap. 12. *Absit autem ut, quomodo putas, ideo sit Pater potentior Filio, quia creatorem genuit Pater, Filius autem non genuit creatorem*.

Neque enim non potuit, sed non oportuit. Immoderata enim esset divina generatio, si genitus Filius nepotem gigneret Patri: quia et ipse nepos nisi avo suo pronepotem gigneret, secundum vestram mirabilem sapientiam impoteus diceretur.

CAPUT II.

Quidnam sit, et quale principium divinarum processionum.

Principium divinarum processionum, juxta omnium Theologorum mentem, illud est ex quo divinae oriuntur processiones; seu est id in quo activa potentia sive virtus generandi Filium ac Spiritum S. spirandi praecise consistit. Et dari quidem in divinis principium quoddam in quo ejusmodi generandi spirandique sita sit potentia, nemo in dubium revocare audet. Ast in quo determinate illud sit reponendum, quaestio est difficillimae solutionis quae Scholasticorum ingenia semper exercuit. Nec mirum, quoniam ut Prudentius ait;

Cum sit difficilis via noscere principiorum
Semina: cui dabitur mortali exquirere quodnam
Ultra principium Deus gerit? aut quo pacto
Ediderit Verbum . . . . . .

Aureolus antiquissimus inter Scholasticos dist. 7. q. 1. art. 2. putat principium divinarum processionum esse non repugnantiam terminorum; hoc est, inde tamquam a principio divinas profluere processiones, quod aeterno Patri non repugnet habere Filium; nec Patri et Filio spirare Spiritum Sanctum. Verum opinio haec a singulis rejicitur Theologis. Et merito quidem. Nam primo, non repugnantia terminorum est principium mere negativum; Principium autem divinarum processionum esse debet positivum, verum, proprium; quoniam in vera ac propria consistit virtute quae generat Filium, et Spiritum S. producit. Deinde, nonne Pater revera generat Filium; Pater autem ac Filius revera spirant Spiritum Sanctum? Principium itaque generationis ac spirationis esse debet positivum, quum generatio ac spiratio sint verae, reales, ac positivae actiones. Unde optime S. P. Augustinus lib. 5. de Trinit. cap. 14. *Pater ad Filium principium est, quia gignit eum.* Demum hoc est inter positiva ac negativa principia discrimen, quod ex positivis aliquid oriatur vere ac realiter; ex negativis vero per logicam tantum argumentationem, et *illative*. Porro Filius est a Patre, Spiritus S. ab utroque non illative aut per logicam argumentationem, sed vere et realiter: atque idcirco processionum principium nequit esse non repugnantia terminorum, quae principium est mere negativum. Non admittimus ergo hanc Aureoli opinionem: sed nec illam erroris in Fide cum Ludovico Bancel accusare audemus.

Quod in suae sententiae patrocinium affert Aureolus non magni ponderis est: Ait enim divinarum processionum principium esse non posse nisi aliquod negativum. Nam si principium, inquit, generationis Filii esset ali-

quod positivum, in Patre esset potentia generandi Filium: quod repugnat. Non enim est in Patre potentia, ut se faciat Patrem. Rursus, si potentia generandi Filium esset aliquod in Patre positivum, illud esset attributum absolutum: atque adeo esset etiam in Filio: quod pariter repugnat.

Haec autem, ut ajebam, pro nihilo sunt. Nam licet in Patre potentia non sit quae est ad actum: est tamen potentia quae est ad terminum. Non est, inquam, in Deo potentia ad actum; quoniam Deus utpote actus purissimus, nequit in eo locum habere potentia quae est carentia actus aut formae, quaeque proinde imperfectionem importat; habet tamen etiam in actu purissimo locum potentia illa quae est ad terminum; quoniam nullam haec dicit imperfectionem aut perfectionis carentiam, sed solam relationis originem: Et sicuti non repugnat Deo potentia creandi mundum, quoniam nullo superveniente ex parte Dei actu mundo existentiam tribuit in tempore; ita non repugnat Patri potentia gignendi Filium, quoniam nullo ex parte Patris actu superveniente dedit Esse Filio ab aeterno. Hinc sequitur potentiam gignendi Filium in Patre esse aliquid positivum: adeoque perfectionem, non quidem *simpliciter simplicem* et absolutam, sed relativam; sicuti paternitas quae et aliquod positivum est, et proprietas seu perfectio relativa. Hactenus de singulari sententia Aureoli.

Videamus modo, quid hac in re reliqui Theologi philosophentur. In multis singuli ad invicem conveniunt. Et primo quidem ajunt, rudi tamen expressione, aliud esse principium *quod* divinarum processionum; et aliud principium *quo*. Illud definiunt suppositum seu personam quae operatur; unde invaluit proloquium: *Actiones sunt suppositorum*: atque hoc sensu principium *quod* generationis Filii est persona Patris; principium vero *quod* processionis Spiritus S. sunt personae Patris et Filii. Principium autem *quo*, docent esse formam seu virtutem qua principium *quod*, seu persona operatur. Unde divinarum processionum principium *quo* forma illa est seu virtus per quam Pater generat Filium, Pater et Filius spirant Spiritum Sanctum. Dividunt praeterea hoc principium in principium *quo* remotum, et principium *quo* proximum. Primum volunt esse virtutem quae remote ac mediate in personam influit ut operetur; alterum autem virtutem quae proxime ac immediate in eamdem influit personam operantem. Quare principium *quo* remotum divinarum processionum est forma illa seu virtus quae remote et mediate; principium autem *quo* proximum est virtus seu forma quae proxime et immediate influit in Patrem ut generet Filium, influit in Patrem ac Filium ut spirent Spiritum Sanctum. Ita veteres fere omnes Theologi. Conveniunt etiam in hoc, quod principium *quod* generationis Filii sit persona Patris; sicuti spirationis Spiritus S. ejusdem Patris ac Filii personae. Denique nec in assignando principio *quo* remoto earumdem processionum inter se dissentiunt, unanimiter affirmantes principium illud divinam esse naturam. Sed controversia non minima inter scholasticos est de principio *quo* proximo, tum generationis Filii, tum processionis Spiritus S.

Durandus in I. sent. dist. 6. q. 2. statuit principium *quo* tam remo-

tum quam proximum divinarum processionum in divina natura, non absolute neque cum intellectione et voluntate considerata, ut alii contendunt, sed quatenus est foecunda. Unde foecunditas divinae naturae, juxta Durandum, influit in Patrem ut generet Filium; et in Patrem ac Filium ut spirent Spiritum Sanctum. Quae opinio mihi falsa videtur. Nam si sola divina natura principium est adaequatum processionum, Filius non solum a Patre, sed et a seipso et a Spiritu S. procederet: et rursus Spiritus S. quoque et Pater procederent a seipsis: quod omnino repugnat. Quinimmo sequeretur naturam divinam esse generantem: ex ea namque tamquam ex principio Filius procederet per generationem. Hoc autem a concilio Lateranensi IV. cont. Joachimum abbatem proscriptum est hisce verbis: *Damnamus ergo et reprobamus libellum sive tractatum, quem abbas Joachim edidit contra magistrum Petrum Lombardum de unitate seu essentia Trinitatis, appellans ipsum haereticum et insanum, pro eo quod in suis dixit sententiis: Quoniam summa quaedam res est Pater, Filius, et Spiritus Sanctus, et illa non est generans, neque genita, neque procedens: sed est Pater qui generat, Filius qui gignitur, Spiritus S. qui procedit.*

Parum nihilve juvat Durandi caussam, quod divina essentia seorsim, ut ipse inquit, a quavis proprietate per se foecunda sit. Ratio enim isthaec supponit essentiam divinam distingui sensu *complexo*, ab intellectu, voluntate, paternitate, aliisque perfectionibus: quod falsissimum esse definit Lateranensis IV. synodus dicens: *In Deo Trinitas est solummodo, non quaternitas: quia quaelibet trium personarum est illa res, videlicet substantia, essentia, sive natura divina, quae sola est universorum principium, praeter quod aliud inveniri non potest*. Ast vero si essentia seorsim et absolute considerata distincta sensu *complexo* esset a quibusvis proprietatibus, jam in divinis daretur quaternitas, Pater nimirum Filius et Spiritus Sanctus, ac praeterea essentia divina. Deinde falsum est essentiam absolute consideratam esse foecundam, quoniam *illa res* (nempe essentia) *non est generans, neque genita, neque procedens;* ait in praefata definitione Lateranense concilium.

Multominus regerere juvat esse foecundam seipsa naturam humanam: adeoque a fortiori divinam quae est humana perfectior: Nam argumentum implicantiam dicit in terminis. Etenim non diffitemur nos divinam naturam esse foecundam: sed distinctionem dumtaxat quam Durandus videtur inducere inter divinam naturam et intellectum et voluntatem et paternitatem etc. dumtaxat inficiamur; quum divina natura *una quaedam res sit, incomprehensibilis quidem et ineffabilis, quae veraciter est Pater, Filius, et Spiritus Sanctus, tres simul personae, ac singillatim quaelibet earumdem*, ut inquit saepe laudatum Lateranense concilium. Durandus ex humanae naturae notione deceptus videtur: differt enim haec a divina quam maxime. Ideo enim humana natura potentiam habet generandi; quia simplex non est, et ab hypostasi potentia illa perficitur atque completur: ast in Deo natura, relatio, volitio, intellectio etc. ob summam Dei simplicitatem minime distinguuntur.

Dionysius carthusianus ac S. Bonaventura arbitrantur principium *quo* proximum divinarum processionum esse relationes, paternitatem scilicet respectu generationis Filii, paternitatem et filiationem respectu spirationis Spiritus Sancti: sed neque haec admitti potest opinio, si de relationibus loquamur seorsim acceptis. Nam Filius a Patre, et Spiritus S. ab utroque procedit ut Deus, hoc est, per processionem naturam recipiunt divinam. Principium itaque processionum complecti etiam naturam debet: proindeque illarum processionum nequeunt esse principium solae relationes. Ad rem Anselmus Monol. cap. 54. *Non ex eo procedit* (Spiritus S.) *in quo plures sunt Pater et Filius: sed ex eo in quo unum sunt. Nam non ex relationibus suis quae plures sunt; alia enim est relatio Patris, alia Filii: sed ex ipsa sua essentia quae pluralitatem non admittit, emittunt Pater et Filius tantum pariter bonum*. Et Damascenus de processione Filii lib. 1. de Fide cap. 8. *Generatio*, inquit, *sempiterna est, ut quae naturae opus est*.

Parvi autem momenti est quod pro sua afferunt sententia praeclari laudati Theologi. Nam inquiunt: Quum paternitas constituat Patrem in esse personae, constituit etiam Patrem in esse genitoris: atque idcirco paternitas principium est generationis Filii. Eadem ratione demonstrari quoque potest paternitatem ac filiationem esse principium Spiritus S. Haec, inquam, minima sunt. Nam paternitas in sensu *incomplexo* concepta cum divina natura aliisque proprietatibus, non seorsim aut sensu *complexo* constituit primam personam in esse Patris, aut Patrem in esse personae: ac proinde paternitas constituit primam personam in esse generantis, si ei conjungatur quidquid est Pater in sensu *incomplexo*.

Audiamus modo Scotistas. Autumant hi in divina natura duos dari actus inter se formaliter distinctos, *dictionem* videlicet, et *spirationem*; sic enim actus illos appellant. Et *dictio*, inquiunt, est principium *quo* proximum generationis Filii; *spiratio* autem processionis Spiritus S. Verum opinio Scoti divinae opponitur simplicitati, quod iis omnibus demonstrari potest argumentis quibus lib. 10. cap. 4. probavimus non esse in divinis admittendam distinctionem formalem in sensu praeclari hujus Theologi. Deinde *dictio* et *spiratio*, vel sunt aliquid Patri ac Filio extrinsecum, vel aliquid sunt intrinsecum. Si primum dicas, physicam in Deo admittis compositionem, quasi aliquid illi adveniat extrinsecus. Si alterum fatearis, personas Patris ac Filii componi affirmas ex paternitate ac filiatione quae sunt relationes, tum ex superadditis formis, *dictione* videlicet et *spiratione* quae principia sunt, per Scotum, divinarum processionum. Denique si *dictio* et *spiratio* actus sunt formaliter distincti in Deo, aliud erit in Deo *esse*, et aliud erit *dicere*: quum e contra de Fide sit Deum esse quidquid est, ut Augustinus noster scribit lib. 6. de Trinitate cap. 7.

Inquit autem Scotus: Filius appellatur in Scripturis, PP. et Ecclesiasticis scriptoribus Verbum; et tertia Trinitatis persona dicitur Spiritus: Ast Verbum a dictione; Spiritus vero a spiratione procedit; Igitur principium divinarum processionum sunt *dictio* et *spiratio*. Hoc argumentum utpote

ex scholastico pulvere exprompium frivolum penitus est. Nam etiamsi verum esset Filium a *dictione*, Spiritum vero a *spiratione* tamquam a principio procedere, quomodo poterit Scotus absque divinae simplicitatis injuria demonstrare duos illos actus, et inter se, et a natura, et a reliquis quae in Deo sunt esse formaliter distinctos? Et revera, si loquamur de Verbo Dei, *Sic est verbum apud Deum*, inquit Fulgentius lib. 3. ad Monim. cap. 7. *sicut est in mente verbum*, *sicut in corde consilium*. *Cum enim mens apud se verbum habet*, *utique cogitando habet*, *quia nihil aliud est apud se dicere*, *quam apud se cogitare*. Sequitur ruspensis Episcopus ostendere quomodo in nullo distinguatur verbum a mente quod intra se generat, et concludit sic de ipsa esse, *ut apud ipsam et in ipsa sit*, *tantumque sit de illa*, *quantum in illa*, *et tantum in illa*, *quantum cum illa*. Quibus in verbis si figas oculum, nulla tibi occurret formalis distinctio. Quod autem dictum est de *dictione*, idem omnino sentias de *spiratione*. Formalis igitur illa distinctio a Scotistis excogitata nullo fulcitur stabili fundamento: imo contraria videtur doctrinae SS. Patrum, nec non humanae rationi; Non potest ergo ullo pacto admitti.

Thomistae omnes quorum sententiam complures etiam ex Augustiniana schola amplectuntur, principium *quo* proximum generationis Filii in intellectu Patris; processionis autem Spiritus S. in voluntate Patris et Filii reponunt. Putant autem intellectum ac voluntatem in divinis duas esse virtutes seu potentias virtualiter a se invicem, et ab essentia distinctas; sicuti in humanis substantiam animae a suis potentiis virtualiter pariter distinguunt; quamvis recentiores veterum mentem explicantes affirment distinctionem denique virtualem per quam unum virtute aequivalet pluribus, nil aliud esse quam distinctionem secundum connotata. Sed ut ut sit, Thomistarum systema admitti non potest. Nam si intellectus Patris et Filii, Patrisque voluntas duae potentiae sint ita virtualiter distinctae, ut nemine cogitante, una non sit altera, derogatur jam divinae simplicitati, uti et in sententia Scotistarum: eademque quae contra hos faciunt argumenta faciunt etiam contra Thomistas. Sed admissa etiam ejusdem distinctionis recentiorum intelligentia, nequit divinarum processionum principium esse Patris intellectus, ac Filii Patrisque voluntas a reliquis quae sunt in Deo seorsim considerata. Nam intellectus et voluntas in divinis Patri Filio ac Spiritui S. sunt communes; quum singulae personae eodem intellectu eademque praeditae sint voluntate. Quod autem singulis est commune personis, nequit principium esse *quo proximum* processionum. Accedit his quod Trinitas personarum in divinis mysterium est incomprehensibile; nec humani imbecillitas ingenii intelligere valet cur duae dumtaxat, nec plures nec pauciores sint in Deo processiones: cur una sit generatio, altera vero spiratio: cur processio Spiritus S. non sit generatio etc. Quod si Thomistarum admittatur opinio, jam omne evanesceret mysterium, nullamque pateretur humana mens difficultatem.

Ut secundi a nobis prolati argumenti vim eludant Thomistae, respondent non intellectum et voluntatem absolute, sed relative acceptam esse prin-

cipia processionum. Deinde addunt Scripturas Patres atque Theologos uno ore confiteri Filium esse Verbum, Spiritum S. amorem, dilectionem, charitatem. Quare hoc nisi quia ille ex intellectu; hic vero ex voluntate procedit? Praeterea, nisi systema admittatur Thomistarum, nulla assignari poterit ratio cur duae tantum, non plures nec pauciores in divinis sint processiones. Ac denique sententia ablata Thomistarum, Filius appellari poterit amor, charitas, dilectio; et Spiritus S. Verbum: quod idearum inducit perturbationem. Sed haec levissimo brachio eliduntur. Et quoad primum. Numquid aliud sunt intellectus et voluntas Patris, ac intellectus et voluntas Filii; et aliud intellectus et voluntas Spiritus S.? Minime gentium. Sed quidquid est in Deo Deus est; nec nisi personae inter se realiter distinguuntur. Deinde nequit parvitas ingenii mei percipere intellectum Patris, et Patris ejusdem Filiique voluntatem veluti principia divinas personas producentia, quin captui meo se statim exhibeant intellectus et voluntas ut potentiae personis superadditae, si quidem sint inter se realiter distinctae, ut veteribus placet Thomistis. Secundum Thomistarum argumentum evanescit, si animadvertamus Filium Verbum, et Spiritum S. amorem ac dilectionem appellari, non quod Filius ab intellectu, et Spiritus S. a voluntate tamquam a duabus superadditis potentiis procedant: sed quod Filius procedat a Patre qui est suamet intellectio; et Spiritus S. a Patre Filioque qui sunt sua voluntas. Nam intellectus et voluntas non sunt duae potentiae aut realiter aut formaliter aut virtualiter a divina natura distinctae, ac Patris Filiique hypostasibus superadditae: sed una sunt eademque res cum divina natura et qualibet persona. Quare Filius non dicitur, per Scripturas Patres et Theologos, Verbum, quia generatur ab intellectu Patris in sensu *complexo*: sed quia generatur a Patre qui est sua intellectio. Item Spiritus Sanctus non dicitur Spiritus, quia profluit a voluntate Patris et Filii pariter in sensu *complexo*: sed quia spiratur a Patre et Filio qui sunt sua voluntas in sensu *incomplexo*. Tertium eadem dispellitur facilitate. Primo enim cur duae tantum, nec plures nec pauciores sint divinae processiones: et cur una generatio, altera spiratio appelletur, mysterium est menti nostrae impervium cujus non tam facile ratio reddi potest: adeoque vel hoc dumtaxat suspecta est Thomistarum sententia. Deinde Verbum a Patre genitum, et Spiritus S. spiratus ab utroque duae personae sunt realiter ad invicem distinctae; dum intellectus et voluntas distinguuntur, per Thomistas, virtualiter dumtaxat: Ubi est ergo facilitas illa explicandi divinas processiones? Praetera virtualis distinctio Thomistarum a compluribus Theologis rejicitur et negatur: Quomodo ergo reponendum est in ea mysterium Trinitatis? Demum ideo duae tantum sunt in divinis processiones, tum quia ita tradunt Scripturae, ac SS. PP. tum etiam quia duae solummodo sunt personae procedentes. Cur autem una generatio appellatur, altera vero spiratio, capite sequenti examinabimus. Postremum ita solvitur. Charitas et amor versari debent saltem inter duos, inquit post Augustinum Gregorius M. hom. 7. Filius procedit a solo Patre: itaque licet Pater qui generat Filium sua sit intellectio et sua vo-

luntas, Filius tamen appellari nequit charitas seu dilectio. E contra Verbum est terminus unius mentis intelligentis; Spiritus S. procedit a duobus. Quare licet Pater et Filius sua sint voluntas, suaque intellectio, Spiritus nihilominus S. Verbum appellari non potest. Nullam itaque ex recitatis sententiam approbamus, nisi eum Gregorio nostro ariminensi observemus has propositiones: *Filius gignitur e substantia, vel ex dictione, aut ex intellectu Patris*, Et, *Spiritus S. procedit ex eadem substantia, aut ex spiratione, vel ex voluntate Patris, et Filii*, duplicem habere sensum, *incomplexum*, nimirum, et *complexum*. In sensu *incomplexo* duae illae propositiones ita sonant: *Filius gignitur a Patre qui est sua substantia, sua relatio, sua dictio, suus intellectus*: Et, *Spiritus S. procedit a Patre et Filio qui sua substantia sunt, sua spiratio, sua voluntas*. In sensu autem *complexo*, hoc modo: *Filius gignitur e divina substantia quae a Patre aliqua distinctione secernitur, vel ex relatione, aut dictione, aut intellectu, potentiis Patri superadditis*: Et, *Spiritus S. procedit e substantia quae est aliquod distinctum a Patre et Filio, vel ex spiratione, aut voluntate, superadditis divinis hypostasibus*. Si laudatae propositiones sumantur *in sensu incomplexo*, admittimus singulas Theologorum recitatas sententias; negamus autem si propositiones illae accipiantur *in sensu complexo*.

Atque ut de re nimis abstracta majori qua fieri potest perspicuitate disseramus, ita nostri Gregorii exponimus opinionem: Principium generationis Filii est quidquid est Pater: et principium spirationis Spiritus S. quidquid sunt Pater et Filius *in sensu incomplexo*. Nemo enim dixerit Filium et Spiritum S. ex substantia, aut relatione, aut dictione, vel intellectu, et voluntate, et spiratione prout haec omnia sunt Patri et Filio superaddita procedere; derogaretur quippe omnino summae Dei simplicitati. Unde superest ut dicamus principium generationis Filii esse quidquid est Pater, natura nempe, relatio, dictio, intellectus in sensu *incomplexo*; et principium spirationis Spiritus S. quidquid sunt Pater et Filius, natura, relationes, spiratio, voluntas in sensu pariter *incomplexo*. Praeterea si principium generationis Filii non esset quidquid est Pater in sensu *incomplexo*, principium *quo* proximum a principio *quod* distingui necessario deberet in sensu *complexo*. Idipsum intellige quoad Spiritum Sanctum: Ast vero principium *quo* proximum a principio *quod* non est sensu *complexo* distinguendum. Nam principium *quo* proximum nihil aliud denique est quam virtus seu forma proxime et immediate in principium *quod* influens ut operetur. In divinis autem virtus quaelibet aut forma non debet a principio *quod* sive supposito distingui: alioqui dicendum foret virtutem et formam agendi in divinis indigere, ut compleatur ac perficiatur, principio *quod* seu supposito, quomodo accidit in creaturis: in quibus utpote compositis, principium *quo* proximum, virtus nempe et forma operandi, perficitur et completur ab hypostasi. Atque opinio haec tamquam illa quae divinae consulit simplicitati probabilior ceteris mihi videtur.

Nec est quod dicant: Si principium *quo* proximum generationis Filii

esset quidquid est Pater, et principium *quo* proximum spirationis Spiritus S. quidquid sunt Pater et Filius, sequeretur etiam naturam principium esse processionum: quod in Durando improbavimus. Nam id non diffitemur, si divinae naturae reliqua quae sunt in Patre et Filio jungantur in sensu *incomplexo*: quod Durandus non fecit. Ex quibus omnibus collige hanc in nostra sententia vere stare propositionem: FILIUS GENERATUR A PATRE QUI EST SUA NATURA. Atque haec de principiis divinarum processionum dixisse sufficiat.

CAPUT III.

De processionis Filii ac Spiritus Sancti discrimine.

Duo inquirenda sunt hoc in capite. Primum an processio Filii et quidem sola dicenda sit generatio; alterum vero cur sola Filii processio, non item processio Spiritus S. dicenda sit generatio. Antequam priorem resolvamus quaestionem, germanam generationis ideam tradamus necesse est. Generatio ergo optime cum S. Thoma 1. p. q. 27. a. 2. definiri potest: *Origo viventis a vivente principio conjuncto secundum similitudinem naturae*. Explicemus singula definitionis verba. Generatio dicitur, *Origo*, hoc est emanatio. Additur, *viventis:* Quae enim non vivunt, etiamsi procedant, minime generata dicuntur nisi improprie et lato quodam sensu. Hoc modo metalla genita dicuntur a terra. Apponitur, *a vivente*, ut intelligamus utrumque, genitum nimirum et generantem vita praeditos esse oportere. Hinc Adam non dicitur genitus quoniam ex non vivente principio, ex terra videlicet factus est in animam viventem. Sequebatur in definitione, *principio conjuncto*, quia generans genito suam communicare debet substantiam: unde Eva licet ex Adam orta, facta non genita ex illo dicitur. Absolvebatur definitio per illa verba, *in similitudinem naturae*, quia Filius debet esse imago Patris.

Pro alterius solutione quaestionis nil aliud venit animadvertendum nisi quod vera discriminis ratio inter Filii ac Spiritus S. processionem humanae mentis latet imbecillitatem; nec hominum est apertissimam proferre caussam, cur sola Verbi, non item Spiritus S. processio, sit generatio. Hinc in varias Theologi abiere sententias. Nonnulli cum Richardo Victorino autumarunt Verbi processionem dicendam esse generationem, quoniam accipit a Patre naturam foecundam; processionem autem Spiritus Sancti non item: quia Spiritus S. accipit quidem naturam, sed minime foecundam. Alii cum S. Bonaventura arbitrantur Verbum, non Spiritum S. genitum dici, quoniam illud secundum naturam; hic vero secundum voluntatem procedit. Nodum solvere putat Suaresius affirmando Verbum dici genitum, quoniam procedit per actualem intellectionem quae est specifica divinae naturae differentia: per quam cum non procedat Spiritus, genitus dici non potest. Aliqui tenent post Bartholomaeum Torres, Verbum esse Filium, quoniam a Patre procedit ut ipsius imago per mentem expressa. Scotistae

ceteris breviores affirmant Verbum esse Filium, non Spiritum Sanctum, quoniam illius processio per se est generatio, hujus autem est per se spiratio. Thomistae ad intellectum confugiunt et voluntatem, atque ajunt processionem Verbi esse generationem, quoniam principium illius est intellectus; non esse autem generationem processionem Spiritus Sancti, quoniam hic procedit per voluntatem. Gregorius noster ariminensis altitudini consulens ineffabilis hujus mysterii ingenue fatetur ignorare se rationem cur potius Filii, quam Spiritus S. processio dicenda sit generatio. Quid nostra ferat sententia sequentibus aperiemus propositionibus. Sed antea pertractandum brevissime de posita priori loco quaestione. Quare sit

CONCLUSIO I.

Processio Verbi dicenda est, et quidem sola, generatio.

Prob. prior. thesis pars. I. Scripturis: Psal. 2. v. 7. ita Pater Filium alloquitur: *Filius meus es tu, ego hodie genui te*. Psal. 109. v. 3. haec alia inquit Pater ad Filium: *Ex utero ante luciferum genui te*. Isaias cap. 53. v. 8. de Messia praedixerat: *Generationem ejus quis enarrabit?* Johan. cap. 3. v. 35. *Pater diligit Filium*. Et cap. 8. inquit Christus: *Testimonium perhibet de me, qui misit me, Pater*. Per se manifestum est iis in locis, Verbum dici genitum. II. Ex sanctis PP. quorum testimonia protulimus libro antecedenti, ubi Verbi divinitatem ex eo demonstravimus quod traditio crediderit ipsum esse Filium Dei naturalem. III. Theologica ratione. Nam Verbi divini processioni adamussim tradita initio capitis generationis definitio convenit quae merito dicitur, *Origo*; quoniam emanatio est secundae personae a prima. *Viventis a vivente*, juxta illud Johan. cap. 5. v. 26. *Sicut enim Pater habet vitam in semetipso: sic dedit et Filio habere vitam in semetipso*. Item, *principio conjuncto*; quum ipsemet dicat apud Johan. cap. 10. v. 30. *Ego et Pater unum sumus*. *In similitudinem* demum *naturae*; quoniam Verbum *est figura substantiae ejus*, nempe Patris, ut Apostolus ad Hebr. cap. 1. v. 3. scribit.

Prob. modo altera prop. pars. I. Scripturarum silentio. Nam nullibi in eis Spiritus S. dicitur genitus sicuti Filius; nec ullibi Spiritus S. processio appellatur generatio quomodo processio Filii. II. Ex Patribus quorum unicus sufficiat Augustinus qui lib. 5. de Trinit. cap. 14. ait: *Solet multos movere, cur non Filius sit etiam Spiritus Sanctus, cum et ipse a Patre exeat sicut in Evangelio legitur*. Quam quaestionem resolvit sanctus Doctor inquiens: *Exiit enim, non quomodo natus, sed quomodo datus; et ideo non dicitur filius, quia neque natus est sicut Unigenitus* etc. Et in libris cont. Maximin. fuse demonstrat solum Verbum esse a Patre genitum. III. Ex constanti Ecclesiae Fide quae Valentinianos ac Marcionitas, quod plures in Deo admitterent filios, semper execrata est. Hinc in symbolo Athanasio tributo confitetur: *Spiritus Sanctus a Patre et Filio: non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens*.

COROLLARIUM

Si Verbi a Patre processio est veri nominis generatio, ut demonstratum est hactenus, Verbum ergo est Deo Patri ὁμοούσιον, quod Ariani inficiantur.

CONCLUSIO II.

In nulla ex recensitis superius sententiis, vera reddi potest ratio, cur processio Filii dumtaxat dici debeat generatio: unde Gregorio ariminensi subscribendum est qui docet non posse a nobis manifestam reddi rationem, cur solus Filius, et non Spiritus S. sit genitus.

Prob. thesis per singulas sententias excurrendo I. Ratio cur sola processio Filii dicatur generatio, non est quod acceperit a Patre naturam foecundam. Nam 1. Idea generationis foecunditatem in genito non postulat. Quot enim sunt filii in humanis foecunditate carentes? 2. Multo minus foecunditatem importat idea generationis divinae: necesse quippe foret ut ejusdem generis foecunditatem acciperet a Patre Verbum cujus generis est Patris ipsius foecunditas; ac proinde Filius alium produceret filium. 3. Spiritus S. non eamdem haberet cum Patre Filioque naturam; nullo enim modo foecundus est *ab intra*.

II. Neque ratio cur Filii tantum processio sit generatio, est quod procedat secundum naturam. 1. Nulla est potior ratio cur Verbi, et non Spiritus S. processio sit secundum naturam. Quare si processio Verbi dicenda est generatio, quia est secundum naturam; ob eamdem rationem generatio dici poterit etiam processio Spiritus S. 2. Procedere secundum naturam vel est procedere necessario, non libere; vel est procedere a natura tamquam a principio. Si primum, Spiritus quoque Sanctus necessario, non libere procedit: Si secundum, quum natura a Patre et Filio minime distincta, sit etiam principium Spiritus Sancti, consequitur et hujus processionem dicendam esse generationem.

III. Neque ratio illa desumi potest ex eo quod Filius sit imago Patris per mentem expressa. Nam nomine imaginis, vel intelligunt similitudinem naturae realem, vel intelligunt similitudinem naturae *intentionalem*. Si primum, non Filius modo, sed et Spiritus S. est perfecta imago Patris cum quo eamdem numero habet naturam: atque idcirco illius quoque processio dici poterit generatio; si vero alterum, nec Verbum dici poterit genitum, quum similitudo intentionalis nec requiratur neque sufficiat ad generationem, ut ex allata superius definitione liquido constat.

IV. Neque vero recursus haberi debet cum Suaresio ad intellectionem actualem. 1. Quoniam supponit Filium procedere ab intellectione actuali tamquam a principio *quo* proximo distincto a natura et ab hypostasi, quod falsum est. 2. Quod differentiam constitutivam Dei reponat in intellectione actuali: quum nos de Dei essentia pertractantes demonstraverimus con-

sistere illam in *Esse a se*: intellectio namque actualis facultatem supponit intelligendi; haec autem naturam. 3. Demum, quoniam si intellectio actualis est differentia specifica Dei; quum Spiritus S. Deus sit ut Pater, procedat et ipse necesse est per actualem intellectionem.

V. Etiam opinio Scoti dicentis Filii processionem solummodo esse generationem seipsa, claudicat. 1. Quoniam quaestioni semper locus erit cur nimirum processio Filii sit seipsa generatio, et processio Spiritus S. seipsa sit spiratio. 2. Quoniam supponit Doctor subtilis Filii processionem esse formalitatem quamdam a spiratione distinctam; quum illam a *dictione*, hanc vero a *spiratione* derivet, quae juxta Scoti opinionem, duae sunt formalitates a natura et hypostasi distinctae, ut in superioribus diximus.

VI. Sed neque Thomistis possumus assentiri. 1. Quoniam intellectus et voluntas quid unum sunt cum illa summa re, essentia scilicet divina, atque personis (non enim distinguuntur virtualiter, ut Thomistis placet); proindeque etiam Spiritus S. processio dici posset generatio. 2. Non minus voluntas quam intellectus terminum producit in similitudinem naturae; quum Spiritus Sanctus qui per voluntatem procedere dicitur a Thomistis, sit perfectus Deus ut Pater et Filius, et non alia quidem ex caussa quam ex vi suae processionis.

Quare non immerito dixi subscribendum esse Gregorio ariminensi cujus sententiae et Scriptura et PP. aperte suffragantur. Et Scriptura quidem. Nam Prov. cap. 25. v. 27. legitur: *Qui scrutator est majestatis opprimetur a gloria*. Eccli. cap. 3. v. 22. *Altiora te ne quaesieris, et fortiora te ne scrutatus fueris*. Paulus in I. ad Cor. cap. 2. v. 11. *Quae Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei*. Isaiae cap. 53. *Generationem ejus quis enarrabit?* Matth. cap. 40. v. 27. *Nemo novit Filium, nisi Pater*. Et alia bene multa sunt in Scripturis quae nullam a nobis reddi posse rationem cur sola Filii processio sit generatio, satis luculenter demonstrant. Hoc ipsum ingenue fatentur et Patres. Nonnullorum dumtaxat seligam testimonia. Basilius in orat. contra Sabel. *Filius*, inquit, *a Patre per generationem; Spiritus vero ex Deo, modo arcano et ineffabili*. Et hom. 29. *Credis genitum esse? Ne quaere quomodo ... Sin audire me non vis, sed contentiose pergis, rideo te, vel potius temeritatem tuam defleo*. Et lib. de Spiritu Sancto: *Modus processionis inexplicabilis est*. Gregorius nazianzenus orat. 1. de Verbo, *Quomodo*, ait, *genitus est, id enim indignabundus repeto: Dei generatio honoretur silentio*. Cyrillus hierosolym. cath. 11. scribit: *Deum quidem habere Filium crede. Quinam vero id fiat, ne curiose quaerito*. Eadem persaepe tradunt Irenaeus lib. 2. cap. 48., Athanasius orat. 2. et 3. cont. Arianos, Gregorius nyssenus lib. 1. cont. Eun., et S. P. Augustinus qui lib. 2. cont. Maximin. cap. 14. ab eo interrogatus, *Si de substantia Patris est Filius, de substantia Patris est etiam Spiritus Sanctus, cur unus Filius sit, et alius non sit Filius?* Respondet gravissimis hisce verbis: *Ecce respondeo sive capias, sive non capias. De Patre est Filius, de Patre est Spiritus Sanctus: sed ille genitus, iste procedens: ideo ille Filius est Patris*,

de quo est genitus; *iste autem Spiritus utriusque*, *quoniam de utroque procedit*. Et paucis interjectis: *Quid autem inter nasci et procedere intersit*, *de illa excellentissima natura loquens explicare quis potest? Non omne quod procedit nascitur*, *quamvis omne procedat quod nascitur*; *sicut non omne quod bipes est*, *homo est*, *quamvis bipes sit omnis qui homo est*. *Haec scio*: *distinguere autem inter illam generationem et hanc processionem nescio*, *non valeo*, *non sufficio*. Ita summum illud vas scientiae. Ad haec, cum idem Augustinus ad haereticorum contundendam pervicaciam humanis sophismatibus divina quaerentium, aliquam reddere rationem voluerit, *Cur non Spiritus quoque Sanctus a Patre Deo genitus vel creditur vel intelligitur*, *ut Filius etiam ipse dicatur*, non unam sed varias adhibet responsiones. Ita ex. gr. lib. 9. de Trinit. cap. 12. nititur solvere quaestionem, assumpta in exemplum, utpote quae quamdam imaginem praesefert Trinitatis, rationali mente; et posteaquam demonstraverit quomodo notitia quam peperit humana mens dum se ipsam cognovit, recte dicatur ejus proles, partus, et quid simile, gradum faciens ad amorem, de illo haec edisserit: *Ab ipsa quippe mente procedit quae sibi est amabilis ante quam se amet*; *atque ita principium est amoris sui*, *quo se amat*: *sed ideo non recte dicitur genitus ab ea sicut notitia sui*, *qua se novit*, *quia notitia jam inventum est*, *quod partum vel repertum dicitur*. Tractatu autem 99. in Johan. cap. 16. et lib. 15. de Trinit. cap. 18. resumens eamdem quaestionem, *Cur* nempe *non dicatur natus esse*, sed potius *procedere Spiritus Sanctus*, respondet: *Quoniam si et ipse Filius diceretur*, *amborum utique Filius diceretur*, *quod absurdissimum est*. *Filius quippe nullus est duorum*, *nisi patris et matris* ... *Quia nec filius hominum simul et ex patre et ex matre procedit*: *sed cum in matrem procedit ex patre*, *non tunc procedit ex matre*; *et cum in hanc lucem procedit ex matre*, *non tunc procedit ex patre*. Habet fere similia lib. 2. cont. Maximin. loco nuper citato. Libro quinto de Trinitate se continet tantum dicere, ut supra vidimus, *Exiit enim* (a Patre) *non quomodo natus*, *sed quomodo datus*; *et ideo non dicitur Filius* Spiritus Sanctus. Et iterum lib. 15. de Trinit. cap. 15. *Ibi*, hoc est in Patria caelesti, *cernemus*, *quare non sit Filius Spiritus Sanctus*, *cum de Patre procedat*. Quae plane commonstrant neque penes Augustinum compertam fuisse veram rationem qua homo viator tuto valeat generationem a processione distinguere: alioquin unam amplexatus fuisset responsionem, atque in illa firmiter haesisset. Quod licet ita se habeat, non vitio tamen vertimus scholasticis quod rationem de ea quaestione aliquam tam studiose reddere curaverint. In hoc namque imitati sunt sanctos Ecclesiae Patres qui quamvis audaciora ingenia quae divina scrutari praesumunt, acerrime reprehendant atque vituperent; non abstinent proinde a nonnullis adducendis comparationibus quae inscrutabilia Fidei nostrae mysteria aliquo modo valent illustrare.

Nunc unum vel alterum parvi momenti solvendum superest argumentum quod adversus priorem a nobis positam thesim urgeri posset. Et 1.

Generatio in sui idea includit imperfectionem, quoniam includit mutabilitatem: tum quia quum generatio fiat in tempore, principium generans ex non generante fit generans, illeque qui gignitur, aliquando incipit esse: tum etiam quia fieri generatio nequit absque substantiae generantis abscissione: Atqui mutabilitas imperfectio est quae locum in Deo non habet. II. In Scripturis Filius dicitur *Primogenitus*: ergo supponit alium post se genitum; isque erit Spiritus S. III. Et revera, Spiritus S. vel genitus est vel ingenitus: Atqui non ingenitus, quum titulus hic soli Patri conveniat: Ergo est genitus. IV. Filii processio a Patre dicitur generatio, quoniam est *origo viventis a vivente principio conjuncto in similitudinem naturae*: quae definitio si bene perpendatur, apprime convenit etiam Spiritui Sancto; praesertim cum et ipse sit imago Patris, sicuti Filius dicitur in Scripturis et Patribus.

Resp. ad singula. Et ad 1. Generatio quidem imperfecta qualis est in humanis, includit mutationem, tempus nimirum et abscissionem substantiae; non autem generatio perfecta qualis est in divinis. Nam germana generationis idea hac illius definitione continetur: *Origo viventis a vivente principio conjuncto in similitudinem naturae*. Ubi est hic mutabilitas, temporis initium videlicet, et abscissio substantiae? Occurrunt haec quidem in generatione humana: sed oritur id ex illius imperfectione, non ex germana et absoluta idea generationis.

Ad 2. Juxta Scripturae phrasim crebro vocatur primogenitus ille ante quem nullus alius genitus est, quamvis sit unigenitus. Ita B. Virgo Maria unicum genuit Filium; et tamen appellatur Filius suus primogenitus. Ita divinum Verbum Filius primogenitus nuncupatur, non quod alios post se genitos habeat: sed quod nullus alius Filius ante ipsum genitus sit. Responderi etiam potest sacram Scripturam ubi Christum appellat primogenitum, de illo loqui secundum humanam naturam juxta quam plures habet post se genitos, nempe singulas creaturas: et ideo dicitur *Primogenitus omnis creaturae*.

Ad 3. Si ingeniti nomen sumatur pro eo qui non est genitus, Spiritus S. utique dici potest ingenitus. Sed quoniam character *Ingeniti* adscribi vulgo solet Patri, quatenus est deitatis primum principium; hinc Spiritus S. nec ingenitus dicitur nec genitus, sed procedens.

Ad 4. Jam paullo ante statuimus non posse a nobis evidentem assignari rationem cur sola Filii, et non Spiritus S. processio dicenda sit generatio. Scimus rem ita se habere, quoniam ita Scripturae ac Patres nos docent: cur autem ita se habeat nescimus, atque mysterium esse fatemur humanae menti impervium. Quare etsi verum sit generationis notionem jam traditam convenire posse etiam processioni Spiritus Sancti, non proinde tamen appellamus illam generationem, quoniam Scripturae vetant et Patres. Ubi denique sancti Patres post Scripturas Filium appellant imaginem, loquuntur de imagine Patris secundum naturam: quod nomen Spiritui quoque S. aptari debet, quum eamdem habeat cum Patre ac Filio naturam.

CAPUT IV.

In quo agitur de divinarum personarum relationibus.

Nomine relationum de quibus hoc in capite breviter pertractaturi sumus, nil aliud intelligimus quam proprietates quasdam divinas singulas sanctissimae Trinitatis personas constituentes, ac a se invicem distinguentes. Multas circa hujusmodi proprietates committere solent Theologi velitationes. Nos ea quae ineffabili explicando Trinitatis mysterio magis conducere videntur, dumtaxat persequemur; agemusque de earum existentia, essentia, numero, distinctione, atque perfectione.

Et quoad existentiam neminem Theologorum experimur adversarium, si unum excipias Praepositivum inter Scholasticos antiquissimum qui apud B. Thomam q. 32. a. 2. asserens divinas personas tales esse seipsis, negat proinde dari in divinis proprietates illas relativas personas constituentes ac distinguentes.

In essentia assignanda relationum duas invenio inter se discrepantes opiniones, unam illorum qui negant; alteram illorum qui affirmant relationes divinas esse reales. In priorem sententiam nonnulli abiere ignoti nominis Theologi de quibus Petavius lib. 4. de Trinit. cap. 10. Posteriorem amplectuntur communiter omnes, dummodo relationum nomine non intelligantur formae quaedam sensu *complexo* a divinis personis distinctae.

Nullum in determinando relationum numero dissidium: omnes enim uno ore fatentur esse quatuor.

Non ita tamen ubi de earumdem relationum distinctione ab essentia divina sermo occurrit. Gilbertus siquidem porretanus distinctionem realem statuit, non modo inter relationes a se invicem, quod catholicum est; verum etiam inter relationes et essentiam, quod est haereticum. Durandus relationes ab essentia distinguit tamquam modum, et rem. Scotistae ad suam recurrunt distinctionem formalem; Thomistae ad virtualem; Augustiniana schola post Gregorium ad distinctionem penes connotata.

In quavis denique schola Theologorum defenditur divinas relationes esse perfectiones, dummodo tamen non putes esse sensu *complexo* ab essentia divina distinctas. Modo sit

CONCLUSIO I.

In singulis personis admittendae sunt divinae relationes.

Prob. 1. ex PP. Basilius lib. 2. cont. Eunom. inquit: *Proprietates personarum notae quaedam et formae quae in substantia considerantur, dividunt quod est commune propriis characteribus: at ejusdem communionem substantiae non discindunt.* Gregorius nazianzenus orat. 20. ita scribit: *Adoramus igitur Patrem Filium et Spiritum Sanctum: ita ut proprietates distinguamus, divinitatem autem unam faciamus.* S. P.

Augustinus lib. 8. de Trinit. cap. 1. colligens quae praecedenti disputaverat volumine, haec habet: *Diximus alibi, ea dici proprie in illa Trinitate distincte ad singulas personas pertinentia, quae relative dicuntur ad invicem; sicut Pater et Filius, et utriusque donum Spiritus Sanctus: non enim Pater Trinitas, aut Filius Trinitas, aut Trinitas donum. Quod vero ad se dicuntur singuli, non dici pluraliter tres etc.* Fulgentius lib. de Trinit. cap. 2. inquit: *Pater non sibi est, sed Filio: Filius non sibi est, sed Patri: Spiritus alicujus est adspiratus: ergo ad Patrem Filiumque refertur. Ista itaque relativa nomina Trinitatem faciunt. Essentialia vero nullo modo triplicantur.* Haec clara sunt, nec ulla indigent expositione ad demonstrandum existere reapse in divinis personis relationes.

Prob. 2. theologica ratione. Dantur in divinis tres distinctae personae, ut contra Judaeos et Sabellianos fuse probavimus: Dantur ergo in divinis paternitas per quam Pater refertur ad Filium: filiatio per quam Filius refertur ad Patrem: et spiratio per quam Spiritus S. refertur ad Patrem et Filium: et ita dantur in divinis relationes.

CONCLUSIO II.

Relationes sunt in Deo realiter, non autem ab essentia divina sensu complexo *distinctae.*

Prob. prior prop. pars. I. Nemine cogitante, in Deo sunt paternitas, filiatio, spiratio, quia revera Deus est Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus. Paternitas autem, filiatio, atque spiratio nonne sunt relationes? Et quoniam Pater Filius ac Spiritus S. realiter a se invicem distinguuntur; hinc distinguuntur etiam illae relationes. II. In divinis est vera ac realis unius personae ab alia origo: Ubi vero est unius ab alio origo, ibi mutuus necessario esse debet producentis ad productum et vicissim respectus, et quidem realis quomodo realis est origo: Ergo etc.

Prob. altera thesis pars. Si relationes essent sensu *complexo* ab essentia divina distinctae, jam quaedam essent formae divinae ipsi essentiae superadditae; aliud enim esset relatio, puta paternitas, et aliud natura divina: Atqui relationes non sunt nec esse queunt formae quaedam divinae essentiae superadditae; alioquin Filius non e Patris substantia procederet; nec Pater substantia sua diceretur ad Filium, sed per aliquid substantiae suae superadditum: Ergo relationes in Deo non sunt ab essentia divina sensu complexo distinctae. II. Quidquid est in Deo Deus est, ut adversus Gilbertum porretanum, et Joachimum abbatem definivit Ecclesia: Igitur non sunt in divina essentia admittendae formae sensu *complexo* ab illa distinctae. III. Id quo una persona refertur ad aliam est quidquid est; videlicet Pater v. g. qui est sua paternitas suaque essentia, refertur ad Filium quem genuit. *Non enim aliud est Deo esse, aliud personam esse, sed omnino idem ... Quocirca ut substantia Patris ipse Pater est, non quo*

Pater est , sed quo est ; ita et persona Patris , non aliud quam ipse Pater est : ad se quippe dicitur persona , non ad Filium vel Spiritum S. etc. Ita magnus Augustinus lib. 7. de Trinit. cap. 6.

CONCLUSIO III.

Quatuor sunt in divinis relationes .

Prob. Sunt in divinis paternitas , filiatio , spiratio activa , et spiratio passiva . Quatuor autem haec sunt relationes . Pater enim per paternitatem refertur ad Filium ; per filiationem Filius refertur ad Patrem ; Pater et Filius per spirationem activam referuntur ad Spiritum Sanctum quem producunt ; et Spiritus S. per spirationem passivam refertur ad Patrem et Filium a quibus spiratur . Haec demonstratione non indigent iis qui tres in divinitate admittunt distinctas personas .

CONCLUSIO IV.

Relationes divinae ad se invicem comparatae distinguuntur realiter .

Prob. Personae divinae Pater , Filius , ac Spiritus S. inter se realiter distinguuntur , ut contra Sabellianos docet catholica Fides . Atqui divinae relationes sunt proprietates divinas constituentes ac distinguentes personas : igitur ad se invicem comparatae distinguuntur realiter quomodo divinae personae .

CONCLUSIO V.

Relationes divinae comparatae ad essentiam non distinguuntur distinctione reali , aut majori aut minori aut formali aut virtuali , sed penes connotata in sensu incomplexo .

Prob. prior prop. pars . Distinctio realis major ea est quae inter rem et rem intercedit : At divinae relationes ab essentia non distinguuntur , ut res a re . 1. Quoniam S. P. Augustinus lib. 7. de Trinit. cap. 6. aperte scribit : *Non aliud est Deo esse , et personam esse , sed omnino idem .* 2. Quoniam Lateranense IV. concilium definivit quod , *una quaedam summa res est , incomprehensibilis quidem et inaestimabilis , divina essentia quae veraciter est Pater Filius et Spiritus Sanctus ; tres simul personae ac singillatim quaelibet earumdem .* 3. Quoniam si relationes ab essentia realiter distinguerentur , tamquam videlicet res a re , in divinis non amplius Trinitas , sed quaternitas esset , ut laudatum Lateranense concilium optime animadvertit .

Prob. altera pars. Distinctio realis minor est quae inter rem intercedit et ejus modum : Sed in Deo non talis est distinctio quae relationes inter ac essentiam intercedit; alioqui daretur in divinis compositio quaedam phy-

sica ex essentia et relatione, tamquam ex re ejusque modo: Ergo relationes divinae non distinguuntur distinctione majori vel minori.

Prob. thes. pars tertia. Distinctio formalis scotistica ea est quae inter rem ac varias illius formas nullo cogitante intellectu intercedit: At haec non datur inter relationes et divinam essentiam: tum quoniam distinctio quae omnem mentis antecedit cogitationem, est vera distinctio realis, quam in divinis non dari jam statuit Ecclesia: tum etiam quoniam si illa admittatur, non erit amplius in Deo Trinitas, sed quaternitas; una nempe divina essentia ac tres relationes veluti tres formalitates ab essentia nemine cogitante distinctae: adeoque non esset Deus summe simplex, sed ex pluribus ex natura rei inter se distinctis compositus.

Prob. thes. pars 4. Virtualis distinctio Thomistarum ea est quae inter rem summe eminentem et varias illius virtutes intercedit: quae virtutes nisi pro connotationibus accipiantur, non possunt in Deo veluti ab essentia distinctae admitti; quum virtutes quae non se tenent ex parte dumtaxat nostri intellectus, formalitatibus aequivaleant Scotistarum quae, ut demonstravimus, admitti in Deo non possunt. Ergo etc.

Prob. thesis quinta pars. Distinctio penes connotata illa est qua una simplicissima entitas ad plura comparari potest inter se realiter distincta: Talis est omnino distinctio quae relationes inter ac divinam iuvenitur naturam. Nam divina essentia unica in se ac simplicissima ad tria comparari potest objecta realiter inter se distincta, ad Patrem nimirum ac Filium et Spiritum Sanctum. Quare jure Tridentina synodus inquit: *Nos dicimus substantiam et personam esse idem re, differre autem nostro intelligendi modo*. Sed haec eadem fusius disputata a nobis vide lib. 9. cap. 4.

CONCLUSIO VI.

Divinae relationes sunt quaedam infinita perfectio, incomplexe *cum essentia significabilis*.

Prob. prop. pars prima. Relationes divinae vel accipiuntur pro ipsis relativis, vel prout referuntur ad invicem. Utroque modo consideratae summa quaedam sunt et infinita perfectio. Si namque relationes accipias pro ipsis relativis, quum relativa sint Deus, infinita sunt perfectio. Si vero spectes relationes prout referuntur ad invicem, relationes nil aliud sunt quam Pater Filius ac Spiritus Sanctus, singulae personae Deus qui est infinita perfectio. Optime Cyrillus alex. lib. 2. thesauri cap. 1. *Non potest esse perfecta divinitas, nisi Filium habeat, et fructum ex se pariat*.

Prob. altera thes. pars. Perfectio relationis a divinae perfectione substantiae nullo prorsus modo distinguitur; alioquin duplicem haberet Trinitas distinctam perfectionem, unam relationis, alteram essentiae, quod infinitati repugnat; quum res quaedam summa incomprehensibilis incommutabilis sit Trinitas, ut Later. IV. concilii PP. loquuntur. Hinc consulto dixi tres divinas relationes unam esse infinitam perfectionem, non perfe-

ctiones, quomodo alios facere Theologos novi; quoniam in Deo summo unica est, non multiplex summa et infinita perfectio.

Objecta refelluntur.

Obj. 1. cont. 1. prop. Plura leguntur in Scripturis quae insinnare videntur non esse in divinis admittendas relationes. Nam Johan. cap. 10. v. 30. inquit Christus: *Ego et Pater unum sumus*. Apud eumd. cap. 14. v. 9. subdit Christus: *Philippe, qui videt me, videt et Patrem meum*. Et cap. 16. prosequitur adhuc Filius dicens: *Omnia quaecumque habet Pater, mea sunt*. II. Praeterea, si relationes darentur in divinis, essent illae formae quaedam: Ast juxta Patrum sententiam, unica est trium personarum forma: Ergo etc.

Resp. ad 1. Allata in argumento testimonia non de unitate proprietatum, sed de unitate naturae sunt intelligenda. Et priori quidem loco positum testimonium sic exponit Augustinus lib. 6. de Trinit. cap. 2. Unum sumus *enim dictum est, quod ille, hoc et ego secundum essentiam, non secundum relativum*. Alterum vero explicat idem S. Doctor tract. 70. in Johan. hisce verbis: *Dictum est*, Qui me videt, videt et Patrem: *non utique ut ipse sit Pater qui Filius, sed quod a Patris similitudine in nullo prorsus discrepet Filius*. Gregorius nazianzenus explicat tertium testimonium orat. 24. hoc modo: *Omnia quaecumque habet Pater Filii sunt, excepta caussa: quidquid item Filius habet, idem quoque Spiritus S. est, si filietatem excipias*.

Ad 2. Divinae relationes sensu non malo formae utique appellari possunt, dummodo intelligantur *incomplexe* cum essentia significabiles, non alio prorsus sensu. Ceterum quando SS. PP. affirmant unam esse trium personarum formam, formam ipsam pro natura sumunt, non pro relatione. *Una quippe forma est, quia una, ut ita dicam, deitas, et ideo unus Deus Pater et Filius et Spiritus Sanctus*, inquit mellifluus Augustinus ep. 251. alias 177.

Obj. 2. cont. alt. prop. Relatio quam habet Dominus ad servum non est realis. Hujusmodi autem est, juxta Augustini sententiam lib. 7. de Trinit. cap. 1. relatio quam habet Pater ad Filium. II. Et hujus quidem sententiae fuisse videtur S. ille Doctor. Nam in lib. etiam 5. de Trinit. cap. 16. inter cetera exempla quae profert ad relationum naturam exprimendam, illud quoque adducit depromptum ex nummo inquiens: *Nummus autem cum dicitur pretium relative dicitur, nec tamen mutatus est cum esse coepit pretium: neque cum dicitur pignus, et si quae sunt similia. Si ergo nummus potest nulla sui mutatione toties dici relative, ut neque cum incipit dici, neque cum desinit, aliquid in ejus natura vel forma qua nummus est mutationis fiat; quanto facilius de illa incommutabili Dei substantia debemus accipere, ut ita dicatur relative* etc. III. Et jure quidem ac merito. Nam relationes de Deo dicuntur vel secundum substantiam, vel secundum accidens. Si primum, quum relationes realem

inducant distinctionem, substantia Patris realiter a Filii ac Spiritus S. erit distincta substantia, sicut realiter inter se distinguuntur personae. Si alterum, sequitur locum in divinis habere accidentia, quod impium est dicere: ad quae vitanda incommoda melius erit affirmare divinas relationes non esse in Deo quid reale.

Resp. ad 1. Comparatio inter dominum ac servum in humanis, et Patrem et Filium in divinis instituta, a S. P. Augustino adhibetur dumtaxat ad exprimendum respectum quem Pater habet ad Filium, non ad significandam essentiam relationis, ut laudatum caput legenti liquido constat.

Ad 2. Ubicumque S. Doctor similibus utitur comparationibus, facit id non ad definiendam relationum naturam, sed vel ad ordinem inter terminos, vel ad aliquid aliud significandum. Ceterum allata in argumento sententia ex lib. 5. de Trinit. deprompta, non loquitur S. Pater de divinarum relatione personarum ad invicem, sed de relatione Dei ad creaturas, demonstrans contra philosophos nummi exemplo, cujus mutato pretio non mutatur ejus natura neque aliquid intrinsecum ei accidit, nullam accidere in Deo mutationem intrinsecam, licet denominationes extrinsecus novas acquirat in ordine ad creaturas, utpote est illa, Domini, creatoris etc. Atque hanc esse Augustini mentem absque dubitatione colligitur ex his quae objectis verbis sequuntur: *Ut ita dicatur relative aliquid ad creaturam, ut quamvis incipiat temporaliter dici, non tamen ipsi substantiae Dei accidisse aliquid intelligatur, sed illi creaturae ad quam dicitur*.

Ad 3. Relationes de Deo dicuntur non secundum substantiam, nec secundum accidens, sed secundum esse relativum. Consimili namque argumento ab Arianis olim objecto Augustino, sic lib. 5. de Trinit. cap. 5. magnus ille Theologus respondet: *In Deo nil quidem secundum accidens dicitur, quia nihil in eo mutabile est*; *nec tamen omne quod dicitur, secundum substantiam dicitur. Dicitur enim ad aliquid, sicut Pater ad Filium, et Filius ad Patrem, quod non est accidens*: *quia et ille semper Pater, et ille semper Filius*. Relatio ergo non est aliquod accidentale divinae adveniens naturae, neque forma aliqua substantialis divinae superaddita substantiae: sed est aliquid extra intellectum nostrum *incomplexe* significabile cum divina natura.

Obj. ultimo cont. 3. prop. Si quatuor sunt in divinis relationes, non Trinitatem in Deo, sed quaternitatem admittemus: quod est contra Lateranensis IV. concilii definitionem.

Resp. In divinis tres dumtaxat sunt relationes realiter inter se distinctae, paternitas scilicet, filiatio, et spiratio passiva. Spiratio autem activa seu virtus productiva Spiritus S. a paternitate ac filiatione realiter non distinguitur, quia nec paternitati opponitur neque filiationi. In divinis porro omnia sunt unum, ubi relationis non obstat oppositio, inquit commune Theologorum proloquium. Quae a Gilberto, Scotistis, atque Thomistis contra reliquas theses opponuntur, soluta vide lib. 9. cap. 4.

CAPUT V.

De iis quae divinis sunt communia personis.

Ne in longum nimis nostra protrahatur disquisitio, plura simul hoc in capite congeremus; agemusque proinde. 1. de personae definitione. 2. de variis quibus tum latini tum graeci Scriptores usi sunt nominibus ad divinas personas exprimendas. 3. de absolutis divinarum personarum proprietatibus. 4. tum de illarum existentia. 5. et subsistentia. 6. deinde de circuminsessione. 7. de numero notionum. 8. ac ultimo de earumdem divinarum personarum missione.

Incipiamus bonis avibus a primo. Hugo etherianus lib. 2. cont. Graecos cap. 19. optime observat aliter apud Grammaticos, et aliter apud Theologos accipi nomen personae. In Grammatica res quaelibet sive per se, sive per aliud subsistat, sive substantia sit sive accidens, persona potest nuncupari. Ast penes Theologos nonnisi substantiam, et quidem individuam, alteri incommunicabilem, completam, rationisque capacem personae nomen significat. Quare Boetius lib. de duab. nat. multis quae ad personae nomen et essentiam pertinent accuratissime explicatis, ita concludit: *Quocirca si persona in solis substantiis est, atque in his rationalibus: substantiaque omnis natura est; nec in universalibus, sed individuis constat; reperta est personae definitio: Naturae rationabilis individua substantia*. Quibus datur intelligi personam dici 1. *Substantiam*; hoc est rem per se subsistentem; neque enim accidens apud Theologos persona dici potest. 2. Substantiam *individuam*; ita nempe singularem ut sit incommunicabilis alteri. Hinc humanitas Christi quamvis substantia sit et singularis; quoniam tamen non est individua et incommunicabilis alteri, persona non est. 3. *Completam*; videlicet non partialem et ad aliud ordinatam substantiam, ut est eadem humanitas Christi quae completa quidem est in suo genere, sed tamen respectu Christi qui ex divinitate simul ac humanitate coalescit, est partialis. 4. *Naturae rationalis*; quoniam res mere materiales, etsi apud Grammaticos, non tamen apud Theologos, personae dici possunt. Quapropter Laurentius Valla eximius quidem grammaticus, at in theologicis parum versatus, immerito hanc reprehendit Boetii definitionem lib. 6. eleg. lat. lin. cap. 34. Interim collige ex his Patrem Filium et Spiritum S. quemlibet singillatim esse *rationalis naturae individuam substantiam*, adeoque personam.

Verum non uno semper eodemque veteres usi sunt nomine ad sanctissimae Trinitatis personas exprimendas. Latini enim Patres initio, cum nempe Sabellii haeresis primum orta est, ut testatur Facundus hermianensis lib. 1. divinam naturam, *essentiam*; Patrem vero Filium ac Spiritum S. tres appellare consueverunt *substantias*, opponendo substantiae nomen essentiae. Legito S. P. Augustinum lib. 7. de Trinit. cap. 4. Deinceps vero quum Patres agnoverunt Sabellianos substantiae vocabulo ad propriam incrustandam blasphemiam abuti, appellare coeperunt tres divinas personas

tres subsistentias. *Profitemur*, inquit Rom. synodus sub Agathone celebrata, *unitatem quidem essentiae*, *Trinitatem vero personarum*, *sive subsistentiarum*. Ac tandem tempore Augustini jam solum personae nomen commune apud omnes Latinos erat, ut videre est in singulis SS. PP. operibus. Quoad graecos pertinet Patres, jam inde a Dionysii alexandrini aetate nomen hypostasis pro eo quod nos personam dicimus, coeperunt usurpare, ut ex ejusd. Dionysii resp. ad 4. Pauli samosat. propositionem apparet. Observat Baronius ad an. 320. in synodo Alexandrina anno 319. auctore Hosio cordubensi celebrata, statutum fuisse ut deinceps ad exprimendam substantiam non amplius adhiberetur nomen hypostasis. Sed non satis firma opinio isthaec videtur; quum nicaeni Patres confudisse videantur hypostasim et substantiam. Vox haec hypostasis in caussa fuit cur post Nicaenum I. concilium magna inter Catholicos orta fuerit controversia, contendentibus aliis unicam tantum; aliis tres admittendas esse in divinis hypostases. Verum totalis ex mala vocabuli illius intelligentia orta est. Vide Petavium de Trinit. lib. 4. cap. item 4.

Nunc pauca de divinarum personarum proprietatibus absolutis sunt dicenda. Nemini dubium quin omnia ac singula divinitatis attributa singulis personis ex aequo conveniant; singulae quippe eamdem habent naturam cujus sunt illae proprietates. Et clare loquitur Christus Johan. 16. v. 15. *Omnia quaecumque habet Pater*, *mea sunt*; unde ortum habuit vulgare illud scholarum effatum: *Omnia sunt unum in divinis*, *ubi non obviat relationis oppositio*. Quae licet ita se habeant, penes tamen antiquos Patres mos invaluit ut proprietates nonnullae absolutae uni potius quam alteri tribuantur et approprientur personae. Qui mos loquutio *per appropriationem* nuncupatus frequentissimae innititur Scripturarum consuetudini: in quibus omnipotentia v. g. et quae inde sequuntur, Patri; sapientia ejusque consectaria Filio; charitas et ejus effectus Spiritui S. appropriantur, quamvis omnipotentia, sapientia, charitas utpote attributa absoluta singulis personis ex aequo conveniant. Quocirca S. P. Augustinus lib. 15. de Trinit. cap. 17. scribit: *Sicut unicum Dei Verbum proprie vocamus nomine sapientiae*, *cum sit universaliter et Spiritus S. et Pater ipsa sapientia*: *ita Spiritus S. proprie nuncupatur vocabulo caritatis*, *cum sit universaliter caritas et Pater et Filius*. Si autem quaeras quam tenere debeas regulam in proprietatum absolutarum *appropriatione*, audias B. Thomam haec mirifice exponentem 1. p. q. 39. art. 8. *In consideratione Dei qua Deus absolute secundum esse suum consideratur*, *Patri aeternitas*, *Filio species*, *usus vero Spiritui Sancto*. *In consideratione vero Dei qua unus consideratur*, *Patri unitas*, *Filio aequalitas*, *Spiritui S. concordia vel connexio*. *In consideratione vero Dei secundum rationem caussalitatis*, *Patri potentia*, *Filio sapientia*, *Spiritui S. bonitas attribuitur*. *In consideratione vero Dei ut suos respicit effectus*, *appropriatur Patri*, a quo; *Filio*, per quem; *Spiritui S.* in quo. Sed in his exponendis consentientes habemus veteres omnes ac recentiores Theologos.

Nonnihil inter se dissentiunt ubi de divinarum personarum existentia

sermo occurrit. Richardus enim a S. Victore lib. 4. de Trinit. cap. 16. Scotus in 1. dist. 2. q. 2. Suarez lib. 3. cap. 3. quibus et Tournely accedit, arbitrantur in divinis praeter existentiam absolutam quae tribus personis prout Deus sunt convenit, tres dari existentias quas relativas appellant quarum unam cuique personae propriam. Alii e contra unicam essentiae divinae, et hanc tribus personis communem, existentiam pro aris et focis contendunt. Verum facile controversia haec componi potest. Etenim si existentiae relativae nomine modus quidam peculiaris intelligatur existendi quo persona individua constituitur, quaeque sub alio nomine *subsistentia* nuncupatur, nemini dubium quin in divinis tres sint existentiae relativae. Atque hoc sensu Basilii, Cyrilli alexandrini, Damasceni, aliorumque Patrum quae afferri solent testimonia sunt exponenda. Nam celebre illud Augustini quod lib. 7. de Trinit. cap. 4. prostat, *Si autem aliud est Deo esse, aliud subsistere, sicut aliud Deo esse, aliud Patrem esse ... relative ergo subsistit etc.* intelligi etiam commode potest de diversitate notionis, quod alia nimirum nominis hujus, *Deus*; et alia hujus, *Pater*, sit notio. Si autem existentiae nomen pro ratione accipias existendi per se, quis inficias ire poterit unicam dumtaxat esse in divinis existentiam ut unica in divinis est natura? Existentia quippe posteriori hoc sensu considerata est quaedam veluti divinae naturae appendix: quae ne per mentem quidem absque existentia concipi potest. Cumque una sit in divinis personis natura, fit consequens unicam tantum esse in tribus personis existentiam; neque enim essentia a personis, aut realiter aut formaliter aut virtualiter distinguitur. Quapropter S. P. Augustinus lib. 7. de Trinit. cap. 6. scribit: *Non enim aliud est Deo esse, aliud personam esse*. Et Auctor de divin. nom. cap. 2. *Unicum est in Trinitate et commune supersubstantialis existentia, superdivina deitas, superbona bonitas*. Et Cyrillus alexandrinus dial. 2. affirmat: *Si ingenitum ipsum est per sese et in exstantia propria positum ... duplicatur simplex natura Patris, eaque ex Patre et Ingenito componitur*.

Solvenda modo et alia est agitari solita inter scholasticos quaestio: An unica tantum, communis et absoluta; an vero triplex vel quadruplex relativa sit subsistentia. Durandus enim capreolus, et Scotus unicam absolutam: Alensis, S. Bonaventura quibus fere omnes subscribunt, tres: Cajetanus, et Suarez quatuor relativas agnoverunt subsistentias. Sed arbitror Theologorum dissensionem esse de voce. Duplici namque modo accipi potest vocabulum *subsistentia*; et in sensu grammaticali, et in sensu theologico. Subsistentia juxta vim nominis grammaticalem est ea substantiae modificatio qua fit ut substantia per se subsistat, nec subjecto cui inhaereat ad instar accidentis, indigeat. Si autem in sensu sumatur theologico, est peculiaris existendi modus quo fit ut persona in suo esse constituatur et sit incommunicabilis alteri. Subsistentia ergo in grammaticali sensu accepta unica tantum est in divinis; quum sit ratio existendi per se. Ast in divinis unica est substantia quae per se existit: dicente M. Augustino lib. 7. de Trinit. cap. 4. *Omnis enim res ad seipsam subsistit; quanto*

magis Deus? Quod si subsistentiae nomen sumatur, ut vere sumi debet, in sensu theologico, tres sunt in divinis subsistentiae. Nam subsistentia theologice sumpta est peculiaris ratio existendi personam reddens incommunicabilem alteri: Cumque tres sint in divinis personae completae individuae; tres esse necesse est subsistentias. Hinc Athanasius serm. de Deipara: *Unum Deum*, inquit, *in tribus subsistentiis praedicamus*. Et Ambrosius in symbol. apost. cap. 2. *Catholicum est ut et unum Deum secundum unitatem substantiae fateamur, et Patrem et Filium et Spiritum Sanctum in sua quemque subsistentia sentiamus*. Et concilia Nicaenum I. C-P. item I. et Lateranense II. definiunt credendam esse Trinitatem *in tribus subsistentiis*. Bene habent ergo plerique Theologorum, post Alensem et Bonaventuram, tres in divinis agnoscendas esse relativas subsistentias: Sed nec errant Cajetanus et Suarez quatuor admittentes in divinis subsistentias; dummodo utroque sensu, grammaticali videlicet et theologico, nomen intelligant subsistentiae. Nam etiam Agatho Papa in ep. quae in VI. synodo legitur inquit: *Confitemur trium subsistentiarum sive personarum unam subsistentiam*.

Circuminsessio, quae περιχώρησις graece dicitur, est mutua unius personae in alia inhabitatio: per quam Filius in Patre, Pater in Filio, ac Spiritus S. in utroque est, et vicissim. Hanc dari in divinis nemo unus ex Theologis negat; et ex Scripturis, PP. ac ratione luculentissime apparet. Ex Scripturis, inquam: dicente Domino Johan. cap. 14. *Non creditis quia ego in Patre, et Pater in me est?* Et rursus, *Pater autem in me manens, ipse facit opera*. Ex PP. quoque; ait namque Tertullianus lib. cont. Prax. cap. 25. *Connexus Patris in Filio et Filii in Paracleto tres efficit cohaerentes, qui tres unum sunt, non unus*. Et Dionysius alex. in apol. ad Dionysium Rom. *Ignorant Patrem a Filio alienari non posse ... neque Filium a Patre*. Hilarius quoque lib. 8. de Trinit. *Pater*, inquit, *in Filio est et Filius in Patre per inseparabilis naturae unitatem*. Ac S. P. Augustinus tandem lib. 6. de Trinit. cap. 10. scribit: *In illa summa Trinitate tantum est una quantum tres sunt, nec plus aliquid sunt duae quam una ... Ita et singula sunt in singulis, et omnia in singulis, et singula in omnibus, et omnia in omnibus, et unum omnia*. Suffragatur denique theologica ratio quam ex unitate naturae petit B. Thomas. Nam ubi est alicujus essentia, ibi maxime ipse idem est: Essentia divina est in singulis personis; Itaque singulae personae sunt ad invicem in singulis. Nec quidquid officit relationum oppositio: Non enim dicimus mutuo sibi habitare ratione relationum, sed ratione naturae in qua paternitas, filiatio, ac spiratio passiva sunt. Si autem quaeras quid utilitatis ex hac de circuminsessione disquisitione Theologi percipiant, respondeo valere plurimum ad Sabellianos Arianosque refutandos. *Nam eo ipso, quod ait Christus hunc in illo et illum in hoc videri, identitatem deitatis et unitatem substantiae monstrari dicit: Cum autem alterum in altero inesse asserit, excludi illud; ne quis unum aliquid esse numero putet*, inquit Cyrillus alexandrinus lib. 12. Thesauri.

Quam brevissime nunc de divinarum personarum agemus notionibus. Notio, ubi sermo fit de Trinitate, peculiaris quidam character est quo una persona distinguitur ab alia. Ita paternitas est notio; quoniam per illam, tamquam per peculiarem quemdam characterem, Patrem a Filio et a Spiritu S. secernimus. Dari in divinis notiones solus negavit Praepositivus, ut testis est S. Thomas q. 32. art. 2. ne divina laederetur simplicitas: sed frustra. Quid enim aliud divinarum personarum notiones sunt, nisi peculiares quidam characteres singulas personas exprimentes? Porro et Scriptura, et PP. quaedam adscribunt divinis personis nomina, quosdam characteres unam personam ab alia distinguentes. Ita primae Trinitatis personae nomen Patris, alteri Filii, tertiae Spiritus S. ut unam ab alia distinguant attribuunt. Neque divina laeditur simplicitas nisi nomina haec sensu *complexo* ab essentia distinguantur. Et haec quoad notionum existentiam. Quoad numerum autem, omnes unanimi consensu affirmant quinque admittendas esse divinarnm notiones personarum: *Innascibilitatem* nimirum, et *Paternitatem* in Patre: *Filiationem* in Filio: *Spirationem activam* in Patre et Filio: *et Spirationem passivam* in Spiritu Sancto. Solus Scotus aliorum Theologorum refragatur sententiae sextam admittens notionem, *spirabilitatem* videlicet in Filio. Sed communi Theologorum subscribendum est opinioni. Ideo enim Theologi notiones admittunt in divinis et ut personae ab invicem distinguantur, et ut adversus haereticos numerus statuatur personarum. Verum ad illa duo consequenda quinque dumtaxat, nec plures nec pauciores necessariae sunt notiones; quatuor nempe ad distinguendas divinas personas ab invicem; scilicet paternitas qua Pater a Filio, filiatio qua Filius a Patre, spiratio activa qua Pater et Filius a Spiritu Sancto, et spiratio passiva qua Spiritus S. a Patre et Filio distinguitur. Ad numerum autem trium personarum adversus haereticos determinandum requiritur praeterea innascibilitas. Siquidem ne in divinis plures quam duae statuantur processiones ex quibus tres dumtaxat resultant personae, admittamus oportet unam ex his tribus personis, scilicet Patrem, esse improductam: non enim exprimitur id per notionem, *paternitas*; quum aliquis esse possit alterius pater nec proinde esse improductus.

Remanet ut postremo loco de missione divinarum personarum brevissime disseramus. Missio optime definitur a Theologis: *Processio unius personae ab alia comparate ad aliquem extrinsecum effectum*. Duo quippe missio importat, unius videlicet personae ab alia veluti emissionem quae fit per processionem; et extrinsecum aliquod quod prius non existebat. Ita Filius missus a Patre dicitur ad humanum genus redimendum, quia per generationem a Patre procedit ad mundi exequendam redemptionem quae antea non erat. Rem explicat accuratissime more suo S. P. Augustinus lib. 2. de Trinit. cap. 5. *Si ergo* (Filius) *missus dicitur, in quantum apparuit foris in creatura corporali, qui intus in natura spiritali oculis mortalibus semper occultus est, jam in promptu est intelligere etiam de Spiritu Sancto cur missus et ipse dicatur. Facta est enim quaedam creaturae species ex tempore in qua visibiliter ostenderetur Spiritus S. ... Haec*

operatio visibiliter expressa et oculis oblata mortalibus missio Spiritus S. dicta est. Ex quibus collige quotiescumque in Scripturis vel Patribus sermo de divinarum personarum missioue occurrit, et mentio fit dumtaxat aeternae unius personae ab alia processionis vel tantummodo effectus in tempore producti, tunc missionem describi inadaequate acceptam. Hoc modo interpretandus est Cyrillus alexandrinus cujus loquendi formam alii quoque Patres imitati sunt, ubi affirmat lib. 2. in Johan. aeternam Filii generationem appellandam esse missionem a Patre. Vide Petavium lib. 8. de Trinit. cap. 1. Collige etiam ex dictis, soli Filio ac Spiritui S. non autem Patri missionem convenire, quoniam solus Filius et Spiritus S. procedunt, non autem Pater qui fons est et origo totius deitatis: unde S. P. Augustinus lib. cont. serm. Arian. cap. 4. *Solus Pater*, inquit, *non legitur missus, quoniam solus non habet auctorem a quo genitus sit, vel a quo procedat ... Non enim splendor aut fervor ignem; sed ignis mittit sive splendorem, sive fervorem*. Quod vero Filius mittatur a Patre, non solum patet ex quo a Patre procedat, verum etiam ex sacra Scriptura ubi Christus Johan. cap. 8. inquit: *Et si judico ego, judicium meum verum est, quia solus non sum: sed ego et qui misit me Pater*. Et Apostolus ad Gal. cap. 4. *At ubi venit plenitudo temporis misit Deus Filium suum*. Idipsum intellige de Spiritu S. de quo Johau. cap. 16. Christus ait: *Si autem abiero, mittam eum ad vos*. Et cap. 14. jam dixerat: *Paraclitus autem Spiritus S. quem mittet Pater in nomine meo*. Quod si quis dicat missionem arguere inaequalitatem, inferioritatem videlicet in eo qui mittitur, proindeque in divinis non dari: is de missione imperii proculdubio loqnitur aut consilii quae nequit in Deo locum habere, non de missione originis quam nos in divinis admittimus. Ex missionis denique definitione colligere poteris divinas personas ab iis solis mitti a quibus procedunt; hoc est, Filius quia procedit a Patre, ab ipso mittitur; non autem mittitur vel a seipso vel a Spiritu Sancto; quum neque a seipso neque a Spiritu S. procedat. Ait quidem S. P. Augustinus lib. 2. de Trinit. cap. 5. Filium seipsum misisse: sed missionis nomine effectum illum intelligit quem missionis definitio complectitur, non missionem adaequatam. De hac inquit Christus apud Isai. cap. 61. v. 1. *Ad annunciandum mansuetis misit me*, subintellige secundum humanam naturam.

CAPUT POSTREMUM

De divinis personis in particulari.

Ubi de divinis personis in particulari rerum theologicarum disserunt Tractatores, nil aliud praestare solent quam nomina nonnulla quae eisdem divinis personis singillatim attribuuntur explicare. Et nos qui majorum vestigia sectari studemus, agemus 1. de nominibus quae Patri. 2. de nominibus quae Filio. 3. de illis quae adscribi Spiritui S. solent.

Agentes ergo de nominibus Dei Patris, exponendum occurrit primitus

vocabulum, *Ingeniti*. Quod nos ingenitum appellamus, graece dicitur, vel ἀγένητον, cum unica, ν, a verbo γίγνομαι, *fio*; vel ἀγέννητον, duplicata littera, ν, a verbo γεννάω, *gigno*. Si nomen *Ingeniti* priori accipiatur modo, significat id quod non est creatum seu ab aeterno principio factum: atque ita non Pater modo, sed et Filius et Spiritus S. dici possunt ingeniti. Et hoc sensu revera ingenitum appellarunt Filium Ignatius martyr in ep. ad Ephes. Hippolytus portuensis fragm. 60. Athan. orat. 2. cont. Arian. Gregorius nyssenus lib. 1. cont. Eunom. Tertullianus de carne Christi cap. 5. et alii apud Petavium lib. 5. de Trinit. cap. 1. Si vero posteriori modo, denotat id quod non est genitum, quamvis alia via et ratione sit productum: atque hoc sensu etiam Spiritus S. appellari potest ingenitus, ut illum revera appellaverunt complures Patres, ac praesertim Hieronymus. Sed et alia est penes SS. PP. vocabuli hujus, *Ingeniti*, usitatissima acceptio; quod nempe ille ingenitus sit qui ab alio non per creationem neque per generationem sed neque per processionem ducit originem, sed est per se, et ceterarum quoque rerum est principium. Atque hoc modo *Ingeniti* vocem accipiunt Theologi quando illud aeterno Patri attribuunt. Audias Athanasium in ep. ad Serap. *Non est ingenitus Spiritus S. quia imprincipiatum esse et ingenitum, soli Deo Patri catholica Ecclesia congregata apud Nicaeam recte et fideliter attribuit, et de solo Patre esse credendum et praedicandum toti mundo sub anathemate mandavit*. Basilius quoque in 2. adv. Eunom. *Ingenitum est*, inquit, *quod nullum principium habet neque caussam existendi. Æternum vero quod omni tempore et saeculo, secundum esse, antiquius est. Unde Filius neque ingenitus est, et est aeternus*. Theodoretus lib. 2. cont. Graec. *Sin credimus esse aliquid ingenitum et principio carens atque caussa; credi igitur oportet ex mente existente genitum esse Verbum et processisse Spiritum Sanctum*. Johannes denique damascenus lib. 1. de Fide orthod. scribit: *Etenim Pater caussae sive principii expers est et ingenitus. Non enim est ab aliquo, a seipso enim habet esse ... Sed ipse potius principium est et caussa omnibus, ut sint et ut naturaliter certo modo sint*. Quae cum ita se habeant, nomen *Ingeniti* pro eo quod omni prorsus principio caret acceptum, ut accipere illud consuevere Patres, nomen est notionale et solius Patris characteristicum. Aliquando tamen vocabulum hoc, *Ingeniti*, a prima Trinitatis amoverunt persona: sed in sensu quo intelligebant illud Eunomiani qui in nomine hoc, *Ingeniti*, Dei naturam sitam esse arbitrantes, ita contra catholicam Fidem argumentabantur apud Augustinum lib. 5. de Trinit. cap. 3. Ideo Pater est Deus, quoniam ingenitus est: Filius non est ingenitus, sed genitus: Filius ergo Deus non est. Cui argumento ut satisfacerent Patres, respondebant Patrem non esse ingenitum eo sensu, quatenus nempe Deus est: sed esse ingenitum, prout est persona omni principio carens.

Sequitur ut modo brevissime agamus de vocabulo, *Patris*, quod multis de caussis nomini, *Ingeniti*, praeponendum est. *Etenim vox ista*, *Ingeniti*, ut Athanasius orat. 2. con. Arian. inquit, *in Scriptura non exstat et est*

suspecta, multiplicemque significationem continet: adeo ut si quis de ea interrogetur, in varia distrahi mentem illius necesse sit; Patris vero nomen simplex est, Scriptis proditum, et idipsum verius, ac solum designans Filium. Alias deinde affert caussas cur Patris nomen vocabulo ingeniti sit praeferendum. Patris porro nomen duplici modo sumitur, vel personaliter vel essentialiter. Priori modo soli primae Trinitatis personae quae Verbum genuit, proprie convenit; ac derivatur a *pariundo*, et respondet graeco γενέτωρ, vel γεννητής *a quo partus nascitur*. Hoc sensu Matth. cap. 10. primam Trinitatis personam Patrem suum appellat Christus inquiens: *Confitebor et ego eum coram Patre meo*, hoc est, coram eo qui me genuit. Et cap. 11. *Confiteor tibi Pater*, et alibi quam saepissime. Quod si Patris vocabulum accipiatur essentialiter, idem est ac *Procreator*, et *Sator*, vel filiorum *Altor*; originemque ducit a themate inusitato πάω, latine, *pasco*, *nutrio*; estque nomen singulis Trinitatis personis conveniens; nec primae tribuitur personae nisi per *appropriationem*.

Patris appellationi vox *Principii*, graece ἀρχή, connexa est: quae duplici pariter considerari potest modo, essentialiter et personaliter. Si consideretur essentialiter, non prima dumtaxat, sed singulae Trinitatis personae principium dici debent, quoniam a singulis creatae res esse suum acceperunt. Unde Augustinus noster lib. 5. de Trinit. cap. 14. scribit: *Ad creaturam vero Pater et Filius et Spiritus Sanctus unum principium, sicut unus creator et unus Dominus*. Ast si altero sensu nomen hoc, *Principium*, intelligatur, soli convenit personae Patris. Non quod solus principium sit tam Filii quam Spiritus Sancti; Filius enim et ipse una cum Patre est Spiritus S. principium: sed quoniam ille solus principium est sine principio. *Proprium ejus qui principio caret nomen est Pater*, inquit Gregorius nazianzenus orat. 32. cont. Arian. Hinc Filius ac Spiritus S. a graecis PP. dicti sunt quid principiatum, quamvis ab hoc nomine latini semper abstinuerint, ut S. Thomas 1. p. q. 33. art. 1. observat: *Apud Graecos invenitur de Filio et Spiritu S. dici quod principientur: sed non est in usu Doctorum nostrorum*. Cavendum tamen ne Pater appelletur initium, quemadmodum dicitur principium aliarum personarum: initium enim principium significat durationis temporis, quod locum non habet in divinis.

Etiam *Caussa*, graece, αἴτιον, vel αἰτία, aliarum personarum a veteribus ecclesiasticis Scriptoribus graecis atque latinis dictus est aliquando Pater; quamvis saepius Graeci, rarius Latini eo usi sint vocabulo. Sic enim loquitur Gregorius nazianzenus orat. 24. *Quod si omnia quaecumque Pater habet Filii sunt, excepta caussa; idem quoque Spiritus S. est, si filietatem excipias, quidquid item Filius habet*. Basilius in 1. cont. Eunom. *Vox ipsa Patris quid aliud significat nisi hoc, quod caussa est et principium ejus qui genitus est*? Eadem habent Gregorius nyssenus ad Ablabium, aliique Graeci quibus et Latini quandoque concinunt, ut S. P. Augustinus lib. 83. QQ. Q. 16. dicens: *Deus omnium quae sunt, caussa est. Quod autem rerum omnium caussa est, etiam sapientiae suae caussa est: nec umquam Deus sine sapientia sua*. Et Hilarius lib. 12. de

Trinit. et Victorinus afer lib. 1. adv. Arium. Qui autem ita nominavere Patrem, caussae nomine id quod nos nomine principii significamus intelligebant; unde concilium Florentinum in decr. union. statuit, *Filium esse secundum Graecos quidem caussam, secundum Latinos vero principium subsistentiae Spiritus S. sicut et Patrem*. Et Elias cretensis com. in Gregor. nazian. orat. 24. scribit: *Vocat caussam tam unigeniti Verbi quam Spiritus S. Patrem, non quidem effectricem nec artificialem, sed naturalem: illius nimirum, ut Patrem; hujus autem, ut productorem: sic tamen ut ipse, nec natura, nec tempore, nec ulla alia re procedat*. Quod si caussae nomine eum intelligas qui virtute pollet effectrice et creatrice, tunc Filius quoque et Spiritus S. caussae sunt, licet peculiari quodam modo nomen illud Patri tribuatur, ut ait Basilius lib. de Spir. S. *In horum vero creatione cogita mihi principalem caussam eorum quae fiunt, Patrem: conditricem vero Filium: perfectricem autem Spiritum* etc.

Nomen, *Auctoris*, ambiguum est; et quoniam inaequalitatem videtur in divinis inducere, eo libenter utebantur Ariani. Non defuere tamen nonnulli etiam ex Catholicis qui sensu non malo Patrem Filii auctorem appellarunt, ut Hilarius lib. 9. de Trinit. Phoebadius aginnensis cont. Arian. Prudentius in apotheosi, aliique latini Patres. Ab eo autem abstinuere Graeci, utpote qui nomen non haberent, *Auctoris* nomini correspondens. Nunc vero etiam Pater Filii auctor appellari potest, dummodo ambiguitas a voce tollatur, ut fecit Augustinus lib. 2. cont. Maximin. ubi sic eum alloquitur. *Sed* habet, *inquis*, Dei Filius auctorem Patrem. *Si propterea Deum Patrem Deo Filio dicis auctorem, quia ille genuit, genitus est iste; quia iste de illo est, non ille de isto; fateor et concedo. Si autem per nomen auctoris minorem vis facere Filium, Patremque majorem, nec ejusdem substantiae Filium cujus est Pater; detestabor et respuam*.

Denique vocatur non raro Pater *Deus a se*, quod a nullo alio sit, ab eo autem sint Filius et Spiritus S. Ita Hieronymus in cap. 3. ep. ad Ephes. *Deus vero qui semper est, nec habet aliunde principium, et ipse sui origo est suaeque caussa substantiae, non potest aliunde intelligi habere quod subsistit*. Vocatur etiam *Fons*, *Radius*, *Caput*. Tertullianus lib. cont. Prax. cap. 8. *Nec dubitaverim*, inquit, *Filium dicere, et radicis fruticem, et fontis flumen, et solis radium, quia omnium origo Parens est*. Ambrosius lib. 10: *Dominus Pater quia radix est Filii*. Et in 4. de Fide: *Fons Pater Filius est*. Et Hilarius in carm. ad Leonem Papam: *Tu capitis caput et primi tu fontis origo*. Animadverte tamen ne dicas Patrem, *fontem* et *originem* totius Trinitatis; ex eo enim sequeretur Patrem procedere ex semetipso, quod erroneum est. Hinc jure reprehenditur Harduinus qui comm. in cap. 8. ep. I. ad Cor. v. 8. *Nobis*, inquit, *qui Christiani sumus, unus est propria et excellenti vocis significatione Deus Pater fons sanctissimae Trinitatis, ex cujus benignitate sunt bona omnia*. Et quamvis Worneatiense concilium eadem aliquando usum fuerit, sensu non malo, phrasi; in recentiore tamen Theologo de prava Fide circa Trinitatem suspecto, toleranda minime est. Atque haec de Patris persona sufficiant.

Tribus potissimum insignitur nominibus sanctissimae Trinitatis secunda persona, videlicet, *Filii*, *Verbi*, *Imaginis*. *Filius*, seu υἱός appellatur ex eo quod a Patre procedat per generationem, ut in superioribus diximus. Quare verba illa Matth. cap. 3. *Hic est Filius meus dilectus*; et illa ibid. cap. 16. *Tu es Christus Filius Dei vivi*; et illa alia: *Vere Filius Dei erat*, vere ac proprie de secunda sanctissimae Trinitatis persona intelliguntur, quae quum sola a Patre procedat per generationem, sola Filii nomine debet appellari.

Aliud singulare Filii nomen est, *Verbum*, graece γος, quo illum Scripturae ac Patres vocant. Scripturae inquam, quoniam Johan. cap. 1. Ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ Λόγος, καί ὁ Λόγος ἦν πρὸς τὸν Θεόν, καί Θεὸς ἦν ὁ Λόγος, *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum*. Et v. 14. Καί ὁ Λόγος σαρξ ἐγένετο, *Et Verbum caro factum est*. Et Patres; Tertullianus quippe lib. de praescript. cap. 13. affirmat, *Patrem omnia condidisse per Verbum suum, primo omnium emissum*. Lactantius de divin. inst. lib. 4. cap. 8. *Nulli alii opera Dei sunt nota, nisi Filio soli qui est Verbum Dei*. S. P. Augustinus lib. 9. de Trinit. cap. 12. *Dei Verbum Filium esse nullus Christianus dubitat*. Animadvertendum est autem *Verbi* nomen sumi aliquando a veteribus PP. non notionaliter, sed essentialiter; pro ratione nimirum et intelligentia. Atque hoc sensu Ambrosius lib. de Filii divinit. cap. 5. ait, *Filium esse Verbum de Verbo*, hoc est, Verbum seu Filium procedere de Verbo, scilicet de Patris ratione aut intelligentia. Animadvertendum est item nonnullos Patres Filium appellasse *Rationem*, et *Sermonem*, eo quod graecum nomen λόγος, latine *sermo* seu *ratio*, verti possit. Sed accuratius loquuti sunt qui Filium nuncuparunt *Verbum*, quod nomen internum mentis significat foetum; quum *sermo* vox potius sit extrinsecus prolata, et *ratio* intelligentiam denotare videatur.

Tertium nomen quod Filio et quidem soli propriisime convenit, est *Imago Patris*, εἰκὼν τοῦ πατρός. Ait quippe Apostolus ad Coloss. cap. 1. Ὅς ἐστιν εἰκὼν τοῦ Θεοῦ τοῦ ἀοράτου, πρωτότοκος πάσης κτίσεως, *Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturae*. Et S. P. Augustinus lib. 5. de Trinit. cap. 13. *Dicitur relative Filius, relative dicitur Verbum et Imago*. Potest Imaginis voce designari quoque Spiritus S. si eum ad imaginem dicas, quia refertur ad Patrem, et ei simile est in natura. Ast si imaginem voces, ut revera vocari debet, eum qui a Patre per processionem trahit originem in naturae similitudinem, *Imago* character erit soli Filio conveniens. Ad hoc imaginis nomen complura alia quibus Filius in Scripturis vocatur, referuntur. Puta, dicitur ad Hebr. cap. 1. v. 3. *Splendor gloriae, et figura substantiae ejus*, id est Dei. Sap. cap. 7. v. 26. *Candor lucis aeternae, et speculum sine macula*. Appellatur item *Character*, graece autem χαρακτήρ, quod ad imaginem referri videtur. Appellatur et *Sapientia*, graece σοφία. Infinitus essem si nomina singula quibus altera Trinitatis persona designatur, recensere vellem. Plura unica Ambrosii complectar sententia. *Omnia habemus in Christo: omnia Christus est nobis. Si vulnus curare desideras, medicus est: si febribus aestuas, fons est: si caelum desideras*

via est : si tenebras fugis , lux est : si cibum quaeris , alimentum est : gustate igitur , et videte , quoniam suavis est Dominus : beatus vir , qui sperat in eo .

Multa sunt nomina quibus tertia insignitur Trinitatis persona. Primo appellatur, *Spiritus Sanctus*, graece τό πνεῦμα τό ἅγιον. *Tres sunt*, inquit Johan. in ep. I. cap. v. 7. *qui testimonium dant in caelo , Pater , Verbum , et Spiritus S.* Et Matth. cap. 28. *Baptizantes eos in nomine Patris , et Filii , et Spiritus S.* Observandum tamen venit intelligi Spiritus S. nomine tertiam Trinitatis personam, quando nomen illud in sensu accipimus, ut revera accipiendum est, ecclesiastico. Nam si sensu sumatur grammaticali, etiam Pater et Filius *Spiritus S.* dici possunt, ut S. P. Augustinus in lib. 5. de Trinit. cap. 7. animadvertit. Hinc Filius appellatur Spiritus S. ab Herma lib. 3. similit 5. ab Ignatio in ep. ad Smyrnen. a Justino apol. 2. Irenaeo lib. 5. cap. 1. Phoebadio lib. 3. adv. Arian. Epiphanio lib. 3. adv. haeres. aliisque.

Appellatur deinde *Donum*, δωρεά; unde de Spiritu S. intelligenda sunt Petri verba ad Simonem magum Act. cap. 8. *Quoniam donum Dei*, graece τὴν δωρεὰν τοῦ Θεοῦ, *existimasti pecunia possideri*. Et quamvis tota seipsam dare possit Trinitas, et de Filio legatur Isai. cap. 9. *Datus est nobis*; usus tamen penes sacros ac ecclesiasticos invaluit Scriptores ut, quoties Dei donum proprie nominatur, semper intelligatur Spiritus Sanctus.

Tertio dicitur *Charitas*, seu *Amor*, graece ἀγάπη. *Si ergo proprie aliquid horum trium caritas nuncupanda est , quid aptius quam ut hoc sit Spiritus Sanctus ? Ut scilicet in illa simplici summaque natura , non sit aliud substantia , et aliud caritas ; sed substantia ipsa sit caritas , et caritas ipsa sit substantia , sive in Patre , sive in Filio , sive in Spiritu Sancto , et tamen proprie Spiritus Sanctus caritas nuncupatur*, ait Augustinus lib. 15. de Trinit. cap. 17. Ex quibus resultat, licet Pater et Verbum sint charitas, proprio tamen nomine nonnisi Spiritum Sanctum charitatem vocari, sive quod idem recidit; Spiritus Sancti proprium esse nomen charitatis.

Postremo nuncupatur *Consolator*, παράκλητος, quod super Apostolos descenderit in die Pentecostes; atque in nos quoque ad gratiarum elargienda charismata quotidie descendat. Atque hic tractatiouibus de Uno Trinoque Deo cui sit gloria et benedictio in saecula, finem ponimus.

Finis libri XVIII.

INSTITUTIONUM THEOLOGICARUM

LIBER XIX.

DE ANGELIS.

Inter substantias ratione intelligentiaque praeditas supremum locum occupat Deus, infimum Homo, medium tenet Angelus. De Deo uno in essentia et in personis trino, satis pro instituti nostri ratione disseruimus. Methodus nunc postulat ut in praesentiarum de Angelis, postremo loco de Homine pertractemus: nam angelica creatura omnia cetera quae Deus condidit, naturae dignitate praecedit, ut innuit Augustinus lib. 22. de civ. Dei c. 1. De Angelis ergo disputaturi, nemo miretur si a prolixis illis vanisque disquisitionibus quibus antiqui delectabantur Scholastici, ne tempus in rebus inutilibus teramus, consulto temperare decrevimus. Neque enim sinere possemus ut tyronum ingenia in hypoteticis inanibusque velitationibus dirimendis contorquerenter, quibus ad finem perductis importuna quaedam contradicendi rixandique libido in eorum mente remanet, praetereaque nihil. Sed superfluum existimo plura de hoc argumento praefari; quum studiosa juventus jam ab ipso philosophiae limine subtilitates tricasque scholasticas aspernari didicerit, ut in seriis utilibusque rebus rimandis propria exerceat ingenia. Unde ad rem nostram descendamus.

CAPUT I.

De nomine, definitione, et existentia Angelorum.

Angelus graecum nomen est quod latine significat *Nuncium*; dicente Augustino lib. 5. de Gen. ad litt. cap. 19. *Nuntii autem, graece* ἄγγελοι, *Angeli, dicuntur, quo nomine generali universa illa superna civitas nuncupatur*. Venit autem graecum illud nomen a verbo item graeco ἀγγέλλω, hoc est, *nuncio*, quod vel ab ἀνὰ, *sursum*, et ἐλάω, *moveo, pello*, unde κελεύω *jubeo, impero*, ortum ducit; vel ut aliis placet ab ἀνάγω, *tollo, eveho, in altum fero*; intelligentesque illae substantiae, Angeli, hoc est, *Nuntii*, appellantur, quod a Deo ad voluntates suas annunciandas quandoque mittantur. Ex quo apparet graecum, aut latinum *Angeli* nomen non naturam sed officium significare. Hinc optime Augustinus noster in psal. 103. *Spiritus autem*, inquit, *Angeli sunt; et cum Spiritus sunt, non sunt Angeli; cum mittuntur fiunt Angeli. Angeli enim officii nomen est, non naturae*. Et M. Gregorius hom. 30. in Evang. *Angelorum vocabulum nomen est officii, non naturae. Nam sancti illi caelestis patriae Spiritus, semper quidem sunt Spiritus, sed semper vocari Angelos nequaquam possunt: cum vero mittuntur, tunc solum sunt Angeli*. Imo nec Hebraei, etiamsi contrarium opinetur Estius, proprium Angelorum nomen ha-

bent; quum nuncupentur ab eis saepe מלאכים, *Maluchim*, quae vox et *Nuncios* denotat, et omnibus tribui solet qui mandata exequuntur. Aliquando dicuntur etiam אלהים *Elohim, Dii*; ast hoc quoque vocabulum Angelis aptatum, nomen officii est non naturae maximamque potentiam significat. Quare Dan. cap. 10. Angelus regni Persarum custos qui in nostra latina Vulgata dicitur *Princeps*, appellatur ab Hebraeis *Elohim*. Ad exprimendos Angelos, licet raro admodum, utuntur etiam nomine חשמל *Chasemal*: sed hoc *Electrum*, seu *Ignem* designat. Nomina denique שרפים, *Seraphim*, et כרבים, *Cherubim*, quae peculiaria sunt Angelorum, officium non minus penes Hebraeos significant, non naturam; quippe quorum primum a verbo שרפ, quod est *incendere*, atque *comburere*; alterum autem vel a כרב exprimente *figuram*, vel a Chaldaico רביא, *sicut puer*, quoniam juvenili specie apparuerint, vel a כרוב *Cherub*, quod nil aliud exprimit secundum plures quam volucrem, derivant. Quamlibet ergo linguam consulas sive latinam sive graecam sive hebraicam, nullibi nomen invenies exprimens naturam Angelorum. Quod licet ita se habeat, Scripturae tamen, sanctorum Patrum, Ecclesiae, Theologorumque omnium usu, nomen istud, *Angeli*, non modo officium, sed substantiam quamdam significat spiritualem, quo pronuntiato, eadem substantia menti nostrae obversatur.

Definitur autem Angelus, *Substantia creata spiritualis per se completa*. Dicitur *substantia*, hoc est per se subsistens cui sua attributa et actiones conveniant, non merum accidens aut munus vel officium. Additur *creata*, ut intelligamus esse quidem sublimem quamdam intelligentiam praestantiorem homine, sed supremo Numine inferiorem. Dicitur praetcrea *spiritualis*, quovis videlicet corpore materiaque expers: ut non solum ipse corpus aut materia non sit, sed neque sit corporis forma, ut anima hominis; vel corpore indigeat tamquam instrumento ad actiones suas eliciendas. Ac denique dicitur *completa*, ut ab anima hominis quae et ipsa substantia est creata, et quidem spiritualis, sed minime completa, distinguatur. Est enim anima, non Angelus, substantia cogitans regendo corpori accommodata, ut ab Augustino definitur.

De spirituali ergo hac substantia inquirendum modo est, an in rerum natura revera existat. Nam non defuerunt qui id pracfracte negaverint, nonnulli scilicet gentiles philosophi ac Sadducaei qui ut Lucas in Act. Apost. cap. 8. narrat, dicunt *non esse resurrectionem*, *neque Angelum*, *neque Spiritum*. Dixi nonnullos, non omnes philosophos Angelorum negasse existentiam. Hesiodus quippe et Plato et Thales et Hierocles et alii, quorum nomina paullo inferius dabimus, Angelos existere fassi sunt. Quoniam vero auctoritatem non agnoscunt S. Scripturae, revincentur a nobis argumentis a ratione deductis. Sadducaeos vero qui Moysis admittunt Pentateuchum, (secta enim quaedam sunt Judaeorum;) testimoniis e sacra Scriptura depromptis refutare conabimur. Neque vero ex Pentateucho dumtaxat, sed ex Novo quoque Testamento excerptas sententias afferemus ad refellendos Anabaptistas aliosque recentiores qui licet Angelorum non videantur negare existentiam, testimonia tamen Scripturarum in quibus

vel de bonorum Angelorum custodia, vel de malorum tentationibus sermo occurrit; de bonis aut malis cogitationibus aut alio improprio modo, Sadducaeorum more, interpretantur.

CONCLUSIO I.

Existere Angelos, probabiliter quidem, non autem certa demonstratione, ratione naturali potest suaderi.

Prob. prior thes. pars. Pro Angelorum enim existentia nonnullae militant non spernendae rationes. Et I. Perfectio et ornatus hujus Universi postulat ut, quemadmodum creaturae mere corporeae et creaturae partim corporeae partimque spirituales in eo existunt, ita existant quoque creaturae mere incorporae ac spirituales quales sunt Angeli, juxta allatam definitionem. II. Ejusdem Universi perfectio exigit ut aliqua detur creatura quae Creatori, perfecte magis quam fieri possit, assimiletur: Creatura autem haec videtur Angelus qui intellectu praeditus est ac voluntate sine ulla a corpore dependentia ad Dei similitudinem. III. Ea praestant Energumeni quae vires illorum excedunt; interdum quippe ignotis linguis loquuntur, secreta hominum facinora pandunt, et quae in remotissimis evenere regionibus annuntiant etc. Haec autem nonnisi a bonis vel malis Angelis fieri possunt. Nam nequeunt haec praestari ab hominibus quorum vires excedunt. Neque fieri possunt a Deo; quum quae ab Energumenis fiunt atque dicuntur, per se quandoque mala sint.

Prob. altera prop. pars. Si quae esset ratio existentiam Angelorum invicte demonstrans, ea profecto vel ex Deo, vel ab Angeli essentia, vel ab illius effectibus sumi deberet: Neutra porro ex parte demonstrativa ratio existentiae Angelorum desumi potest. Non ex Deo qui necessariam non habet cum existentia Angelorum connexionem, ut per se manifestum est. Neque ex essentia Angelorum in qua proculdubio minime includitur existentia; quùm solius Dei id proprium sit. Sed neque ex Angelorum effectibus. Nam quae humanae naturae vires excedunt et Angelis attribuntur, vel bona sunt vel mala. Si bona, procedere possunt a Deo. Si mala, vel a viribus naturae quae plus potest quam nos intelligere valeamus; vel ab animabus corpore solutis in quibus major certe quam in animabus corpori alligatis viget potestas. Quare si rationem consulamus humanam, nonnisi probabiliter Angelorum suadere possumus existentiam.

CONCLUSIO II.

Scriptura Angelos bonos vel malos commemorans interpretanda est in sensu proprio et litterali de veris et proprie dictis substantiis spiritualibus et intelligentibus.

Prob. quoad Angelos bonos; nam de malis Angelis agendum infra.

Et primo quidem in Scripturis sermo passim occurrit de Angelis ad homines a Deo missis. Gen. enim cap. 16. legitur: *Cumque invenisset eam* (Agar) *Angelus Domini juxta fontem etc. dixit ad illam: Agar ancilla Sarai, unde venis, et quo vadis? ... Revertere ad dominam tuam, et humiliare sub manu illius*: Tum ibidem cap. 19. *Cogebant eum* (Lot) *Angeli, dicentes: Surge, tolle uxorem tuam, et duas filias, quas habes; ne tu pariter pereas in scelere civitatis ... Eduxeruntque eum, et posuerunt extra civitatem; ibique loquuti sunt ad eum, dicentes: Salva animam tuam*. Cap. autem 24. inquit Abraham: *Dominus Deus caeli ... mittet Angelum suum coram te*. Exo. cap. 23. sic Deus per Moysem loquutus est populo suo: *Ecce ego mittam Angelum meum, qui praecedat te, et custodiat in via, et introducat in locum, quem paravi: observa eum, et audi vocem ejus, nec contemnendum putes, quia non dimittet te cum peccaveris, et est nomen meum in illo*. Machab. lib. II. cap. 15. ita Judas Machabacus Deum precatur: *Tu, Domine, qui misisti Angelum tuum sub Ezechia rege Juda, et interfecisti de castris Sennacherib centum octoginta quinque millia, et nunc, dominator caelorum, mitte Angelum tuum bonum ante nos*. David quoque ps. 90. ait: *Quoniam Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis*. Et Apostolus ad Hebr. cap. 1. cum comparationem inter Christum instituisset et Angelos, ut quanta illius super istos sit eminentia ostenderet, docet Deum dum primogenitum suum, nempe Christum, introduxisset in orbem terrae, dixisse ut hunc adorarent. Ac deinde, *Nonne*, inquit, *omnes sunt administratorii Spiritus in ministerium missi propter eos, qui haereditatem capiunt salutis?*

Exhibet quoque nobis Scriptura Angelos in caelo veluti Dei ministros assistentes ejus throno. Praeclara sunt quae habentur Danielis cap. 7. *Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei*. Angelus Raphael Tob. cap. 12. de se dicebat: *Me misit Dominus, ut curarem te, et Saram uxorem filii tai a daemonio liberarem. Ego enim sum Raphael Angelus, unus ex septem, qui adstamus ante Dominum*. De septem Spiritibus ante thronum Dei stantibus mentio etiam fit Apoc. cap. 1. Porro cum septenarius numerus indefinite positus juxta sacrarum litterarum phrasim pro quocumque magno numero adhiberi soleat, si istud Tobiae et Apocalypsis testimonium cum altero quod occurrit in prophetia Danielis de decies millies centenis millibus comparetur, facile intelligitur septenario Angelorum numero totam eorum universitatem significari.

Rursus, Angeli sunt qui pro nobis Deum obsecrant. Id Raphael loco supra laudato declarat Tobiae, et patet ex cap. 1. Zachariae, ubi haec recensetur Angeli precatio: *Domine exercituum, usquequo tu non misereberis Jerusalem et urbium Juda, quibus iratus es?* Et Apoc. cap. 8. Angelus sub imagine incensi in aureo thuribulo Deo offert orationes Sanctorum.

Tandem, nedum Angeli quae habebant divina mandata, hominibus ad quos missi erant exposuerunt: sed ipsam Dei personam, ipsumque no-

men saepe gerebant. Ex Dei persona et ejusdem nomen gerens loquutus est Angelus qui Moysi apparuit in rubo ardente Exo. cap. 3. *Ego*, inquit, *sum Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob*. Eum revera fuisse Angelum textus innuit hebraicus qui eodem capite versu 2. sic se habet: *Et apparuit Angelus Dei*. Act. cap. 7. lex dicitur data in dispositione Angelorum, et in epist. ad Galatas cap. 3. ordinata per Angelos: quam tamen legem Deum servo suo Moysi in monte Sinai dedisse Exo. cap. 20. narratur. Angeli quoque tres qui ad Abrahamum venerant Gen. cap. 18. Dei nomine vocantur, et illi qui ductor fuit Israelitarum per desertum, imposuit Dominus nomen suum, ut paullo ante notavimus. Quamobrem S. P. Augustinus lib. 3. de Trinit. cap. 11. ait: *Illa omnia, quae Patribus visa sunt, cum Deus illis secundum suam dispensationem temporibus congruam praesentaretur, per creaturam facta esse, manifestum est. Et si nos latet, quomodo ea ministris Angelis fecerit, per Angelos tamen esse facta, non ex nostro sensu dicimus ... sed credimus.*

Jam vero ex huc usque recitatis testimoniis sponte fluit Angelos bonos veras et proprie dictas esse substantias: ac proinde Scripturam dum eorum mentionem facit, in sensu proprio et litterali esse interpretandam. Et reapse, illis actiones tribuuntur quae nonnisi personis in sua natura subsistentibus convenire possunt. Creaturarum enim quae spiritu et intelligentia polleant, tantum est ante thronum Dei consistere; Deo pro nobis orationes offerre; Dei personam nomenque gerere; ad Fideles in terram mitti ut eos praecedant et introducant in paratum locum, ut eorum inimicos interficiant, ut eos custodiant in viis omnibus, in angustiis consolentur, eruant a periculis, ut denique administratorii sint Spiritus in eorum ministerium qui haereditatem capiunt salutis. Allata sanctarum litterarum loca in sensu improprio et metaphorico explicando pessime contorquerentur.

CONCLUSIO III.

Angelos sive bonos sive malos existere, tum ex S. litteris tum ex universa traditione constat.

Veritas primae thesis partis quoad Angelos bonos patet ex dictis; nam si Scriptura Angelos bonos passim commemorans, in sensu proprio et litterali interpretanda est de substantiis spiritualibus et intelligentibus, dubitari nullo modo potest quin ipsi existant: quoad Angelos vero malos patebit ex sequentibus ubi de obsessis a daemoniis sermo fiet. Probatur ergo ejusdem thesis secunda pars.

Plato in suis libris, praesertim in Timaeo, post Deum summum dari demonstrat Angelos quos promiscue et δαίμονας, et θεοὺς appellat. Platonis de Angelis doctrinam illustrat Alcinous, eamque Cyprianus martyr sanctissimus citat in libro de idol. vanitate, ubi asserit et Socratem et Platonem et antiquissimum magum Hostanem, praeter Deum nostrum, *agnovisse Angelos veros sedi ejus adsistentes*. Thaletem quoque milesium An-

gelos admisisse affirmat Athenagoras in apol. pro Christianis. Hierocles in comment. ad carmina Pythagorae, Angelos ab illo celebri philosopho deos immortales nuncupatos, licet a summo Deo conditos, mundanos interpretatur deos quos secundum ordinem unicuique congruentem honorare praecipit. A Clemente alexandrino carmina quaedam recitantur Orphei quae in latinum idioma translata sic sonant.

Throno tuo ignito adstant laboriosi Angeli, quibus curae est quemadmodum a mortalibus omnia gerantur.

Rabinus Maimonides ostendit etiam Aristotelem notitiam habuisse Angelorum: quod de Indis et silvestribus Americanis recentiores narrant historici. Insuper et haeretici primi Ecclesiae saeculi Simon, Menander, Saturninus, Cerinthus, aliique Angelos esse fassi sunt; immo cum superstitiosa Gentilitate honorem eis detulerunt tamquam opificibus rerum omnium adspectabilium. Accedit constans Ecclesiae Fides et unanimis singulorum Patrum consensus. Unum tantum in re manifestissima proferam Augustinum qui in ps. 102. *Angelos*, inquit, *novimus ex Fide, et multis apparuisse scriptum legimus et tenemus; nec inde dubitare fas nobis est.*

Ad objectiones responsio.

Obj. 1. cont. secundam partem 1. propositionis. Argumenta ad ejusdem thesis primam partem demonstrandam producta satis probant Angelorum existentiam: Ergo sola duce ratione Angelos existere demonstrari utique potest. II. Energumeni aliquando, licet debiles et infirmi, ita ad malum agendum corpora movent ut duorum vel trium superent hominum vires. Ast energumeno tanta nequit vis tribui quia infirmus supponitur; tribui non potest Deo, cum energumenus ut plurimum illa utatur ad malum; neque animae a corpore liberae quae virtutem movendi corpora non habet. III. Hinc Platonici, Aristotelici, Stoici, aliique veteres philosophi solo ducti rationis lumine Angelos existere crediderunt.

Resp. ad 1. Nullum ex adductis argumentum demonstrative arguit Angelorum existentiam. Non primum aut alterum; tum quia ex mera Dei deducuntur convenientia, quae non certitudinem sed probabilitatem parit; tum etiam quia non ex necessitate, sed ex libertate Deus conditor est Angelorum, adeoque potuit illos non condere. Deinde, quamvis universi ordo et perfectio postularet ut entia quaedam producerentur spiritualia, nonne absque Angelis anima humana in hoc mundo creata existit, quae et ipsa substantia spiritualis est? Sed neque tertia ratiocinatio invicte demonstrat Angelos existere; cum mira illa quae ab energumenis fiunt, refundi facile queant, ut diximus, in Deum si bona sint; in hominem autem, aut animam corpore solutam si mala.

Ad 2. Posset huic argumento respondere philosophus, animas a corpore separatas vim utique habere movendi corpora. Et quamvis id negent nonnulli, alii tamen concedunt: quod ut dicamus sufficit allatam rationem probabilitatem dumtaxat, non certitudinem praeferre.

Ad 3. Etsi certo ego credam nec Platoni nec Socrati nec aliis priscis philosophis datum fuisse in Pentateuchum Moysis conjicere oculos, ut multi opinantur Theologi, non dubito tamen quin traditio de existentia Angelorum una cum nonnullis aliis Fidei nostrae dogmatibus ad eorum notitiam per successivas aetates pervenerit licet fabulis obvoluta ac deturpata. Quare mirum non est si et ipsi agnoverint Angelos.

Obj. 2. cont. 3. prop. indiscriminatim; quum singula quae hic opponuntur, ad utrasque facile referri possint. I. Moyses cap. 1. Gen. in universi ejusque partium conditione censenda, de Angelorum creatione ne verbum quidem habet. Quod si conditi a Deo fuissent, id procul dubio non omisisset Pentateuchi Auctor ne Judaeis occasionem praeberet suspicandi Angelos non esse a Deo creatos: atque adeo tamquam Deos colendos esse. II. Accedit his quod aliis in locis meminit Moyses Angelorum. Idcirco commemorare illos debuisset in primo quoque capite Geneseos. Alioquin populo suo rudi et ad idolorum cultum propenso caussam dedisset prolabendi in idololatriam. III. Nomen denique Angeli nomen officii est, non naturae. Unde ex Angeli vocabulo quod in Scripturis invenitur, eum esse personam non recte infertur; praesertim cum etiam homines quandoque nuncupentur Angeli.

Resp. ad 1. Non ea sane mente Moyses initio Geneseos Angelorum creationem silentio praeteriit, quod nempe eos existere non existimaret, cum in eodem libro et alibi saepe illorum meminerit: sed vel quia institutum ejus erat rerum dumtaxat corporearum productionem exponere, ut docet Hieronymus epist. 139. vel quia in gratiam scribens Judaeorum rudium atque carnalium, operae pretium duxit de substantiis silere mere spiritualibus, ut observat Chrysostomus hom. 11. in Gen. his verbis: *Judaeis loquebatur, qui toti praesentibus rebus inhiabant, neque spiritale quidquam comprehendere valebant. Itaque eos a sensibilibus ad cognoscendum universi Opificem inducit*. Neque Angelorum reticendo conditionem, occasionem Judaeis praebuit prolabendi in idololatriam. Ii enim utpote cum Ægyptiis diu versati, ad rerum corporearum, puta, solis, lunae, brutorum aliorumque hujus generis cultum more Ægyptiorum proclives erant. Quare ut in veri Dei adoratione constantes retinerentur, non spiritualium sed corporearum rerum recensere debuit creationem. Praeterea dici cum magno Augustino in lib. de Gen. ad litt. potest non meminisse quidem Moysem explicite creationis Angelorum, sed de illa loquutum fuisse implicite. Nam ubi Gen. cap. 1. inquit: *Dixitque Deus: Fiat lux. Et facta est lux*, lucis nomine S. P. intelligit, et in sensu litterali, Angelum. Sed de hac re alibi.

Ad 2. retorqueo in primis argumentum. Nam commemorat Moyses Angelos in aliis Pentateuchi voluminibus, eisque characteres tribuit qui nonnisi rebus per se subsistentibus competere queunt. Credidit igitur Angelorum existentiam. Nec illorum ita meminit ut possent Judaei eos divinis honoribus dignos existimare: ubique enim Dei servos ac ministros appellat. Hinc nullibi legimus Hebraeos coluisse Angelos tamquam deos.

Ad 3. Angelus nomen est utique officii; sed officii ac muneris quod solet a personis exerceri. Etiam nomina regis, judicis, oratoris, militis, nomina sunt officium denotantia: Ast quoniam hae voces personam consignificant cui tribuuntur; non inde bene deduces milites, oratores, judices, reges non esse personas. Similiter et de Angelis loquendum est. Quod postremo loco objiciebatur, sententiam nostram confirmat. Quis namque dixerit homines non esse personas, quod nuncii ac ministri appellentur? Immo vel ex eo colligitur eum qui nuncius est esse personam, quia officium hujusmodi ad personam pertinet.

Obj. 3. cont. easdem 2. et 3. prop. cum Neotericis biblicis. I. Angelus de quo Exo. cap. 23. ipse Deus est cujus nomen in illo erat. Patet id luculenter ex contextu cap. 2. Judicum, et ex rei veritate. Neque enim Angelus, sed Deus eduxit populum suum de Ægypto in brachio forti et extento, et introduxit eum in terram Chanaan. II. Item lex lata in monte Sinai Deum habet auctorem Exo. cap. 19. et 20. attamen in Pauli epistolis ad Hebr. cap. 2. et ad Galat. cap. 3. data dicitur per Angelos. Exo. quoque cap. 3. Deus apparuit Moysi in rubo ardente, et ait illi: *Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob*; quem tamen fuisse Angelum legimus Act. cap. 7. Angelorum proinde nomine Deus significatur. III. Vel designantur ejusdem Dei ira et indignatio, ut ps. 77. aut venti et ignis urens qui eo feruntur quo a Deo mittuntur, uti ps. 103. aut homines, ut Malach. cap. 3. IV. Angelus qui se conspiciendum exhibuit Danieli cap. 10. est Dei Patris unigenitus Filius; quippe quod ibidem eodem plane modo describitur quo Johannes in Apocalypsi cap. 1. repraesentat Christum; similiter et Michael Angelus de quo in prophetia Danielis cap. 10. et 12. quique appellatur princeps magnus stans pro filiis populi sui, et praelians adversus Persarum principem nempe diabolum. Quis autem iste nisi Christus? Nil igitur vetat quominus cetera Scripturarum loca in quibus Angelorum fit mentio, de Deo vel Filio Dei intelligamus. V. Observant nonnulli improvisum et fortuitum eventum juxta veterum loquendi morem Angelum dici. VI. Alii assertas Angelorum visiones fuisse tantum species ac imagines menti hominum objectas. Sic de Angelo Gabriele qui Lucae cap. 1. apparuisse narratur Zachariae, loquitur Paulusius. Ardens vir iste vehemente desiderio accipiendi ab uxore sua Elisabeth filium, templum ingressus est ut secundum consuetudinem Sacerdotii incensum poneret. Quod cum egisset et domus sancta Dei tota impleta esset fumo, scintillis e carbonibus ignis evibratis, sibi cernere visus est Angelum quem et loquentem sibi in aestu phantasiae suae audire existimavit. Angeli etiam, subdit, quos conspexerunt pastores Lucae cap. 2. phosphorica fuerunt phaenomena. VII Tandem si in Scripturis certo deprehenderetur Angelorum existentia, eccur Sadducaei eos existere denegarunt licet Pentateuchi libros tamquam divinitus inspiratos reciperent, ubi Angelorum nomen saepe occurrit?

Resp. ad 1. Ex eo quod in Angelo de quo Exodi cap. 23. Dei nomen dicatur futurum, non recte infertur eum verum non fuisse An-

gelum. Num quia Apostolus in II. ad Corinth. cap. 13. de se dixit, *An experimentum quaeritis ejus, qui in me loquitur Christus*, et non tantum Christi nomen se ferre, sed hunc etiam in se habere alibi asseruit; ideone qui Corinthios alloquebatur, Paulus non erat? Minime. Eodem proinde pacto Angelus ille et Dei nomen gerere poterat et a Deo ipso distingui. Nec aliter laudatus Exodi locus explicandus est. Alioquin Angelum suum missurum israelitici populi comitem et ducem promittens Deus se ipsum missurum affirmasset. Quod et ridiculum et absurdum esse nemo non videt. Nihil autem roboris adjicitur adversariorum argumento ex cap. 2. Judicum ubi legimus: *Ascenditque Angelus Domini de Galgalis ad locum flentium, et ait: Eduxi vos de Ægypto, et introduxi in terram, pro qua juravi patribus vestris*. Deus namque virtute sua multa Hebraeos liberavit ab Ægyptiorum servitute eosque perduxit in terram Chanaan: sed in hoc opere perficiendo uti voluit Angeli ministerio; qui propterea in Dei persona affirmare potuit: *Ego eduxi vos de Ægypto, et introduxi in terram, pro qua juravi patribus vestris*.

Ad 2. eamdem habeto responsionem; quae insuper quoad legem latam in monte Sinai, testimonio confirmatur quod inter alia contra nostram sententiam urgent adversarii, Pauli nempe scribentis ad Hebr. cap. 2. *Propterea*, ait Apostolus, *abundantius oportet observare nos ea quae audivimus, ne forte pereffluamus. Si enim qui per Angelos dictus est sermo, factus est firmus, et omnis praevaricatio et inobedientia accepit justam mercedis retributionem, quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem? Quae cum initium accepisset enarrari per Dominum, ab eis qui audierunt, in nos confirmata est*. Porro inter legem veterem et novam Evangelii instituit Paulus comparationem. Illam dicit datam per Angelos, hanc autem per Christum Dominum. Quod si sermo dictus per Angelos firmus fuit et omnis ejus transgressio justam recepit retributionem et poenam; multo minus, inquit, hanc nos effugiemus, si praecepta salutis violaverimus a Christo nobis tradita. Supponit ergo Apostolus minus esse quod datum per Angelos est, majus vero quod annuntiatum per Dominum Salvatorem nostrum, inspecta hujus prae illis excellentiore dignitate. Jam vero si per Angelos illic Deus intelligeretur, non certe staret instituta comparatio. Cum enim utrobique Deus unus promulgator esset legis, eamdem poenam promereretur qui infringeret legem novam, non secus ac ii qui veterem violarunt.

Ad 3. Non negamus iram indignationem tribulationem a Deo in Ægyptios immissas Angelos vocari malos, uti in psalmo 77; Angelos item ventos et caelestes ignes qui eo feruntur quo a Deo mittuntur, juxta phrasim psalmi 103. *Qui facis Angelos tuos spiritus, et ministros tuos ignem urentem*. Verum quid inde? Ergo ne semper Angelorum nomine in sacris litteris spirituales substantiae non significantur? Ita res se haberet si a particulari ad universale recte argumentatio fieri posset, et nisi ex toto verborum contextu verus Scripturae sensus dignosceretur. Huic innixi principio concedimus quoque illud Malachiae cap. 3. *Ecce ego mit-*

to Angelum meum, et praeparabit viam ante faciem meam, de Johanne Baptista praecursore Domini intelligendum esse: tum quia id clare constat ex sequentibus verbis, *Et statim veniet ad templum suum Dominator, quem vos quaeritis*: tum etiam quia hunc locum de Johanne exposuit Christus apud Matthaeum cap. 11.

Ad 4. Quamvis ultro daremus Angelum qui se conspiciendum exhibuit Danieli cap. 10. eodem plane modo describi quo Johannes in Apocalypsis cap. 1. repraesentat Christum, non tamen sequeretur eamdem esse personam. Enim vero qui Apoc. cap. 1. similis filio hominis dicitur, Christus est verus Dei Filius, cum se ipsum appellet primum et novissimum, viventem in saecula, primam nempe rerum omnium caussam et finem ac ab aeternitate existentem: Angelus autem qui Prophetae apparuit, scilicet Gabriel, non fuit persona divina. Nam 1. missus est a Deo ad Virginem Mariam, Lucae cap. 1. 2. habuit Michaelem alterum Angelum adjutorem sibi adversus Persarum regem. Repugnat autem increatum Spiritum creato indiguisse ut hominem superaret. Et Michael Angelus longe differt ab unigenito Dei Filio quantum a creatore distat creatura. Siquidem de eo scribit Johannes in Apoc. cap. 12. quod pugnaverit cum dracone et eum vicerit propter sanguinem Agni; et Judas in epistola sua catholica, quod altercans cum diabolo non sit ausus ei maledictionem ingerere, *sed dixit: Imperet tibi Dominus*. Ast qui draconem vicit in virtute sanguinis Agni, Agnus profecto non est: quem Christum esse Dei Filium testatur Johannes in Evangelio cap. 1. Qui non est ausus uti maledictis, Filius Dei dici nequit: quem diabolo maledixisse sub typo serpentis narrat Moyses Gen. cap. 3. et maledicturum reprobis in extrema judicii die Matthaeus cap. 25. disserit. Qui denique potestatem in se non agnovit imperandi diabolo, non est nec esse potest Dei Filius cujus imperio ille foras dejectus est. Nec obstat quod in laudata Danielis prophetia cap. 10. et 12. appelletur Michael princeps magnus stans pro filiis populi sui et dimicans adversus regem Persidis. Licet enim princeps iste in sensu allegorico salvatorem Jesum indicare queat, nihilominus in sensu proprio et litterali non est nisi Archangelus Michael, creatus Spiritus, propugnator accurrens, Deo jubente, in judaicae gentis defensionem; cum eam Machabeorum tempore Antiochus Epiphanes, capta urbe per duces suos Ptolomaeum, Nicanorem, et Gorgiam, ac templo prophanato, avitae religioni renuntiare impiissime cogeret. Ad rem consulito Chrysostomum, Josephum Flavium, Scaligerum, Grotium, aliosque.

Ad 5. Tamquam certum supponunt Neoterici biblici quod adhuc probandum eis superest. Improvisum et fortuitum eventum juxta veterum loquendi morem Angelum dici nec demonstrarunt nec demonstrare unquam poterunt.

Ad 6. Si hoc non est Scripturae sensum pervertere bonamque lectorum fidem in pravos errores abducere, quid sit aliud plane me ignorare fateor. Unde didicit Paulusius visum fuisse Zachariae videre Angelum quem reapse non vidit? Ubinam apprehendit rem a Luca narratam cap.

1. totam fuisse in pii senis phantasia, cum e contrario factum talibus communitum characteribus describat Evangelista, ut veram ac realem exhibeat caelestis Spiritus apparitionem Filii nativitatem ex sterili nuntiantis? Quis ei revelavit Angelos qui pastoribus in Bethlehem regione apparuerunt, fuisse tantum phaenomenon phosphoricum, cum idem Lucas apertis innuat verbis quod pastores et canentes eos audierint: *Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis*, et simul monentes ut ad adorandum Christum natum properarent? Numquid hujusmodi phaenomenon nedum pastorum visum, sed et auditum ludificare potuisset?

Ad 7. Paucis me expediam. Sadducaeorum opinio nullos putantium Angelos existere, etsi Pentateuchi auctoritate detinerentur ubi caelestium Spirituum frequens fit mentio, probat solummodo tantam esse humanae mentis superbiam et cordis malitiam, ut contra veritatis lucem palpentur quandoque tenebrae. Luctuosa omnium temporum historia id maxime confirmat. Quodnam catholicae Religionis dogma in Scripturis sanctis luculenter assertum non denegarunt haeretici?

CAPUT II.

De obsessis a daemone.

Obsessos dicimus quos cacodaemon invadit, in illis insidet, eosdem movet, et variis modis pro concessa a Deo potestate vexat. Haec actio daemonis in animam est tantum indirecta immutando immaginationem et sensum, ut S. Thomas 1. p. q. 111. ar. 3. 4. affirmat; cum actio directa solius Dei sit.

Negare obsessorum existentiam summa temeritas ac impietas est: tum quia in sacris libris tam veteris quam novi Testamenti de his passim sermo instituitur: tum etiam quia Patres illa loca explicantes, de veris obsessis intellexerunt, et Ecclesia catholica Exorcistas instituens satis ostendit eumdem sensum approbasse ac retinuisse. Non defuere tamen qui huic veritati contradicere aggressi sunt contendentes eos de quibus loquitur Scriptura, non fuisse vere a daemonibus obsessos sed infirmos: quorum sanatio per Christum nempe et Apostolos facta daemonum appellatur expulsio. Id probatum putant ex communi loquendi more Gentilium et Hebraeorum qui tunc temporis etiam erat in usu. Unde ad adstruendam catholicam veritatem ac adversariorum conatus reprimendos sequentes ponimus propositiones.

CONCLUSIO I.

Juxta morem loquendi etiam Gentilium et Hebraeorum per daemonum obsessionem id plane innuitur quod nos intelligimus.

Prob. Quoad Gentiles sunt manifesta documenta. Lucianus in dialo-

go cui nomen est φιλοψευδής, Jonem philosophum inducit narrantem se syrum quemdam vidisse qui suis exorcismis ab homine daemonem expulerat. Et quamvis hujusmodi factum in risum vertat Lucianus, inde tamen colligitur hanc fuisse fidem non solum vulgi sed etiam philosophorum. Philostratus in vita Apollonii Tyanaei lib. 3. c. 38. narrat Daemonem per juvenem cui insidebat loquutum, se spiritum esse denuncians cujusdam militis qui in bello occubuerat. Tertullianus in apologet. sic provocat Gentilium magistratus ipsosque romani Imperii antistites: *Edatur hic aliquis sub tribunalibus vestris quem daemone agi constat. Jussus a quolibet Christiano loqui Spiritus ille, tam se daemonem confitebitur de vero, quam alibi deum de falso.* Provocasset ne ad istud experimentum Tertullianus Gentiles, nisi pro certo habuisset ab ipsis veram daemonum obsessionem credi ac retineri?

Prob. quoad Hebraeos. Abs re non erit auctoritatem afferre Josephi Flavii, ut ostendamus numquam apud Judaeos hunc loquendi usum obtinuisse, ut nempe daemoniaci dicerentur aegroti. Haec porro ejus sunt verba Archaeol. lib. 8. c. 2. *Concessit Salomoni etiam Deus, ut disceret artem contra malos daemones ad utilitatem et curationem hominum. Et cum incantationes composuisset quibus leniantur morbi, etiam formas adjurationum reliquit quibus victa daemonia ita ejiciunt, ut numquam revertantur ... Vidi enim ex popularibus meis quemdam Eleazarum coram Vespasiano et filiis ejus et tribunis reliquisque militibus ex daemonum potestate ab eis obsessos liberantem. Porro volens Eleazarus illis qui aderant persuadere manifestumque facere quod hanc vim habuerit, non longe ibi collocabat aut poculum aqua plenum aut pollubrum, daemonique imperabat ut homine egrediens illa evertat atque faciat, ut spectantes intelligant quod homines reliquisset. Hoc autem revera facto palam erat Salomonis sapientia ac scientia.* Et lib. 7. de Bello jud. c. 25. narrat in valle vicina Machaerunti plantam crevisse, *Baaras* dictam, tali vi praeditam ut daemonia ex obsessorum corpore expelleret statim ac ejus radix illorum naribus admota esset. Licet istis de herba *Baaras*, de exorcismis Salomonis, de Eleazaro exorcista, solo auctore Josepho, nulla fides adhiberi debeat; attamen ostendunt quaenam de veris daemonum obsessionibus Josepho illius aetatis judaeorum cultissimo ac doctissimo opinio fuerit, quidve super hac re senserint Hebraei.

Deinde per daemoniacos haudquaquam Judaeos aegrotos intellexisse Scriptura demonstratur. Ipsi namque et Joannem Baptistam Matth. cap. 11. et Christum Johan. cap. 7. habere daemonium dixerunt: non quia morbis effectos eos videbant, sed quia venerat Johannes neque manducans neque bibens, et Christus virtute sua magna prodigia patrabat quae tamen ope daemonis fieri arbitrabantur.

CONCLUSIO II.

Ubi Scriptura obsessos a daemonibus commemorat horumque narrat expulsionem, de veris daemoniis intelligenda est, non autem de morbis.

Probatur 1. aliquibus illustrioribus factis.

I. Marci cap. 1. et Lucae cap. 4. narratur Christum ejecisse multa daemonia clamantia et dicentia: *Quia tu es Filius Dei:* quae increpans non sivit loqui. Jam vero si nomine daemoniorum quae Christus ejecit, intelligerentur morbi, malae corporum qualitates clamassent: *Quia tu es Filius Dei*. Quid absurdius?

II. Philippis in Macedonia puella quaepiam fuit spiritum habens Pythonem, idest divinationis, quae dominis suis divinando magnum quaestum praestabat. Cum Paulus Philippos venisset et praedicasset Evangelium, puella haec de Paulo et ejus sociis pluribus diebus publice clamabat: *Isti homines servi Dei excelsi sunt, qui annuntiant vobis viam salutis*. Quod Paulus dolenter ferens spiritui dixit: *Praecipio tibi in nomine Jesu Christi exire ab ea. Et exiit eadem hora*, Act. cap. 16. v. 16. Hic fieri sermonem de vera et proprie dicta obsessione manifestum est. Nam 1. spiritus appellatur cujus vi divinabat puella, et quo expulso jam divinare cessavit. 2. Quia ejectione spiritus puellae domini qui quaestus amiserant spem, Paulum apprehenderunt et duxerunt in forum ad Principes, sicuti constat ex citato loco: quod certe non fecissent, si puellam liberasset Apostolus ab aliqua infirmitate. 3. Cognovit puella Pauli ejusque sociorum characterem excelsum. Numquid morbus quo laborasse supponeretur, hoc ei revelare potuisset? 4. Paulus noluit ferre praeconium a puellae ore procedens. Jam vero, Paulus qui propter gloriam J. C. et veritatem Evangelii quod annuntiabat, optabat quam maxime ab omnibus cognosci et audiri, qua alia ratione aegre tulit se suosque socios a puella proclamari servos Dei excelsos annuntiantes vias salutis, nisi quia hoc praeconium originem a daemone habebat; et non tantum quod indignum existimaret a spiritu mendace sumere testimonium pro veritate Evangelii, sed etiam quod sciret ejus nequitiam qui arte sua mala malum lucrum aliis praestabat?

III. Ephesi praedicante eodem Paulo, cum per ejus sudaria et semicinctia infirmi a morbis suis liberarentur et spiritus nequam ab obsessis expellerentur, Act. c. 19. *Tentaverunt quidam et de circumeuntibus Judaeis exorcistis invocare super eos, qui habebant spiritus malos, nomen Domini Jesu, dicentes: Adjuro vos per Jesum, quem Paulus praedicat. Respondens autem spiritus nequam dixit eis: Jesum novi, et Paulum scio. Vos autem, qui estis? Et insiliens in eos homo, in quo erat daemonium pessimum, et dominatus amborum, invaluit contra eos, ita ut nudi, et vulnerati effugerent de domo illa*. Porro vel per spiritum malum daemon significatur; vel si morbus, tunc dicendum foret, quod antea

veluti rem absurdissimam notavimus, corporis scilicet aegritudinem clamasse: *Jesum novi*, *et Paulum scio*. Reponunt adversarii nomine spiritus intelligendum esse hominem morbo affectum. Sed falso et frustra. Nam 1. spiritus repraesentatur et enunciatur tamquam aliquid ab ipso homine distinctum et in ipso homine existens. 2. admissa veritate Neotericorum ratiocinationis, sequeretur hominem aegrum esse in homine aegro.

IV. Nullum vero factum illustrius est illo quod de duobus daemoniacis refert Matthaeus cap. 8. et narratur etiam a Marco cap. 5. et a Luca cap. 8. ea sola differentia quod Marcus et Lucas de uno tantum loquantur, alterum autem praetereant silentio. Duos hosce daemoniacos ait Matthaeus habitasse in monumentis: et tam saevos ac feroces fuisse, ut nemo prope accedere tuto posset. Marcus illius ferociam describens, inquit saepe compedibus obstrictum et ferreis vinctum vinculis utrosque rupisse semper, nec quemquam eum domare potuisse. Quae sane vires cum humanam excederent potentiam, a daemone proculdubio procedebant infelicem virum fortiter obsidente. Et re quidem vera. Daemoniacus iste coram Jesu in genua procidit et magna voce dixit: *Quid mihi*, *et tibi est Jesu*, *Fili Dei Altissimi? Adjuro te per Deum*, *ne me torqueas*. Unde torqueretur explicat Lucas: *Praecipiebat enim spiritui immundo*, *ut exiret ab homine*. Si spiritus hic immundus daemon non erat sed hominis tantum furor ex alia ortus naturali caussa, quid tormenti homo iste sentire poterat ex solo verbo Jesu Christi praecipientis ut ejus furor cessaret? Rursus, Christo a spiritu immundo quaerente nomen ejus, respondit: *Legio mihi nomen est*, *quia multi sumus*. Ast legionis nomen convenire nullo modo poterat homini furioso, ut ridicule adversarii contendunt. Ergo exprimebat daemonia in obsesso habitantia, et quidem multa, ut idem Lucas declarat. Ergo Christus non hominem furore perditum alloquebatur, sed daemones eumdem obsidentes.

Neoterici ad argumenti vim eludendam asserunt furiosum hunc virum stulte nimis credidisse se a daemonum legione obsideri. Hinc daemonia in ejus tantummodo phantasia existebant. Sed turpiter decipiuntur. Tres namque Evangelistae testantur daemonia intrasse in hominem, et non hominem daemonia sibi insidentes finxisse. Tandem veros daemones laudato in loco designari luculenter constat ex verbis quae apud Matthaeum leguntur: *Daemones autem rogabant eum*, *dicentes*: *Si ejicis nos hinc*, *mitte nos in gregem porcorum*. *Et ait illis*: *Ite*. *At illi exeuntes abierunt in porcos*: *et ecce impetu abiit totus grex per praeceps in mare*, *et mortui sunt in aquis*. Evangelista docet daemones fuisse qui rogaverunt, quique postea in porcos intrarunt. Sed si homo furiosus intelligendus esset nullis obsessus daemonibus, furor quo ille fervebat, sinente Christo, intrasset in porcos? Quod quam absurde diceretur nemo est qui non videat. Scriptura idcirco de vera ac proprie dicta daemonum obsessione non aliter explicanda est.

Probatur 2. thesis auctoritate Patrum. Euthymius monachus zigabenus in magna biblioth. PP. tom. 19. pag. 516. comm. in c. 8. Matth.

sic loquitur de daemoniacis: *Matthaeus duos habet daemoniacos, Marcus et Lucas unius tantum meminerunt, utpote notioris, qui legio dicebatur; de quo formidanda multa dicunt, cui etiam alter subservire dicebatur: propter quod etiam illi eum praeterierunt. Matthaeus vero etiam hunc scripsit tamquam pariter daemoniacum. In sepulchris libenter morantur daemones, pravam opinionem hominibus immittere volentes quod mortuorum animae fiant daemones, sed circa propriorum corporum monumenta remaneant; immo quibusdam adhaereant. Sed nequaquam id orthodoxo persuadebunt.* Et rationem reddens cur Deus illis permiserit demigrare in porcos, ait: *Primum ut discant illi qui liberantur, quot et quales habuerint inhabitatores; deinde ut sciant omnes quod neque in porcos immigrare possent, nisi ille ipsis permitteret; tertio quod atrociora in illis exercerent quam in porcis, nisi etiam in eo quod tyrannice agunt, a Deo impedirentur non permissi facere quae volunt.*

Zacharias Episcopus chysopolitanus in M. B. PP. tom. 19. pag. 795. comm. in Matth. de daemoniacis inquit: *Non velut inscius nomen inquirit, sed ut confessione virtus curantis gratior appareret ...* Et rogabant eum ne imperaret illis, ut in abyssum irent. *Noverant daemones se aliquando mittendos in abyssum recolentes dicta prophetarum.*

Christianus grammaticus in M. B. PP. tom. 15. pag. 112. comm. in Matth. sic scribit: *Occurrerunt ei duo habentes daemonia de monumentis exeuntes saevi nimis. Secundum historiam sic fuit ... Quod autem dicunt*, Venisti ante tempus torquere nos, *sciunt pro certo quia in die judicii arctioribus sunt constringendi tormentis: et propterea quasi servi fugitivi de verberibus solliciti sunt, et pro his deprecantur ...*

Chysostomus hom. 28. in Matth. quaestioni cur Christus Dominus permiserit daemonibus intrare in porcos, respondet, *Primo ut doceret eos qui a malignis hujusmodi tyrannis liberati essent, et quantam perniciem afferrent insidiatores hujusmodi; secundo, ut discerent omnes daemones ne quidem porcos invadere posse, nisi ipse permiserit; tertio, ipsos graviora in homines quam in porcos perpetraturos fuisse, nisi in calamitate per magnam illam Dei providentiam servati fuissent; nam quod magis nos quam bruta animalia odio habeant, nulli non manifestum est. Itaque qui porcis non pepercerunt et in momento temporis omnes praecipitarunt, multo magis hominibus id fecissent.*

Theophilactus in Matth. c. 8. ait: *Occurrerunt ei duo daemoniaci. Dubitantibus illis in navi qualis esset, veniunt daemones praecones. Quamvis autem Marcus et Lucas unum dicant. Tu intellige quod unus ex his duobus fuerit insignior forte. A seipsis autem venerant; nemo enim adducere eos audebat: tam crudeles erant monumentis egressi. Erant autem saevi supra modum. In monumentis versabantur. Daemones dogma quoddam instituere volebant quod animae mortuorum fiant daemones: quod nemo credere debet. Anima enim egressa in mundo non errat.* Tandem S. P. Augustinus lib. 2. de consens. Evangelist. cap. 24. ait: *Quod vero Matthaeus duos dicit fuisse, qui legionem illam daemo-*

num patiebantur quae in porcos ire permissa est, Marcus autem et Lucas unum commemorant: intelligas unum eorum fuisse personae alicujus clarioris et famosioris, quem regio illa maxime dolebat, et pro cujus salute plurimum satagebat. Hoc volentes significare duo Evangelistae, solum commemorandum judicaverunt, de quo facti hujus fama latius praeclariusque fragraverat. Nec quod verba daemonum diversa ab Evangelistis dicta sunt, habet aliquid scrupuli; cum vel ad unam redigi sententiam, vel omnia dicta possint intelligi. Nec quia pluraliter apud Matthaeum, apud illos autem singulariter loquitur; cum et ipsi narrent, quod interrogatus quid vocaretur, legionem se esse respondit, eo quod multa essent daemonia. Vides Patres Scripturae loca ubi de obsessis sermo fit, in sensu proprio et litterali exposuisse, ac proinde veram et proprie dictam admisisse obsessionem.

Prob. 3. thesis nostra ex catholicae Ecclesiae doctrina quae certo tenens daemoniacos existere, utpote qui in sacris litteris recensentur, Exorcistas instituit ut daemones ab iis quos obsedissent expellerent. Exorcistarum nomen et ministerium vel a primis Ecclesiae temporibus viguisse docet sacrosancta Tridentina synodus sess. 23. cap. 2.

COROLLARIUM.

Cum satis superque probatum sit Scripturam sacram obsessos a daemonibus commemorantem horumque narrantem expulsionem, de veris daemoniis intelligendam esse, non autem de morbis ac infirmitatibus corporis; manifeste inde colligitur Angelorum malorum existentia. Res haec est per se evidentissima nec ulla indiget demonstratione.

Solvuntur objecta.

Obj. 1. Daemoniaci de quibus Matthaeus Lucas et Marcus, erant amentes. Commorabantur siquidem in sepulchris, spargebant undique terrorem, mala iter facientibus inferebant, edebant clamores grandes, non utebantur vestimentis, sibi ipsis nocebant, frangebant compedes et catenas. Haec profecto manifestissima sunt insaniae indicia. Quod ex eisdem Luca et Marco confirmatur, narrantibus daemoniacum, postquam a Christo sanatus est, ad sanam mentem rediisse. II. Nec aliter res explicari potest. Si enim quod referunt hi Evangelistae litteraliter accipiatur, manifestam involvit contradictionem. Quippe rogant primo Daemones Jesum ut eos sinat introire in porcos, ne forte jubeat ad abyssum unde venerant iterum descendere, et postea porcos adigunt ut sese praecipitent in stagnum.

Resp. ad 1. Ipsi insaniunt adversarii autumantes miserum hominem cujus Marcus et Lucas congerunt historiam, non a daemoniis fuisse vexatum, sed insania laborasse. Potuisset ne mentis infirmitate actus tantum habere virium et roboris, ut catenas rumperet, confringeret compedes, quemcumque renixum superaret ad instar fumi qui a vento subito dissipatur?

Potuisset magnum porcorum gregem praecipitem in mare projicere et suffocare? Quis unquam talia audivit? Nec mirum post ejus a daemonibus liberationem. pristinam recuperasse sanitatem et quidem mentis: Nam maligni spiritus hominum corpora obsidentes animarum quoque facultates haud raro perturbant. Christus proinde potentia sua expellens daemonia, mentis etiam integritatem restituit quam maligni spiritus obsidendo foedaverant.

Ad 2. Perpendatur paulisper Lucae textus. Duo ibi distinguuntur; precatio prima daemonum vers. 31. ne in abyssum ire cogantur; et hoc eis a Christo concesso, altera ut porcos in monte pascentes ingredi queant vers. 32. non equidem ad vitandas inferni poenas, sed potius ad propriam explendam, saltem indirecte, in homines crudelitatem qui ex porcorum gregis interitu non parum damni capiebant. Neque ex eo quod sues in aquis suffocati perierint infertur daemones illos in abyssum fuisse detrusos; cum in hujus mundi tenebris uti antea permanere potuerint.

Obj. 2. Daemoniaci quorum in Evangeliis fit mentio, infirmi erant et aegroti. I. Talis fuit puer lunaticus apud Matth. cap. 17. qui saepe in ignem, crebro in aquam cadebat; vel ut Marcus ait cap. 9. in terram elisus volutabatur spumans. II. Talis mulier apud Lucam cap. 13. quae habebat spiritum infirmitatis annis decem et octo, inclinata erat nec poterat sursum respicere. III. Eo vel maxime quod suspicari liceat juxta phrasim Evangelicam duo haec vocabula, *aegroti*, et *daemoniaci*, unum eumdemque praeferre sensum. IV. Cum daemoniaci curati dicantur et sanati. V. Ni forte asserere velimus daemoniacos istos imaginarios fuisse; qui scilicet tristi hypocondriae humore affecti insolitis motibus concutiebantur et furebant.

Resp. ad 1. Morbos a caussis naturalibus ut plurimum provenire concedimus; negamus autem in adductis Scripturae exemplis non fuisse a daemoniis. Puer namque lunaticus tunc sanatus est, cum Christus ab eo daemonem ejecit. *Exiit ab eo daemonium, et curatus est puer ille in illa hora*, inquit Matthaeus. S. Marcus ita rem exponit: *Jesus comminatus spiritui immundo est, dicens illi: Surde et mute spiritus, ego praecipio tibi, exi ab eo, et non amplius introeas in eum. Et exclamans, et multum discerpens eum, exiit ab eo, et factus est sicut mortuus, ita ut multi dicerent, quia mortuus est. Jesus autem tenens manum ejus, elevavit eum, et surrexit*. Quid luculentius? Nec reponas puerum vocari lunaticum, quae vox naturalem significat infirmitatem. Respondet enim Chrysostomus hom. 57. in Matth. tali nomine eum appellasse patrem ejus; daemonem per vafritiem secundum lunae cursum invasisse, ut morbus non sibi sed elemento imputaretur.

Ad 2. Veram caussam aegritudinis mulieris quae annis decem et octo inclinata incedebat, repetendam esse a daemonio declarat Christus Jesus magister veritatis, cum Pharisaeos indignantes quod eam curasset die sabbati sic increpat: *Hypocritae unusquisque vestrum sabbato non solvit bovem suum aut asinum a praesepio, et ducit adaquare? Hanc autem filiam Abrahae, quam alligavit Satan ecce decem et octo annis, non oportuit solvi a vinculo isto die sabbati?*

Ad 3. Matth. cap. 4. et 7. cap. 9. et 10. manifesta ponitur distinctio inter daemoniacos et aegrotos, inter potestatem ejiciendi daemonia et virtutem sanationum. Idipsum pariter probe distinguit Marcus qui cap. 1. de Christo loquens inquit: *Et curavit multos, qui vexabantur variis languoribus, et daemonia multa ejiciebat;* et cap. 3. de Apostolis ait: *Dedit illis potestatem curandi infirmitates, et ejiciendi daemonia.* Ubi profecto secernuntur vexati a languoribus a daemonia habentibus. Quamobrem falso dicitur confundi in Evangeliis aegrotos simul et a diabolo oppressos. Et si aliquando communi dictione appellantur, hoc fit non ad denegandam veram daemonum obsessionem, sed ad ostendendum tantummodo morbos plerumque a daemone ducere originem, quatenus ipse est incentor ad peccata, unde aegritudines et alia mala physica tamquam justae poenae proveniunt.

Ad 4. hanc habeto responsionem. Si Matth. cap. 12. et 17. nec non Lucae cap. 8. curati et sanati exhibentur daemoniaci, patet ex toto contextu voces illas in sensu translato sumi, quippe quod ibidem eos sanatos et curatos fuisse innuitur post ejectionem daemonis.

Ad 5. Ad secernendos veros daemoniacos a falsis et imaginariis non desunt signa quae iudicantur in Rituali Romano tit. de exorcizandis obsessis. Ubi inter cetera monita sequens legitur: *In primis, ne facile credat Exorcista aliquem a daemone obsessum esse, sed nota habeat ea signa quibus obsessus dignoscitur ab iis, qui vel atra bile vel morbo aliquo laborant. Signa autem obsidentis daemonis sunt ignota lingua loqui pluribus verbis vel loquentem intelligere; distantia et occulta patefacere; vires supra aetatis aut conditionis naturam ostendere; et id genus alia quae cum plurima occurrunt, majora sunt indicia.* Quando ergo verificantur in aliquo haec indicia, certitudo non deest verae obsessionis. Affirmare proinde daemoniacos omnes imaginarios esse summa temeritas est, eos praecipue qui in Evangelio splendidissimis characteribus describuntur.

Obj. 3. Johannes in Evangelio loquitur saepe de aegrotis a Christo sanatis et numquam de daemoniacis. II. Et Paulus in epist. I. ad Corinth. cap. 12. singula recensens dona miraculorum, illud ejiciendi daemonia alto silentio praeterit. Et bene uterque et recte. III. Nam daemonum obsessio divinam dedecet providentiam. IV. Immo superabundanti et copiosae Christi satisfactioni maxime injuriosa est. Dei providentiam dedecet; quia aliter videretur eum qui omnia gubernat et regit, nullam habere curam de hominibus cum quibus suas esse delicias affirmat. Maxime injuriosa est superabundanti Christi satisfactioni, quia contra eum praevaleret diabolus quem tamen legimus Johann. cap. 12. per Salvatoris passionem et mortem dominatione sua privatum et ejectum ex hoc mundo. Quapropter daemoniorum obsessio fictitia est: et ubi in sacris litteris de daemoniacis sermo occurrit, illarum testimonia explicari debent non in sensu proprio et litterali, sed improprio et metaphorico.

Resp. ad 1. Johannes suum scripsit Evangelium ut quae ab aliis E-

vangelistis praetermissa fuerant recenseret, et praesertim demonstraret adversus haereticos Christi divinitatem. Cum vero Matthaeus Lucas et Marcus crebro et aperte, uti satis jam probavimus, de obsessis a daemone mentionem fecerint, operae pretium existimavit nihil de illis edicere.

Ad 2. Apostolus in I. epist. ad Corinth. cap. 12. implicite enumerat donum ejiciendi daemonia. Laudato enim in loco inquit: *Alii datur operatio virtutum*. Numquid virtutem non operatur qui ab obsessis hominum corporibus daemones expellit? Et hac virtute donatus erat Paulus, quemadmodum legenti cap. 16. Actuum Apostolorum patet.

Ad 3. Deus providentissimus permittere potest ut diabolus saeviat in homines etiam justos hujus vitae aerumnis. Id Jobi historia demonstrat, nec denegant adversarii. Eccur ergo ejus dedecet providentiam ut eorum corpora pervadat? Vel enim isti insontes sunt crimine, et hoc permittit Deus ad exercitationem et meritum; vel peccatores, et hoc permittit ad debitam poenam justamque vindictam.

Ad 4. S. P. Augustinus tract. 52. in Johannem expendens Johannis verba, *Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras*, ita scribit: *Praedicabat Dominus quod sciebat, post passionem et glorificationem suam per universum mundum multos populos credituros, in quorum cordibus diabolus intus erat; cui quando ex Fide renuntiant, ejicitur foras*. En quomodo Salvator noster Christus e mundo expulit diabolum; per Fidem nempe per universum mundum propagatam et per idololatriae destructionem: quibus factum est ut ex multarum gentium cordibus malignus tyrannus ejiceretur, nec ultra ex idolorum delubris mendacia oracula redderet, non vero omnino cessaret daemoniacorum existentia. Nec ideo ipse praevalet adversus Christum qui in Ecclesia sua potestatem reliquit expellendi quovis tempore daemonia.

CONCLUSIO III.

Haberi potest cum hominibus daemonum commercium quod innitatur pacto sive expresso sive tacito inter utrosque inito.

Prob. 1. ex Scripturis. Exod. cap. 7. fit sermo de Magis Pharaonis qui *per incantationes egyptiacas, et arcana quaedam fecerunt similiter* ac fecit Moyses: Lib. 1. Reg. cap. 28. de endorea Pythonissa exercente necromantiam: Act. cap. 8. de Simone mago samaritano, et cap. 16. de puella habente spiritum Pythonem cujus vi artem divinatoriam exercebat.

Prob. 2. auctoritate Scriptorum. Eusebius praeparat. Evangel. lib. 5. cap. 10. *Jam vero*, inquit, *non alios ab initio maleficae artis magistros quam ipsamet egregia numina fuisse constat. Qui enim isthaec homines aliter nosse potuissent, nisi daemones iis res ipsi suas aperuissent, et quibus quisque vinculis constringantur, indicassent?* Quod confirmat testimonio Porphyrii qui in lib. de oracul. haec habet: *Neque tantum instituti sui rationes aut cetera quae a nobis commemorata sunt, verum etiam quibus ipsi dii rebus aut delectentur aut vinciantur, immo*

quibus etiam cogantur, *indicarunt*. S. P. Augustinus lib. 2. de Doctr. christ. commemorat *consultationes*, *et pacta quaedam significationum cum daemonibus placita*, *et foederata*, *qualia sunt molimina magicarum artium*. S. Hieronymus in vita S. Hilarionis refert virginem a Philtro liberatam.

Prob. 3. Consensu omnium populorum qui semper tali commercio fidem adhibuerunt; ut videre est apud Bergier dict. Theol. art. *Daemoniaque*, aliosque.

Prob. ultimo ratione. Existunt daemones et quidem maleficae indolis; ergo non est impossibile, Deo permittente, ut pacta cum pessimis hominibus ineant et multa mirabilia operentur ad eorum perniciem.

CONCLUSIO IV.

Leges quae damnant superstitiosa cum daemone commercia valde utiles sunt et justae.

Leges divinae hujusmodi commercia reprobantes continentur in Exod. cap. 22., in Levit. cap. 19. et cap. 20., in Deut. cap. 18. Leges Ecclesiae recensentur et in celebri constitutione Innocentii VIII. data an. 1484. et in const. Sixti V. *Caeli*, *et terrae Creator*, et in const. Gregorii XV. *Omnipotentis Dei*, et alibi. His paucis praemissis probo propositionem brevissime.

Valde utiles ac justae sunt leges quae prohibent ac damnant horrendum crimen. Quis autem denegat commercium cum daemone crimen esse gravissimum et horribile non solum si reapse existat, verum etiam si mente conceptum sit et imaginarium? Utiles insuper et justae sunt leges quae coercendae impiissimorum hominum audaciae mirifice prosunt, quaeque feruntur ad tuenda Religionis negotia et civilis Reipublicae incolumitatem servandam ac promovendam. Nemo inficias ibit tales esse leges sapienter latas contra habentes cum diabolo commercium. Nefarii enim homines qui hujusmodi superstitiosis ac sacrilegis artibus dant operam, et Religioni nocent, cum idololatriae et polytheismi labe ut plurimum se polluant; et civili obsunt societati cum illas plerumque exerceant vel ad aliorum perniciem vel ad rudes et credulos decipiendos in re gravissimi momenti.

Solvuntur objectiones.

Obj. I. Magia et variae ejus species quae hominum cum daemone commercium supponunt, inter aniles fabellas sunt recensendae; II. praesertim cum philosophia doceat physicorum ac moralium malorum congeriem quae rudes ac superstitiosi ad artes magicas referre solent, non a malo genio, diabolo nempe, provenire: sed a pravis animi cupiditatibus quae rectae rationis imperio obedire detrectant. Leges proinde contra magos et maleficos latae inutiles prorsus sunt. Immo et perniciosae et inju-

stae putari debent. III. Perniciosae quidem cum superstitiones diu foverint ansamque praebuerint turpissimis facinoribus: IV. injustae vero, quia ut patet ex luctuosis historiae monumentis, hujusmodi legum rigore tot innocentes victimae sive ferro sive rogo sive aliis immanibus suppliciis interiere.

Resp. ad 1. Quamvis magia et variae ejus species fabulam redolerent, (quod tamen merito negamus, quippe satis supra probavimus dari posse impiorum hominum cum daemone commercium) leges in magos et maleficos latae, essent semper valde utiles; cum omnibus compertum sit innumera mala et quidem gravissima a falsis et erroneis opinionibus interdum prodire. Constat id luculenter ex haereticorum fanatismo, aut ab interpretatione ad libidinem conficta Scripturae sacrae, aut ab inanibus revelationibus et inspirationibus orto. Ut alios silentio praeteream, commemorare sufficiat Donatistas et Circumcelliones. S. P. Augustinus in suis libris passim narrat eorum rabiem in Catholicos quos crudelissime divexarunt. Sicut ergo nullus sanae mentis leges reprobare auderet ad illos fanaticos compescendos constitutas; ita nemo damnare jure posset leges quibus facinora quae juxta adversariorum hypothesim ex falsa magia ducunt originem coerceantur.

Ad 2. Non certe philosophia sed Religio christiana tenebras dissipavit lucemque attulit mundo, ut quisque vel hoc inter cetera cognosceret, nihil posse daemones absque Dei nutu. Antequam Evangelium propagaretur, altas in populis radices fixerat superstitio quae viget adhuc apud Indos idololatras, maxime Peguanos. Norunt Eruditi veteres sapientes aliis superstitiosiores et in magia peritiores extitisse. Qui veram super hac re doctrinam exposuerunt ac rudes gentes revocarunt ab exercendis artibus magicis, viri fuere ecclesiastici. Quapropter arroganter nimis recentiores philosophi sibi vindicare autumant quod totum tribui debet Religioni, unde rectam judicandi regulam et ipsi hauserunt.

Ad 3. Confidenter negamus quod gratis asseritur. Non superstitiones ex legibus, sed ex superstitionibus leges repetendae sunt. Tunc enim istas tulit et promulgavit ecclesiastica ac civilis potestas, cum jam illae in grave damnum privatae et publicae incolumitatis in dies excrescere et ubique dilatari viderentur. Anne seditiones furta stupra homicidia adulteria aliaque crimina ex legibus contra eadem prolatis orta fuisse dicendum est? Qui hoc affirmaret, ludibrio exciperetur et cachinuis.

Ad 4. Nulla est lex tam sancta tam justa qua homo sive ignorantia obcaecatus sive praejudiciis abreptus ac pravis animi motibus, sive male perpendens personarum temporum locorum circumstantias, sive alia quacumque caussa ductus abuti quandoque nequeat. Contingere idcirco potuit ut plus semel innoxii poenas reis debitas luerint. Sedulo tamen animadvertendum hic est eos qui supplicio plectebantur, etsi solo imaginationis aestu laborarent, non autem verum haberent cum daemone commercium, aliis fuisse obstrictos sceleribus de quibus longe facilius convinci poterant.

CAPUT III.

De natura Angelorum.

Tria praecipue disquisitio de natura Angelorum complectitur, spiritualitatem seu cujusvis materiae carentiam, immortalitatem, atque unius ab alio differentiam. Atque ut priorem partem ea qua par est perspicuitate assequamur, animadverto tribus modis ens aliquod dici posse spirituale. 1. Quatenus ens non est corpus, hoc est, partibus non constat nec extensione. 2. Prout non est corporis alicujus forma, ut est anima humana quae tametsi ipsa corpus non sit nec partibus componatur, appellari tamen posset non spiritualis eo sensu quod ad regendum corpus a Deo condita sit. 3. Ens dicitur spirituale ex eo quod non modo corpus non sit nec corporis forma, sed etiam quod nullimode corpore tamquam instrumento indigeat ad proprias sibi connaturales actiones exercendas.

Non una semper fuit circa Angelorum spiritualitatem veterum Theologorum sententia. Nonnulli siquidem tam graeci quam latini Patres, platonicis imbuti principiis existimarunt illos esse corpora aut corpora naturaliter unita habere; non quidem crassa ac palpabilia ut nostra sunt, sed levia, subtilissima quae sub sensus minime cadant. In horum album referendi sunt Justinus martyr, Clemens alexandrinus, Methodius, Origenes, ex Graecis: ex Latinis antem, Tertullianus, Ambrosius, Athenagoras aliique paucissimi. Sancti vero Augustinus et Bernardus qui animam hominis spiritualem esse ubique defendunt, de spiritualitate Angelorum ob antiquorum Patrum auctoritatem nihil definite pronuntiare voluerunt, sed dubie fere semper loquuti sunt. Ceteri demum Ecclesiastici scriptores maxime post Lateranense 4. concilium absolute pronuntiant Angelos esse natura undequaque spirituales.

Ut alterum controversiae caput de immortalitate seu incorruptibilitate Angelorum intelligatur, accuratam immortalitatis seu incorruptibilitatis notionem habeamus necesse est. Res ergo immortalis dicitur tribus modis. 1. Absolute, quatenus videlicet omni sive intrinseco sive extrinseco principio caret quod rem destruere possit. Hoc sensu solus Deus immortalis est et indefectibilis: Dei siquidem essentia ex intrinsecis suis repugnat ut mori vel corrumpi possit; quum nullum detur extrinsecum principium quod velit aut possit illius essentiam destruere. 2. Hypotetice, quatenus nullam ad mortalitatem et corruptionem inclinantem habet intrinsecam potentiam; quamvis Deus ab extrinseco per absolutam virtutem suam possit si velit rem illam in nihilum redigere. Hujus generis immortalitatem habet anima humana quae ex hypotesi quod Deus talem ei tribuerit essentiam quam revera tribuit, ex intrinsecis suis ad non esse non inclinat; potest autem Deus per absolutam potentiam illam destruere. 3. Res immortalis dicitur ex sola Dei gratia ac liberalitate, quatenus licet ex intrinsecis non exigat immortalitatem, vivet nihilominus semper et existet. Hac ratione fuisset Adam immortalis si non peccasset. Non quod ex intrinsecis suis non posset non mori, sed quia ex Dei gratia numquam fuisset moriturus.

Nullus Catholicorum ambigit quin hoc postremo sensu Angeli sint immortales: semper enim vivent nec umquam interibunt, quidquid Lutherani blaterent affirmantes et Angelos et hominum animas finem habituros quoniam habuerunt initium. Certum praeterea est Angelos immortales non esse priori sensu; tunc siquidem non a Deo sed a seipsis proprium haberent esse. Controversiae itaque cardo inter Theologos in hoc consistit, an illam quam habent Angeli immortalitatem habeant ex ipsa natura a Deo accepta, an vero ex singulari quodam Dei beneficio. Quod idem est ac si inquiramus an natura quam dedit Deus Angelis sit per se vel per superadditum beneficium immortalis. Gabriel, Ochamus, Vasquez, aliique pauci putant Angelos ex superaddito beneficio, non ex natura esse immortales. Contrarium post S. Thomam nostrumque Gregorium plerique Theologi tenent.

Paullo difficilior quamvis minus utilis est tertia quaestionis pars, an Angeli nimirum inter se differant specie. Pro qua resolvenda animadvertendum est plures esse ordines Angelorum: *Esse itaque Sedes, Dominationes, Principatus, Potestates in caelestibus apparatibus firmissime credo*, scribit S. P. Augustinus in lib. cont. Priscil. cap. 11. Ajunt ergo nonnulli tot esse inter se diversas Angelorum species quot eorumdem sunt ordines Angelorum. Tenent alii post S. Thomam singulos Angelos singulas constituere species; et impossibile esse ut unica species plures complectatur Angelos. Plerique tamen arbitrantur unicam esse singulorum ordinum speciem atque inter se differre ordine, munere, dignitate. His ita breviter explicatis ad priorem modo redeamus controversiae partem.

CONCLUSIO I.

Natura Angelorum corporea non est sed spiritualis; et quidem prout non constat ex spiritu et corpore; et quatenus corpore tamquam instrumento non indiget ad proprios eliciendos actus.

Prob. prior prop. pars. I. ex sacra Scriptura. Apostolus in ep. ad Ephes. cap. 6. malos Angelos appellat spirituales potestates per oppositionem ad rem corpoream: *Non est nobis colluctatio adversus carnem, et sanguinem: sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae, in caelestibus*, hoc est aereis. II. ratione. Angelorum natura intelligens est et volens. Corpus autem nec velle nec intelligere potest; quum capax sit qualitatum dumtaxat sensibilium ut sunt motus, quies etc. unde Angelorum natura corporea non est.

Prob. altera prop. pars. I. Scripturis. Psal. 103. legitur: *Qui facis Angelos tuos Spiritus*: quae verba non de ventis sed de Angelis intelligi declarat Apostolus ad Hebr. cap. 1. inquiens: *Et ad Angelos quidem dicit: Qui facit Angelos suos Spiritus, et ministros suos flammam ignis.*

Et ibid. Apostolus addit: *Nonne omnes sunt administratorii Spiritus?* Lucae cap. 10. *Spiritus vobis subjiciuntur*, Angeli videlicet mali de quibus loquentes discipuli versu 17. superiori dixerant: *Domine, etiam daemonia subjiciuntur nobis in nomine tuo*; et de quibus iterum loquens Lucas cap. 11. ait: *Cum immundus Spiritus exierit ab homine ... vadit, et assumit septem alios spiritus secum nequiores se*. Similia occurrunt passim in utroque Testamento. Angeli ergo in sacris litteris appellantur, et quidem absolute absque ullo superaddito, Spiritus, ut ex recitatis apparet. Porro Spiritus sic nuncupatus non est substantia ex spiritu et corpore composita tamquam ex forma et materia, ut supremi Spiritus exemplo patet qui ex quo spiritus absolute vocetur Johan. cap. 4. *Spiritus est Deus*; ita purus Spiritus est ut corpus omne prorsus excludat. Neque enim dici potest Angelum spiritum vocari per synecdochen, partem pro toto sumendo; quum Scriptura de eo veluti de completa substantia ubique loquatur; nec ullibi umquam verbum inveniatur quod ostendat sacram Scripturam Angelum appellare spiritum, ut unam Angeli partem altera relicta designet. II. Ex Conciliis. In Nicaeno II. concilio act. 2. Fidei symbolum recitatum est a Sophronio in quo appellantur Angeli creaturae rationales et mere intellectuales. Et act. 4. *Veneramur imagines incorporeorum Angelorum, utpote qui etc.* Lateranense IV. cap. 2. ait: *Creator omnium qui sua omnipotente virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem, et corporalem, Angelicam videlicet et mundanam; ac deinde humanam, quasi communem ex spiritu et corpore constitutam*. III. Ex PP. Ignatius martyr in ep. ad Trallian. appellat *caelites* ἀσωμάτους φύσεις, *incorporeas naturas*. Gregorius thaumaturgus hom. in Theopan. tradit, *Angelos incorporeas esse virtutes*, ἀσωμάτους δυνάμεις. Gregorius nyssenus orat. 4. in Dominicam, *Omnis*, inquit, *rationalis natura dividitur in corpoream et incorpoream*. *Incorporea est Angelica natura*; *altera nos sumus homines*. Gregorius nazianzenus orat. 34. affirmat substantiam Angelicam esse *intelligibilem et incorpoream*. Eusebius caesariensis in 4. dem. Evang. cap. 1. vocat Angelos *incorporeas quasdam et intelligibiles ac divinas virtutes*, *Angelos et Archangelos*, *materia carentes*, *et puros omnino spiritus*. Chrysostomi, Basilii, Theodoreti, Procopii, Auctoris de cael. Hierar. ejusque commentatoris Maximi martyris testimonia vide ap. Petavium lib. 1. de Ang. cap. 3. Quoad Latinos, Marius Victorinus lib. 4. cont. Arian. appellat *Angelos*, *Archangelos*, *Thronos*, *Glorias*, *ceteraque quae supra mundum sunt*, *incorporea*. Gregorius M. lib. 4. moral. cap. 9. scribit: *Angelus namque solummodo spiritus*; *homo vero spiritus est et caro*. Leo item M. in ep. ad Thurib. cap. 6. inquit: *Veram fidem omnium creaturarum sive spiritualium sive corporearum bonam confiteri substantiam*. Brevitati studens reliquos omitto Patres. IV. Rationibus. 1. Angeli specie proculdubio differunt ab hominibus: Non differrent autem si corpus levissimum etiam ac substilissimum haberent. 2. Deus mundum in suo genere perfectum condidit: Sunt in mundo entia mere corporea, ut lapides, ligna etc. sunt entia quoque ex spiritu et corpore mi-

xta, ut sunt homines: Par ergo videtur ut ens mere spirituale qualis est Angelus in universo comprehendatur. 3. Si Angeli corpora sibi naturalia gestarent, quoties e caelo in terras descendunt, aeris partes sine ingenti sonitu ac strepitu secare non possent, quum maxima moveantur celeritate. 4. Percipi nequit quomodo integra daemoniorum legio in energumeni corpore esset, ut habetur Lucae cap. 8. si Angelis corpus esset etiam tenuissimum.

CONCLUSIO II.

S. P. Augustinus solum dubitanter asseruit Angelos esse corporeos.

Prob. Quamvis S. Doctor pluribus in locis Angelis corpora tribuat, pluribus tamen in locis revera de hac re nutat et anceps est. Sic lib. 21. de civ. Dei cap. 10. quaerens quomodo corporalis ignis adurat malignos spiritus, id est daemones, haec profert: *Nisi quia sunt quaedam sua etiam daemonibus corpora, sicut doctis hominibus visum est*, (Nota illum hic loqui in aliena sententia) *ex isto aere crasso atque humido ... Quod genus elementi si nihil igne perpeti posset, non ureret fervefactus in balneis. Ut enim urat, prior uritur, facitque quod patitur. Si autem quisquam nulla habere corpora daemones asseverat, non est de hac re aut laborandum operosa inquisitione, aut contentiosa disputatione certandum. Cur enim non dicamus, quamvis miris, tamen veris modis etc.* Et rursus n. 2. *Dicerem quidem sic arsuros sine ullo suo corpore spiritus etc.* Et iterum: *Cruciabit corpora damnatorum, aut et hominum et daemonum, solida hominum, aëria daemonum; aut tantum hominum corpora cum spiritibus, daemones autem spiritus sine corporibus etc.* In ep. 95. alias 250. ait: *Sive habeant Angeli corpora, sive quisquam possit ostendere, quemadmodum corpora non habentes gerere illa omnia potuerint etc.* In lib. 3. de Genesi ad litteram cap. 10. *Si autem transgressores illi antequam transgrederentur, caelestia corpora gerebant.* In Enchiridion cap. 59. *Itemque Angeli quis explicet cum qualibus corporibus apparuerint hominibus ... Cum ista quaeruntur, et ea sicut potest, quisque conjectat, non inutiliter exercentur ingenia, si adhibeatur disceptatio moderata, et absit error opinantium se scire quod nesciunt. Quid enim opus est, ut haec atque hujusmodi affirmentur vel negentur vel definiantur cum discrimine: quando sine crimine nesciuntur.* Eadem repetit in lib. 15. de civ. Dei cap. 25. et alibi saepe. Imo Angelos appellat aperte spiritus enarrat. in ps. 103. *Spiritus autem Angeli sunt ... Quaeris nomen hujus naturae, Spiritus est; quaeris officium, Angelus est.* Idipsum repetit lib. 1. retract. cap. 2. Dubius itaque exstitit Augustinus circa corpus Angelorum: et prudentissime quidem, quoniam reverebatur quam maxime veterum auctoritatem Scriptorum in quorum operibus Angelis esse corpora legebat. Sed vide de hoc augumento Norisium nostrum Vindic. cap. 4. Tandem talia magnus Doctor tradit quae

dubitationem de corpore Angelorum se abjecisse demonstrant. Nam in lib. 1. retract. cap. 11. quaedam retractans quae scripserat lib. 6. de Musica cap. 17. ait: *Angelorum autem sanctorum nomine, omnem sanctam creaturam spiritalem, in Dei secreto atque occulto ministerio constitutam nunc appellaverim: sed Spiritus angelicos sancta Scriptura nomine animarum significare non solet. Proinde in eo quod circa finem libri hujus dixi*, rationales et intellectuales numeri beatorum animarum atque sanctarum legem ipsam Dei ... nulla interposita natura excipientes etc. *non video quemadmodum vocabulum animarum secundum Scripturas sanctas positum possit ostendi: quandoquidem heic nonnisi Angelos sanctos intelligi volui, quos habere animas nusquam me legisse in divinis eloquiis canonicis recolo*. Quare si Angelus non habet animam; non est igitur quoddam ex corpore ac spiritu compositum: proindeque nisi S. Doctor dubium abjecisset, dicendum foret existimasse Angelos naturam habere undequaque corpoream; *Sed non est verisimile, tanto viro persuaderi potuisse nihil Angelis inesse praeter corpus*, ut optime observat Petavius lib. 1. de Angel. cap. 3. Existimaverit igitur nihil Angelis inesse praeter spiritum. Sed haec probabiliter tantum dicta sunto. Illud pro certo tenendum S. Patrem nonnisi dubitanter de Angelorum corpore disseruisse.

SCHOLION

Quamvis nonnulli testimonio innixi Lateranensis IV. concilii superius laudati fidenter affirment sententiam de Angelorum spiritualitate esse inter Fidei dogmata recensendam, plerique tamen contrarium defendunt. Et jure quidem. Nam licet allata proxime argumenta suadeant, non persuadent tamen Angelos esse absolute incorporeos. Et sane: Argumentum ex Scriptura deductum, quod nempe Angeli crebro vocentur spiritus, facile solvi potest hisce Augustini verbis quae ep. 95. occurrunt: *Facilius enim videri potest sic esse Spiritus Angelos dictos, ut homines animas, sicut scriptum est cum Jacob in Ægyptum tot animas descendisse (neque enim corpora non habebant)* etc. Concilia pariter nullo negocio explicantur. Nam Fidei professio a Sophronio concilio II. Nicaeno exhibita nil aliud adstruit nisi Angelos esse creaturas intellectuales. Ast idipsum nonne quoque cui proprium inest corpus dici potest? Multominus persuadent id subsequentia, ut ex dicendis in argumentorum solutione apparebit. Concilium certe Lateranense IV. non ideo convocatum fuit ut controversia haec dirimeretur, sed ad damnandos Albigenses qui Manichaeorum more Deum rerum omnium creatorem esse praefracte negabant. Et ex quo appellet Angelos creaturas spirituales et incorporeas non aperte negat habere illos corpora levissima ac tenuissima, ut S. Thomas de malo Q. de daemon. art. 1., Sixtus senensis lib. 5. bibliot. S. An. 8., et Estius observant. Quoad Patres, etsi complures tradiderint Angelos esse prorsus incorporeos, non pauci tamen extiterunt qui in contrariam abiere sententiam, ut ex dicendis paullo post constabit. Multo minus id demonstrant rationes. Nam. 1.

utique Angeli specie ad invicem differrent ab hominibus etiamsi corpus illis inesset: homines quippe corpus habent crassum ex pluribus elementis compactum; Angeli vero tenuissimum haberent ex solo conflatum aëris elemento.. 2. Deus universum condidit perfectum, sed ea perfectione qua voluit; unde falsum est deesse mundo perfectionem si Angeli non sint spirituales. 3. Si supponamus Angeli corpus diversi esse a nostro generis, poterunt utique absque strepitu ac sonitu aëtem findere, ad hominesque descendere. 4. Denique legio daemoniorum a Luca commemorata quamdam indicat indefinitam multitudinem, neque divinare nos possumus cujus quantitatis esset cujusque Angeli aëreum corpus. Liquet itaque doctrinam de spiritualitate Angelorum esse utique certam, non autem de Fide.

CONCLUSIO III.

Sed de Fide est eo sensu Angelos esse immortales, ut in perpetuum sint extituri; quum immortales sint ex intrinsecis suis.

Prob. prior thes. pars. In sacris litteris apertissime legitur Angelos eo sensu esse immortales, ut in perpetuum sint extituri. Etenim Lucas cap. 20. de animabus justorum scribit: *Neque enim ultra mori poterunt: aequales enim Angelis sunt*. Et reprobis dicturus est Christus in extrema judicii die: *Ite in ignem aeternum paratum diabolo, et Angelis ejus*. Porro quod expresse in Scripturis continetur Fidei dogma est.

Prob. altera pars prop. Ea substantia ex intrinsecis suis est immortalis quae intrinsecam nullam potentiam habet inclinantem se ad non esse. Ejusmodi porro est angelica substantia. Nam quod corporeum non est, non habet extensionem. Quod non est extensum partibus caret. Quod non habet partes solvi non potest. Quod dissolubile non est nequit corrumpi et inclinare se ad corruptionem. Quare est in Angelis immortalitas ex intrinsecis suis. Hinc Auctor de divin. nom. lib. 2. cap. 4. inquit: *Intellectuales substantiae indeficientem, et imminorabilem vitam habent*. Maximus martyr in II. ep. ad Cor. *Quae videntur*, ait, *temporalia sunt, quae autem non videntur aeterna*. Complures aliorum PP. sententias vide ap. Petavium lib. 1. de Angelis cap. 5.

SCHOLION

Ad discrepantes Patrum sententias conciliandas animadverte tribus modis Angelos dici posse mortales. 1. Quod mutationi sint obnoxii; moveri siquidem possunt de loco in locum, de operatione in operationem transire; et alii qui justi erant, mutati revera sunt in malos. *Ipsa mutabilitas non inconvenienter mortalitas dicitur, secundum quam et anima dicitur mori: non quia in corpus vel in aliquam alteram substantiam mutatur et vertitur; sed in ipsa sua substantia quidquid alio modo nunc est ac fuit; secundum id quod destitit esse quod erat, mortale depre-*

henditur, ut lib. 2. de Trinit. cap. 9. scribit S. P. Augustinus. 2. Quatenus a Deo per absolutam potentiam suam redigi possunt in nihilum. Quo sensu ait Damascenus lib. 11. de Fide orth. cap. 6. *Immortalis est Angelus, non natura, sed gratia; nam quidquid initium habuit, desinere suapte natura potest*. Et Sophronius in ep. quae legitur act. 11. Syn. IV. *Immortales perseverant Angeli non quod naturam revera incorruptibilem habeant, sed quod gratiam divinitus sortiti sunt largitricem immortalitatis*. 3. Denique Angeli dicuntur a Patribus mortales, prout immortalitatem acceperunt a Deo. *Ita solus Deus est absolute immortalis, eo quod non ex alterius voluntate eam habet, sicut ceteri omnes immortales, sed ex suapte essentia*, ait Auctor respon. ad Orth. Et Ambrosius lib. 3. de Fide cap. 2. *Nec Angelus immortalis est naturaliter, cujus immortalitas in voluntate est Creatoris*.

CONCLUSIO IV.

Probabilior est sententia illorum qui tenent Angelos omnes unius esse speciei; differre autem inter se, ordine numero munere et dignitate.

Prob. ex SS. PP. Basilius in 3. cont. Eun. ita scribit: *Angeli omnes, ut appellationis unius, sic et naturae ejusdem sunt omnino invicem: et tamen eorum alii gentibus praesunt; alii Fidelium singulis comites assistunt*. Et rursus: *Quorsum haec oratio? Ut intelligamus non prorsus ut aliquid ordine ac dignitate secundum est ac tertium, hoc et naturam habere alteram. Nam ut in Angelis alius est princeps, alius est subjectus; et tamen natura Angeli sunt omnes: et in dignitate quidem est differentia, in natura vero communio etc.* Gregorius nyssenus lib. 6. inquit: *Principatum tenere, potestatem habere, dominari, et esse thronum alicujus, haec omnia nemo prudens ad naturarum discrimina referat, cum perspicue sola operatio unicuique vocabulo subjecta sit. Quamobrem qui dicit naturarum differentias in numeratis a Paulo nominibus indicari, seipsum seducit*. Loquitur autem Paulus de Angelis. Alter Gregorius nempe nazianzenus in Carm. de Virginit. scribit: *Cum ipso singuli Angeli iidem sunt, una natura, et una intellectio*. Cyrillus alex. in lib. 2. comm. in Johan. *Angelus*, inquit, *ab altero Angelo in nulla re differt, secundum id quod sunt Angeli: nempe cum omnes sint ejusdem speciei, in unam naturam colligantur*. Eadem habent Maximus martyr cap. 5. de hierar. Eccl. Paschasius lib. 2. de Spir. S. et Damascenus lib. 2. de Fide orth. *a capite*.

Prob. 2. theol. ratione. Si qua esset ratio cur Angeli unius non sint speciei, maxime esset quod dari plures in una specie Angelos repugnat. Id autem falsum est. Nam ea repugnantia non aliunde oriri potest quam ex illo Thomistarum principio, quod *individuatio* petitur a subjecto affecto quantitate: quod principium certe falsum est, quum rationales animae extra cor-

pus positae singulae individuae sint, nec *individuationem* a corpore mutuentur. Imo humanum corpus non efficit sed supponit animae *individuationem*.

SCHOLION

Neque controversia haec de specifica differentia Angelorum ad Fidem pertinet. Etenim Angelos non differre specie quamplurimi Patres, ut ex hactenus dictis colligitur, tradunt. Differre autem affirmat Methodius apud Epiphanium haer. 64. et post illum B. Thomas, Cajetanus, aliique ex florentissima schola Thomistarum. Alii praeterea dubii de eadem quaestione extiterunt, ut ex Augustino adv. Priscillianistas patet, qui ita scribit ad Orosium: *Et esse itaque sedes, dominationes, principatus, potestates in caelestibus apparatibus firmissime credo, et differre inter se aliquid indubitata fide teneo. Sed, quo me contemnas, quem magnum putas esse doctorem, quaenam ista sint, et quid inter se differant nescio. Nec ea sane ignorantia periclitari me puto* etc.

Resolvuntur argumenta quae adversus statutas superius propositiones afferri solent.

Obj. 1. cont. 1. thes. I. Qui gignendis filiis operam dant, aut pura corpora sunt, aut sunt ex spiritu et corpore compositi: Angeli operam dare dicuntur in sacris litteris gignendis filiis. Nam Gen. cap. 6. legitur: *Videntes filii Dei filias hominum quod essent pulchrae, acceperunt sibi uxores ex omnibus, quas elegerant*. Quo in textu filiorum Dei nomine venire Angelos aperte tradit Auctor libri Enoch a Juda Apostolo in sua canonica epistola laudatus. II. Consonant secundi tertii et quarti saeculi Patres, et Clemens praesertim alexandrinus lib. 8. Strom. et Tertullianus de hab. mul. et Lactantius Inst. lib. 2. cap. 4. qui omnes affirmant Angelos Dei revera compressisse mulieres, idque affirmarunt auctoritati innixi laudati Gen. testimonii. III. Et ratione quidem plurima. Sacer enim Auctor in allegata sententia opponit filiabus hominum filios Dei quorum nomine venire videntur caelestes illae substantiae. Unde ubi hebraicus textus et nostra Vulgata habent, *filii Dei*, in pluribus septuaginta Interpretum codicibus legitur, *Angeli Dei*, quod observavit olim S. P. Augustinus lib. 15. de C. D. cap. 23. *Septuaginta quidem Interpretes et Angelos Dei dixerunt istos, et Filios Dei: quod quidem non omnes codices habent*.

Resp. ad 1. Filiorum Dei nomine in cap. 6. Gen. intelligi minime possunt Angeli boni, quum de his dixerit Christus Matth. cap. 20. *Non nubent, neque nubentur*. Sed neque Angeli mali qui nullibi filii Dei, sed passim filii irae atque vindictae, et adversarii et inimici appellantur. His adde laudato in capite caussam describi quae Deum ad humanum perdendum genus impulit universali diluvio. Ast vero non Angelorum, sed hominum scelera induxisse diluvium testatur Moyses ibidem: *Videns autem*

Deus, quod multa malitia hominum esset in terra, et cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore, poenituit eum, quod hominem fecisset in terra etc. Nec quemquam libri Enoch Auctor movere debet; quum liber ille utpote apocryphus nullam mereatur auctoritatem. Nec Judas Apostolus librnm laudat, sed prophetiam Enoch quam traditione accepit a majoribus; unde inquit: *Prophetavit et de his septimus ab Adam Enoch*. Quod si digitnm intendit ad librnm, non proinde auctoritatem illi conciliavit; quum Spiritu S. revelante discere potuerit Apostolus prophetiam illam dumtaxat in eo volumine dubiae non fuisse fidci. Accedit his quod nomine Angelorum intellexerit forte Auctor libri Enoch, quisquis ille fuerit, principes et judices terrae, ut paullo post exponemus.

Ad 2. Laudati omnes in argumento PP. aliique perpauci platonica imbuti philosophia crediderunt revera Angelos esse corporeos. Cnmque in codices illos inciderint in quibns legebatur, *Videntes Angeli Dei* etc. non dubitarunt concubitum cum mulieribus admittere Angelorum. Ast longe plures sunt Patres sententiam hanc improbantes.

Ad 3. Ut caussam intelligamus cur sacer Anctor filios Dei filiabus hominum opponat, observandum est 1. quod ubi nos legimus, *filii Dei*, in hebraico textu habetur בני-האלהים, *filios Elohim*. Porro in V. T. principes quoque ac judices et patriarchae, aliique insigni decorati charactere dicuntur אלהים, *Elohim*. Seusus ergo allati in argumento commatis est: Videntes filii patriarcharum aut judicum aut principum filias hominum, filias videlicet aut ex genere Cain aut ex viliori foece plebis quod essent pulchrae etc. Favet interpretationi huic chaldaica lectio in qua legitur, *videntes* בני רברביא *filii Magnatum*. Oppositio ergo non est Angelos inter et mulieres, sed inter nobiliores populi cum plebeis adolescentulis. 2. In sanctis paginis justi sanctique homines filii Dei passim nuncupantur, ut nemo diffitetur. Filii Seth et Enoch filii sanctorum profecto erant, ipsique justi ac sancti: quibus a filiabus Cain aut adolescentulis e plebe deceptis, ad eas accedentibns et omni libidinum genere sese commaculantibus, Deus provocatus ad iracundiam humanum genus diluvio perdidit. Juxta hanc interpretationem, *filii Dei*, non Angeli caeli sunt, sed filii Seth et Enoch. 3. Solent Hebraei ad res maximas significandas nomen addere אלהים, *Elohim*; unde cedros altissimos v. g. cedros Dei appellant. Filii itaque Dei viri fuerint statnra proceres qui Gigantes appellari solent. Quare sensus erit: *Videntes Gigantes filias hominum* etc. Quod ex versione Septuaginta additum est adversariorum caussam non juvat. In primis cnim sequenda potius est hebraici textus et nostrae latinae Vulgatae quam nonnullorum graecorum codicum lectio. Nec S. P. Augustinus lectionem illam approbat, sed recenset dumtaxat. Praeterea vero solent Septnaginta Interpretes filios aut Israel aut principum aut magnatum Angelorum nomine crebro insignire. Sic Deut. cap. 32. ubi latinus Interpres legit: *Constituit terminos populorum juxta numerum filiorum Israel*, graece habetur: *juxta numerum Angelorum*. Nil ergo Septuaginta lectio conficit.

Obj. 2. Plures ex SS. PP. tradiderunt Angelis aërea inesse corpora.

Nam Methodius martyr apud Photium cod. 234. ita de Angelorum corpore disserit: *Quae puro ex aëre igneque moles est conflata, et ejusdem est cum Angelis substantiae*. Basilius in lib. de Spir. S. cap. 16. *Ideo* (Angeli) *et in loco sunt, et fiunt aspectabiles in specie propriorum corporum*. Consimilia habent Cyrillus alex. lib. 9. adv. Jul. Aug. Johannes thessalonicensis de quo infra, Fulgentius in lib. de Triuit. S. P. Augustinus frequentissime, et Bernardus lib. 5. de consid. cap. 4. II. In Nicaeno secundo concilio act. 5. approbatus est dialogus Johannis thessalonicensis; eo namque recitato Tharasius Patriarcha C-P. dixit: *Ostendit Pater* (Johannes) *etiam Angelos oportere pingi, quoniam circumscripti sunt, et hominum specie multis apparuerunt*: *Sancta Synodus dixit. Etiam Domine*. Jam vero in eo dialogo Johannes thessalonicensis affirmat Angelos esse corporeos; ait enim: *Solus revera Deus incorporeus et incircumscriptus est. Intelligibiles vero creaturae non penitus incorporeae sunt; et ideo in loco sunt et circumscribuntur. Sicuti autem incorporeos appellari invenias, aut daemones, aut animas; idcirco sic appellantur quod ex materialibus quatuor elementis non constent*. Et subinde: *In specie propriorum corporum visi sunt ab iis, quorum Deus oculos aperuit*. III. Neque reponi potest Thessalonicensis sententiam non ex omni parte fuisse a Tharasio approbatam. Nam nullam adhibuit is in Thessalonicensis dialogo restrictionem. IV. Quod si alia a Johannis thessalonicensis sententia fuisset illa Concilii, illum de tam palmari errore profecto reprehendissent.

Resp. ad 1. Non diffitemur Patres in argumento relatos paucosque alios affirmare Angelis inesse aërea ac subtilissima corpora. Ast longe plures sunt qui contrariam tenent sententiam, ut ex superius allatis apertissime constat. Praeterea, qui Angelis corpora tribuunt nullo neque Scripturae neque Traditionis fundamento, sed platonicae philosophiae innituntur principiis, ipso fatente Origene lib. 2. Periar. cap. 8. ubi postquam docuerat absurdum non videri Angelis ceterisque caelestibus virtutibus adscribere corpora, e vestigio subdit: *Tametsi id ex nullius auctoritate Scripturae constet*. Observandum est rursus ad SS. PP. mentem assequendam, nonnullos tribuere Angelis corpora, non absolute, sed comparate ad Deum qui ita purus est ut Angelorum substantia cum illius natura collata, incorporea vix dici possit. Ita sensisse videntur Basilius, Gregorius nazianzenus, Cassianus. Tradunt alii Angelos habere quidem corpora quoniam apparuerunt hominibus, sed fuisse illa adscititia, non naturalia. Haec opinio fuit Cyrilli alexandrini. Augustinus demum, Fulgentius ac Bernardus dubie dumtaxat de Angelorum corpore loquuntur. Et de Augustino satis dictum paullo supra. Fulgentius autem loco in argumento citato scribit: *Plane ex duplici eos esse substantia, asserunt magni et docti viri, idest ex spiritu incorporeo, et ex corpore*. Bernardus in lib. pariter laudato inquit: *Et primo quidem Spiritus cives esse illic potentes ... corpore aethereos. Quamquam de corporibus horum, non modo unde sint, sed an aliquatenus sint, haeret sententia aliquorum. Unde si quis inter*

opinabilia magis id ponendum censuerit, non contendo. Eadem repetit serm. 5. in Cant. Quamobrem si rem accurate perpendamus, pauci admodum sunt qui Angelos esse corporeos affirmate docuerint.

Ad 2. In concilio Nicaeno II. Johannis thessalonicensis approbatus fuit dialogus non in omnibus singulisque partibus suis, sed in ea dumtaxat parte in qua affirmabat Angelos circumscribi et apparere hominibus. Nam controversia in eo Concilio dirimenda, erat: An licitum sit Angelos pingere. Tharasius Patriarcha C-P. inter alia vetustatis argumenta, Johannis thessalonicensis in medium protulit dialogum: in quo licet aperte contineretur doctrina de corpore Angelorum, tamen habebatur etiam quod Angeli circumscripti sint et hominibus aliquando apparuerint; ex quo hanc proposuit synodi Patribus illationem: *Ostendit Pater etiam Angelos oportere pingi, quoniam circumscripti sunt et hominum specie multis apparuerunt*. Quibus auditis S. synodus dixit: *Etiam Domine*. Contendebat quidem Johannes thessalonicensis Angelos in propriis, non in assumptis apparuisse corporibus. Ast Tharasius Conciliique Patres quum ad illorum scopum controversia de corpore Angelorum non pertineret, illam dissimulantes definire noluerunt.

Ad 3. Tharasius in sententia Johannis thessalonicensis recitanda quum dixerit tantum: *Angeli pingendi sunt, quoniam loco circumscribuntur et hominum assumpta specie multis apparuerunt*, utique restrictionem adhibuit; iisque dumtaxat verbis, non integro Johannis dialogo responderunt Patres: *Etiam Domine*.

Ad 4. Debuissent synodi VI. Patres Johannis thessalonicensis opinionem reprehendere, si controversia de corpore Angelorum aut ad Fidem aut ad scopum illorum spectasset. Controversia autem haec neque nostra aetate de Fide est; multoque minus de Fide erat Concilii VI. tempore. Illius vero Concilii scopus erat loqui tantum de Sanctorum Angelorumque cultu, atque inquirere an licitum sit Sanctos et Angelos pingere: atque adeo non debuerunt Johannis thessalonicensis de Angelorum corpore opinionem, tamquam falsam aut erroneam, condemnare. Argumenta ab adversariis ex apparitionibus Angelorum et ex materiali igne quo daemones in inferno torquentur, solventur a nobis ubi de modo quo Angeli corpora assumunt; et de igne quo daemones et damnatorum animae torquentur, suis locis disputabimus.

Obj. 3. cont. 3. prop. Apostolus in I. ad Tim. cap. 6. v. 16. nimis aperte testatur neminem praeter Deum esse immortalem; inquit enim: *Qui solus habet immortalitatem*. II. Aut ad summum, Angelorum immortalitas ex gratia est, non ex natura. Nam S. Hieronymus com. in locum citatum Apostoli docet, *Angelos consequi immortalitatem ex largitionis Dei dono*. Ambrosius lib. 3. de Fide cap. 2. *Neque*, inquit, *Angelus immortalis est naturaliter*. Sophronius in epist. act. 11. synodi VI. recitata ait: *Immortales perseverant Angeli non quod naturam revera incorruptam habeant, sed quod gratiam divinitus sortiti sunt largitricem immortalitatis*. Damascenus lib. 2. de Fide orth. cap. 3. *Immortalis est Angelus*

non natura , sed gratia; nam quidquid initium habuit desinere suapte natura potest . III. Et ratio quidem quam Damascenus affert , satis demonstrat Angelorum immortalitatem donum esse supernaturale illorum additum naturae ; ait siquidem : *Quidquid initium habuit desinere suapte natura potest .*

Resp. ad 1. Per Apostolum solus Deus est immortalis , hoc est , immutabilis independens qui a nemine immortalitatem acceperit . Optime Hieronymus com. in hunc locum : *Nisi fallor , quo modo solus habere dicitur immortalitatem , cum et Angelos et multas rationabiles fecerit creaturas quibus dederit immortalitatem ; ita et solus dicitur verax , non quod et ceteri et immortales et veritatis non sint amatores : sed quod ille solus naturaliter sit et immortalis et verus ; ceteri vero immortalitatem et veritatem ex largitionis illius dono consequantur : et aliud sit , verum esse per semet , aliud in potestate donantis esse quod habeas .*

Ad 2. Sancti Patres gratiae nomine non beneficium aliquod naturae superadditum , sed donum creationis intelligunt . Ex praenotatis ad propositionis III. scholion patet responsio ad argumentum . Quibus addo gratiae nomine non posse SS. PP. donum intelligere Angelorum naturae superadditum ; quum gratiam immortalitatis et bonis et malis Angelis ex aequo concedant . Et e contra nulla repugnantia est ut donum creationis gratiae nomine designetur , ut Augustinus una cum Aurelio , Alypio, Evodio , et Possidio scribunt ad Innocentium Papam ep. 177. alias 95. *Etsi enim* , inquiunt proscriptionem pelagianae haeresis postulantes , *quadam non improbanda ratione dicitur gratia Dei qua creati sumus , ut nonnihil essemus , nec ita essemus aliquid ut cadaver quod non vivit , aut arbor quae non sentit , aut pecus quod non intelligit , sed homines qui et essemus , et viveremus , et sentiremus , et intelligeremus , et de hoc tanto beneficio Creatori nostro gratias agere valeamus : unde merito et ista gratia dici potest , quia non praecedentium aliquorum bonorum operum meritis , sed gratuita Dei bonitate donata est : alia est tamen qua praedestinati vocamur , justificamur , glorificamur .* Hac posita idearum distinctione nullo negocio singula Patrum testimonia in argumento relata explicantur .

Ad 3. Angeli non ex pugnantibus inter se elementis , non partibus corruptioni dissolutionique subjectis componuntur: proindeque ex intrinsecis suis nec desinere possunt , neque tendunt ad nihilum . Quoniam vero singulae creaturae Omnipotentis indigent manu a qua conserventur , idcirco inquit Damascenus : *Quidquid initium habuit desinere suapte natura potest .* Hoc autem modo est mortale non ex intrinsecis suis esse , sed ab extrinseco .

Obj. ultimo cont. postr. thes. Differentia quae petitur a forma specifica, est differentia specifica : Differentia quae inter Angelos est, petitur a forma ; neque enim peti potest a materia cujus sunt expertes : Ergo differunt ad invicem secundum speciem . 2. Sicuti conveniens Deo fuit ut plures corporearum rerum produceret species , ita conveniens fuit ut plures produceret species rerum spiritualium .

Resp. ad 1. Si formae nomine praedicata, ut inquiunt, intelligas essentialia, Angeli a se invicem non differunt per formam, quoniam eadem in singulis sunt praedicata essentialia. Quod si nomine formae praedicata intelligere velis accidentalia, tunc profecto differunt forma, quoniam alii alterius sunt ordinis, estque in aliis dignitas quae in aliis non invenitur.

Ad 2. In his quae a Dei voluntate pendent, id conveniens est quod Deo placet. Deinde allata in argumento inter res corporeas ac spirituales comparatio non tenet; alioquin duplex in Angelis admittenda foret differentia, essentialis una, et alia numerica, quomodo in rebus corporeis reperitur. Praeterea etiamsi Angeli specie inter se non differrant, salvatur nihilominus quod contendit argumentum. Prima siquidem rerum spiritualium species est Deus, ens summe intelligens, infinitum, a se. Altera species sunt Angeli, substantiae nimirum intelligentes, completae: sed creatae. Tertia species est anima humana, substantia et ipsa intelligens, creata: sed regendo corpori tamquam forma accomodata. Atque ita postremum evanescit argumentum.

CAPUT III.

De creatione Angelorum.

Existunt ergo completae quaedam, omni plane sensu incorporeae et immortales substantiae quae Angeli nuncupantur, hominibus quidem superiores, sed inferiores Deo, ut hactenus demonstravimus. Ejusmodi spirituales substantias fuisse a Deo e nihilo eductas nemo nisi Manichaeus ambigere potest qui diabolum et angelos ejus non a Deo O. M. creatos fuisse blasphemat: merito proinde a concilio Lateranensi IV. cap. 1. his verbis damnatus: *Deus simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et humanam. Diabolus enim et daemones alii, a Deo quidem natura creati sunt boni, sed ipsi per se facti sunt mali.* Qua de re acturi modo de creatione Angelorum, non illud inquiremus an Angeli a Deo conditi fuerint: sed de tempore dumtaxat et loco quo Angeli fuerunt creati disseremus.

Et circa tempus creationis Angelorum duplex est veterum Scriptorum sententia. Complures ac maxime Graeci quibus nonnulli adhaesere Latinorum ante aspectabile hoc Universum conditos fuisse arbitrantur. Latinorum autem pars major quibus aliqui praeluserunt Graeci, pro certo tenent creatos fuisse Angelos una cum hoc Universo. Et quoniam judiciorum haec discrepantia non inter privatos Theologos, sed inter Sanctos Patres est; hinc controversia de tempore creationis Angelorum ad Fidem non pertinet.

De altero controversiae capite, nempe de loco quo fuerunt Angeli creati, et Scripturae et PP. omnino silent. S. P. Augustinus cui subscribit Rupertus, autumabat productos illos fuisse in superiore parte aëris; vulgus autem Theologorum creationis illorum locum assignat caelum empyreum. Ex quo quamlibet ex duabus sequaris viam in incerto ambulas.

CONCLUSIO I.

Angeli creati fuerunt una cum rebus corporeis : sed sententia haec non pertinet ad Fidem.

Prob. prior prop. pars ex Scripturis. Exodi cap. 20. legitur : *Sex enim diebus fecit Dominus caelum , et terram , et mare , et omnia , quae in eis sunt* ; quaecumque scilicet extra Deum sunt in rerum natura : adeoque et Angelos. Nam septima die requievit ab omni opere quod patrarat. Praeterea Gen. cap. 1. jam scripserat Moyses : *In principio creavit Deus caelum et terram*. Porro quid est in principio creavit caelum et terram nisi : ante quam caelum et terra crearentur, nihil omnino erat praeter Deum; proindeque nec Angeli ? Apposite S. P. Augustinus lib. 11. de civ. Dei cap. 6. *Porro si litterae sacrae maximeque veraces ita dicunt*, In principio fecit Deus caelum et terram ; *ut nihil antea fecisse intelligatur , quia hoc potius in principio fecisse diceretur, si quid fecisset ante cetera cuncta quae fecit ; procul dubio* etc. Ex SS. PP. Epiphanius haer. 65. *Illud enim* , inquit, *evidenter divinus sermo declarat neque post sidera productos Angelos , neque ante caelum terramque constitutos . Est enim certa illa et immutabilis sententia , ante caelum , et terram nihil omnino conditarum rerum extitisse , quoniam in principio creavit Deus caelum et terram : ut illud sit creandi principium , ante quod creatis ex rebus omnino nulla fuerit.* S. P. Augustinus in lib. imperf. de gen. ad litt. cap. 5. ad illa Gen. verba : *Fiat lux* , ita scribit : *Alia est lux de Deo nata , et alia lux quam fecit Deus : nata de Deo lux , est ipsa Dei sapientia ; facta vero lux, est quaelibet mutabilis sive incorporea*. Et clarius adhuc lib. 11. de civ. Dei cap. 33. *Et si enim corporalia hic commemorata sunt opera Dei , habent procul dubio nonnullam similitudinem spiritualium... Si autem hoc sensit etiam ille qui scripsit, ad perfectionem disputationis finem nostra pervenit intentio : ut homo Dei ... immo per eum Spiritus Dei in commemorandis operibus Dei , quae omnia sexto die dicit esse perfecta , nullo modo Angelos praetermisisse credatur : sive* , In principio , *quia primo fecit ; sive quod convenientius intelligitur* , In principio , *quia in Verbo unigenito fecit , scriptum sit* , In principio fecit Deus caelum et terram : *quibus nominibus universalis significata est creata natura , vel spiritalis et corporalis , quod est credibilius ; vel magnae duae mundi partes , quibus omnia , quae creata sunt, continentur*. Idem repetit lib. 5. de gen. ad litt. cap. 19. ubi haec habet. *Nuntii autem graece ἄγγελοι dicuntur ... quem primum diem conditum existimamus*. Innuit eadem lib. 22. cont. Faustum cap. 10. et serm. 255. de temp. quamquam alibi non raro dubius hac in re videatur. Julius africanus lib. 2. cap. 2. *In principio* , inquit , *creationis facta sunt caelum et terra , Angeli , aër , aqua*. Theodoretus Q. 3. in Gen. hanc proponit quaestionem : *Praecedunt ne Angeli creationem caeli et terrae , an cum eis creati sunt ?* Respondet autem fuisse creatos una cum eis. Et ne singulorum recenseam nomina Patrum, concilium Latera-

nense IV. et si controversiam hanc definire noluerit, non enim ad scopum ejus spectabat; in Fidei tamen definitione talia tradit quae in hac fuisse sententia demonstrant. Verba Concilii initio capitis dedimus. Haec omnia si non persuadent, suadent saltem Angelos una cum aspectabili mundo fuisse creatos. III. Suffragatur et ratio. Graeci Patres affirmantes Angelos ante hoc Universum fuisse creatos existimant creationem illorum multis praecedere debuisse saeculis productionem Universi, ut ante tempora saecularia laudes Deo praecinerent. Id vero improbabile mihi videtur. In primis, quoniam mille anni coram Deo sunt sicut dies externa quae praeteriit: atque adeo idem est, comparate ad aeternitatem, condidisse Deum Angelos multis saeculis ante mundi productionem ac in productione ipsa. Deinde, vel Angeli ab illorum creatione statim peccarunt, vel diu perseverarunt in accepta gratia cum qua Deus illos creavit, ut supponimus. Dici nequit statim ab initio peccasse, quoniam quum certum sit Angelos apostatas meritam pro scelere poenam illico recepisse ac in tartarum fuisse dejectos, tunc nec terra nec aër nec inferna loca in quae detruderentur existebant. Dicendum itaque erit diu in accepta justitia perseverasse. Ast si ita accidisset, nonne in praemium tam longaevae perseverantiae fuissent in gratia confirmati, ut cum Angelis sanctis factum est? Probabilius itaque est simul cum Universo fuisse creatos. Quod si existimare volueris fuisse paullo ante hoc Universum creatos, tunc patrocinio destitueris Patrum graecorum qui plura intercessisse saecula ajunt inter Angelorum hujusque rerum Universitatis conditionem.

Prob. altera prop. pars. Doctrina paullo ante statuta neque in Scriptura neque in Traditione aperte continetur, neque ab Ecclesia definita est. Non in Scripturis. Nam si quae essent Scripturae testimonia Angelos una cum hoc Universo creatos demonstrantia, maxime essent illa paullo ante recitata. Ast illa minime pariunt certitudinem Fidei; siquidem ea verba *Sex diebus fecit Deus caelum, et terram, et omnia, quae in eis sunt*, de corporeis ac sensibilibus rebus a viris doctissimis intelliguntur; ita ut nihil in hoc Universo sensibile sit ac corporeum quod sex dierum spatio productum non fuerit. Illa alia, *In principio creavit Deus* ec. et ipsa de principio accipiuntur a compluribus durationis rerum visibilium quarum conditionem narrare aggreditur Moyses: in quorum sententia sensus erit nihil ante caelum et terram extitisse corporeum atque visibile. Sunt et alii qui contendunt, τὸ *In principio*, idem significare ac, *in Filio*, per quem facta sunt omnia. Quare etsi Scripturae valde probabile exhibeant argumentum ad demonstrandum Angelos una cum Universo fuisse conditos; non suppeditant tamen argumentum certum et ineluctabile quod ad Fidei articulum constituendum necessario requiritur. II. Hoc ipsum dicendum de Patrum traditione. Nam in primis, nullus umquam Patrum asseruit de Fide esse quod simul cum Universo conditi fuerint Angeli. Deinde, plerique Graecorum cum nonnullis Latinis contrariam tenuere sententiam. Praeterea, illi iidem Patres quos in nostrae opinionis patrocinium adduximus, aliquando dubie loquuntur. Puta S. P. Augustinus in lib. unico de gen. ad litt. cap. 3. quaestionem hanc in utramque disputat partem, ac tandem concludit; *Sed quoquo modo*

hoc se habeat, (res enim secretissima est, et humanis conjecturis impenetrabilis) illud certe accipiendum est in Fide, etiamsi modum nostrae cognitionis excedit, omnem creaturam habere initium; tempusque ipsum creaturam esse. Julius africanus post verba superius relata inquit non esse improbabile omnino Angelos conditos fuisse ante ceteras creaturas. Et *ratio id postulat, ait: oportuit enim, ut terrenas caelestis creatura praecederet*. Theodoretus Q. 3. in Gen. apertis asserit verbis contrariam suae sententiae non esse erroneam. Deest itaque sententiae nostrae praesidium Traditionis, ut definiri non possit ad Fidem eam pertinere. III. Sed nec ab Ecclesia umquam definita est. Nam si aliqua esset definitio, esset procul dubio illa Lateranensis IV. concilii, *Deus simul initio temporis* etc. Ast non declarat illa definitio, Angelos una cum Universo productos fuisse, sententiam esse de Fide; quoniam, *initio temporis*, significare potest Angelos non esse aeternos, sed ex non exstantibus. Deinde particula, *simul*, denotare potest Deum Angelos resque corporeas *pariter* condidisse. Dici praeterea potest Deum Angelos ac res corporeas simul creasse, accipiendo τὸ *simul*, pro simultate quadam morali, non physica: ita ut inter utriusque conditionem substantiae aliquod intercesserit tempus; quemadmodum simul facta quandoque dicuntur quae facta sunt intra unius diei vel etiam mensis spatium. Denique non obstat quod Lateranense concilium voluerit ea definitione errores damnare Origenistarum; quum diverso plane sensu Origenes et graeci Patres affirment Angelos ante rerum ceterarum conditionem fuisse creatos. Ille putabat spirituales substantias conditas a Deo fuisse per se; corporeas vero per accidens: ut Angeli videlicet ob patrata in altera vita scelera, in corpora tamquam in carceres detruderentur. Reliqui autem graeci Patres asseruerunt Angelos conditos fuisse ante hoc Universum ut participes essent divinae bonitatis, inque Dei creatoris laudem assurgerent. Hinc S. Thomas qui post Lateranense IV. concilium scripsit, Q. 61. art. 3. in corp. *Non est probabile*, inquit, *ut Deus cujus perfecta sunt opera, ut dicitur Deut. 32. creaturam angelicam seorsum ante alias creaturas crearerit; quamvis contrarium non sit reputandum erroneum, praecipue propter sententiam Gregorii nazianzeni*.

CONCLUSIO II.

Incertum est quo in loco conditi fuerint Angeli.

Prob. Neque Scriptura nec Patres aperte tradunt quo in loco conditi fuerint Angeli. Et ex Scripturis quidem nil aliud habemus nisi testimonium Isaiae cap. 14. v. 12. *Quomodo cecidisti de caelo lucifer, qui mane oriebaris?* Et illud Lucae cap. 10. v. 18. *Videbam satanam sicut fulgur de caelo cadentem*. Et aliud denique ex Apoc. cap. 12. v. 7. *Factum est praelium magnum in caelo: Michael et angeli ejus praeliabantur cum dracone*: ex quibus multi Theologi colligunt Angelos conditos fuisse in caelo empyreo. Verum minime laudata Scripturae testimonia id demonstrant. Non

primum, quoniam verba illa prolata sunt litteraliter a Propheta de rege Babyloniorum qui bellum populo Israel indixerat; unde v. 4. dixerat: *Sumes parabolam istam contra regem Babylonis*. Et quamvis M. Gregorius locum interpretetur per allusionem ad casum diaboli; nomine tamen caeli, non empyreum, sed superior aëris pars intelligi commode potest; sicut de pluvia quam de caelo cadere dicimus, licet e superiori aëris parte descendat. Alter locus Scripturae explicatur a Theophylacto de diaboli honore ac potestate ante Salvatoris adventum: proindeque nomine caeli a quo excidit, pristinam illius intelligit dignitatem quam amisit. Vel caeli nomine venit superior aëris pars: quod ex fulguris similitudine quam Christus adhibet, confirmatur. *Videbam satanam sicut fulgur etc.* Textus denique Apocalypseos a compluribus de conflictu exponitur quem habiturus est Michael sub mundi finem cum dracone: adeoque caeli nomine intelligi non incongrue potest Ecclesia. Nil ergo certi suppeditat nobis Scriptura de loco creationis Angelorum. Multo minus sancti Patres quorum plerique de hoc argumento silent. Atque S. P. Augustinus qui lib. 3. de gen. ad litt. cap. 10. tradit creatos illos fuisse in superiore parte aëris, id affirmate pronuntiare non audet, sed nonnisi dubitanter loquitur inquiens: *In qua fortassis parte si* etc.

CAPUT IV.

De statu in quo conditi fuerunt Angeli.

Status nomine in quo conditi fuerunt Angeli, non naturam de qua satis dictum in superioribus, aut ejusdem naturae proprietatibus de quibus in subsequentibus: sed aliquid eorum naturae superadditum intelligo. Quae vero Angelorum naturae in illorum superaddi potuerunt conditione, ad duo rediguntur, ad *Gratiam* nimirum, et *Beatitudinem*: de quibus hoc in capite breviter disseremus.

Gratia duplex est, alia actualis, habitualis alia seu sanctificans. Et prior quidem Dei quaedam actio est quae rationali datur creaturae ad supernaturaliter agendum, actualisque vocatur quod transeunter per modum actus se habeat. Altera vero est Dei donum rationali creaturae collatum ad sanctificatiouem et ornatum, et habitualis appellatur quod ad instar habitus se habeat per modum rei permanentis.

Nemo fuit umquam, quod sciam inter Theologos, qui Angelis in prima illorum creatione actualem gratiam denegaverit. Nam qui Ægidium nostrum id sensisse arbitrantur, proculdubio decipiuntur. Is quippe dist. 29. ar. 2. litterali inter cetera scribit: *Oportet nos ponere hominem sic esse conditum, quod posset omnia piacula vitare. Non ergo fuit conditus in puris naturalibus. Habuit ergo aliquod donum gratuitum superadditum naturae*. Quod autem de primo homine dicitur, etiam de Angelis plane intelligendum est: sed non ita res se habet circa gratiam sanctificantem. Quamvis enim complures ex veteribus doceant illa donatos fuisse ab initio Ange-

los; non pauci tamen id inficiantur, qualis sunt Hugo a S. Victore, Magister senteutiarum, Rupertus, Scotus, Bonaventura, Alexander alensis, et ex nostris Ægidius, et Argentina, aliique. Quod in caussa est cur haec doctrina ad Fidem non pertineat.

Quoad Beatitudinem, et haec duplex est; altera naturalis, supernaturalis altera. Naturalis ab Angelico definitur Q. 62. ar. 1. *Ultima perfectio quam rationalis creatura virtute suae naturae assequi potest*. Supernaturalis autem est rationalis creaturae felicitas per dona naturae superaddita comparata: et haec adhuc subdividitur in inchoatam, et completam. Beatitudo supernaturalis inchoata est felicitas ex sanctitate per gratiam et praesentis boni delectationem absque ulla molestia orta. Hanc beatitudinem non habent Justi in via: qui licet sancti sint per gratiam, Deo tamen non fruuntur absque ulla molestia. Beatitudo autem completa et perfectissima est et ipsa felicitas orta ex sanctitate per gratiam ex praesentis boni delectatione sine ulla molestia: sed praeterea securitatem confert qua creatura rationalis certissime scit se felicitatem illam non esse amissuram.

Autumat Vasquesius Angelos neque in hac naturali beatitudine fuisse creatos. Gonet, Gotti, aliique Thomistae, ac Scoti discipuli non aliam attribuunt Angelis in prima illorum conditione quam beatitudinem naturalem. At sectatores augustinianae scholae tenent productos a Deo fuisse in beatitudine supernaturali; non quidem completa et perfectissima, sed inchoata. His ita praenotatis sit

CONCLUSIO I.

Deus contulit Angelis in prima illorum creatione, non modo gratiam actualem, sed et gratiam sanctificantem; quamvis posterior haec sententia non sit de Fide.

Prob. prima pars prop. S. P. Augustinus in lib. de nat. et gr. cap. 26. ita scribit: *Sicut enim oculus corporis etiam plenissime sanus, nisi candore lucis adjutus non potest cernere: sic et homo etiam perfectissime justificatus, nisi aeterna luce justitiae divinitus adjuvetur, recte non potest vivere*. Quod autem de homine dicitur innocente intelligitur etiam de Angelis. In lib. de corr. et gr. cap. 11. inquit: *Si autem hoc adjutorium vel Angelo vel homini, cum primum facti sunt, defuisset; quoniam non talis natura facta erat, ut sine divino adjutorio posset manere si vellet, non utique sua culpa cecidissent*. Denique lib. 12. de civ. Dei cap. 9. *Voluntatem quamlibet bonam inopem fuisse in solo desiderio permansuram, nisi ille qui bonam naturam ex nihilo sui capacem fecerat, ex seipso faceret implendo meliorem, prius faciens excitando avidiorem*. In singulis autem recitatis locis quum Angelos et hominem justos supponat ac sanctos, de gratia loquitur actuali, non habituali et sanctificante. Ait autem S. Doctor sine Dei adjutorio impossibilia fuisse Angelis et hominibus divina praecepta; unde datam illis fuisse pro

certo tenet gratiam actualem : quae ab ipso saepe , et in libro praecipue de corr. et gr. appellatur *adjutorium sine quo* . Sed de gratiae natura quae in statu innocentiae rationali creaturae collata fuit , et qua ad perseverandum indigebat , pertractabimus in opusculis de Gratia .

Prob. nunc altera thesis pars. I. ex Scripturis . Exechiel cap. 28. v. 15. de rege Assiriorum qui daemonis figura fuit , ita loquitur : *Perfectus in viis tuis a die conditionis tuae , donec inventa est iniquitas in te* . Et v. 12. *Tu signaculum similitudinis , plenus sapientia , et perfectus decore* . Et Isaias cap. 14. *Quomodo* , inquit , *cecidisti de caelo lucifer , qui mane oriebaris ?* Qui perfectus est in viis suis et signaculum est similitudinis Dei et mane in caelo oritur , nonne justus est et sanctus per gratiam ? Tales autem erant Angeli antequam peccarent , ut ex recitatis sententiis apparet . Quare M. Gregorius lib. 22. Moral. cap. 18. inquit : *Quid doni non habuit , si signaculum Dei similitudinis fuit ?* II. ex PP. et Augustino praesertim qui in lib. de corr. et gr. cap. 11. scriptum reliquit : *Tunc ergo dederat homini Deus bonam voluntatem , in illa quippe eum fecerat qui fecerat rectum : dederat adjutorium sine quo in ea non posset permanere si vellet* . Cumque adjutorium *sine quo* nil aliud sit nisi gratia actualis , bona voluntas cum qua Deus condidit hominem rectum et in qua ut permaneret gratia indigebat actuali , gratia erat sanctificans . Dedit itaque Deus homini , proindeque et Angelo , gratiam sanctificantem . Lib. 12. de civ. Dei cap. 9. inquit : *Et istam* (bonam voluntatem) *quis fecerat , nisi ille qui eos cum bona voluntate , idest cum amore casto , quo illi adhaererent , creavit, simul eis condens naturam , et largiens gratiam ? Unde sine bona voluntate , hoc est , Dei amore , numquam sanctos Angelos fuisse , credendum est* . Ast bona voluntas sive castus amor quo quis adhaeret Deo , quid est nisi gratia sanctificans ? Nam S. Doctor e vestigio subdit Angelos in bona illa quam acceperant voluntate perseverantes , pervenisse *ad eam beatitudinis plenitudinem , unde se numquam casuros certissimi fierent* , ad Dei videlicet intuitivam visionem quae sine sanctificante gratia consequi nequit . Lib. 11. de civ. Dei cap. 11. jam scripserat : *Simul ut facti sunt , lux facti sunt : non tamen ita tantum creati , ut quoquo modo essent , aut quoquo modo viverent ; sed etiam illuminati , ut sapienter beateque viverent* . At vero lux qua sapienter beateque vivimus , juxta Scripturae Patrumque phrasim , gratia est sanctificans . Augustino alii quoque Patres suffragantur . Puta , Basilius in psal. 32. ait : *Angelos namque , ut essent , Verbum omnium opifex condidit : sanctificationem vero simul impendit ipsis Spiritus S.* Hieronymus tandem in Oseam affirmat , *Angelos in magna pinguedine Spiritus S. creatos esse* . III. Concinit his et theologica ratio . Nam id de Angelis dicendum est , quod de primo homine dicitur : Porro primus homo conditus cum gratia sanctificante fuit : dicente Tridentino concilio sess. 5. Adam per peccatum justitiam et sanctitatem perdidisse in qua fuerat constitutus ; Ergo etc.

Prob. denique tertia pars . Angelos gratiam sanctificantem in prima

illorum creatione a Deo recepisse nec in Scriptura nec in Traditione explicite continetur aut contineri implicite definitum est ab Ecclesia. Et nullam accessisse in hac caussa Ecclesiae definitionem res per se certissima est. Quod autem nostra haec sententia non contineatur expresse in sacris litteris et Patribus, vel ex hoc solo patet quod omnia illa testimonia a nobis de gratia sanctificante exposita, ab Ægidio, Bonaventura, Scoto, aliisque contrarium sentientibus explicentur vel de gratia actuali, vel de originali justitia naturalis ordinis quae in rationis rectitudine absque ulla concupiscentia et ignorantiae minima specie consistat. Hinc S. Thomas 1. p. q. 62. ar. 3. in corp. hanc eamdem sententiam non tamquam Fidei dogma, sed tamquam probabiliorem defendit.

CONCLUSIO II.

Angeli conditi a Deo fuerunt beati, beatitudine quidem supernaturali, sed inchoata, non completa ac perfectissima.

Prob. 1. pars. Beatitudo supernaturalis inchoata est, ut praemonuimus, felicitas ex sanctitate per gratiam, et ex delectatione praesentis boni absque ulla molestia orta; unde duo dicit, sanctitatem, ac praesentis boni fruitionem. Ast Angeli cum primum facti sunt, felices fuerunt: tum quia recti erant per gratiam: tum quia absque ulla molestia praesenti bono fruebantur. Et quod felices fuerint quia sancti per gratiam, patet ex iis quae proxime disputavimus: quibus addi potest quod Augustinus in lib. 11. de civ. Dei cap. 12. inquit: *Quis enim primos illos homines in paradiso negare audeat beatos fuisse ante peccatum, quamvis de sua beatitudine quam diuturna vel utrum aeterna esset incertos*; (*esset autem aeterna nisi peccassent:*) *cum hodie non imprudenter beatos vocemus, quos videmus juste ac pie cum spe futurae immortalitatis hanc vitam ducere, sine crimine vastante conscientiam*. Quod vero beati fuerint per praesentis boni delectationem absque ulla molestia, declarat ibidem S. Pater his verbis: *Quantum pertinet ad delectationem praesentis boni beatior erat primus homo in paradiso, quam quilibet justus in hac infirmitate mortali*. Et lib. 14. pariter de civ. Dei cap. 26. *Nihil omnino triste, nihil erat inaniter laetum; gaudium verum perpetuabatur ex Deo, in quem flagrabat caritas de corde puro et conscientia bona et fide non ficta*. Jam vero monuimus idem de Angelis ante peccatum tenendum esse quod de homine in statu naturae innocentis. Praeterea in lib. de corr. et gr. cap. 10. idem S. Doctor ait: *Angeli quidam, quorum princeps est qui dicitur diabolus, per liberum arbitrium a Domino Deo refugae facti sunt. Refugientes tamen ejus bonitatem, qua beati fuerunt, non potuerunt ejus effugere judicium, per quod miserrimi effecti sunt*. Quae verba satis insinuant Angelos malos fuisse quondam beatos. Verum ea beatitudo juxta allatam sententiam non fuit mere naturalis, quum fuerit a Dei bonitate ipsis collata, prout bonitas opponitur justitiae: adeoque fuit beatitudo ex

gratia ac praesentis boni delectatione proveniens. Hinc Angeli boni ex illo beatitudinis statu in quo simul cum Angelis malis antequam peccarent aliquamdiu fuerunt, per perseverantiam *ad beatitudinis plenitudinem, qua sunt beati, ut cadere non possint ulterius*, *illico pervenerunt*. Porro a statu mere naturali ad beatitudinis plenitudinem rationalis creatura transire non potest. Quare beatitudo in qua erant antequam per perseverantiam pervenirent ad patriam, erat inchoata beatitudo supernaturalis.

Prob. altera pars. Beatitudo completa et perfectissima quum sit omnium aggregatio bonorum quibus rationalis creatura per dona supernaturalia perficitur ac plenissima expletur felicitate, tres exigit conditiones. 1. ut creatura quae hoc modo beata est, sit sancta per gratiam. 2. ut praesentis boni fruatur delectatione absque ulla tristitia. 3. ut certissime sciat se non amplius ex illo felicitatis statu esse casuram. Angeli autem cum primum facti sunt, licet essent sancti per gratiam praesentisque boni fruerentur absque ulla tristitia delectatione; certissimi tamen non erant se ex illo felicissimo statu non esse casuros. Nam ut probe observat Augustinus lib. de corr. et gr. cap. 10. *Erat tamen adhuc quod eorum adderetur beatitudini, si per liberum arbitrium in veritate stetissent, donec istam summae beatitudinis plenitudinem, tamquam praemium ipsius permansionis acciperent, idest, ut magna per Spiritum Sanctum data abundantia caritatis Dei, cadere ulterius omnino non possent, et hoc de se certissime nossent. Hanc plenitudinem beatitudinis non habebant: sed quia nesciebant suam futuram miseriam, minore quidem, sed tamen beatitudine sine ullo vitio fruebantur.*

COROLLARIUM

Ex dictis colligitur habuisse Angelos in primo creationis instanti beatitudinem etiam naturalem: quum enim integram atque rectissimam haberent naturam, praecisa supernaturali quoque gratia, suapte natura ultimam consequi poterant perfectionem: in quo naturalis beatitudo consistit.

Contraria argumenta solvuntur.

Obj. 1. cont. 1. thes. Job cap. 4. v. 18. legitur: *Et in Angelis suis reperit pravitatem*. Non igitur acceperunt gratiam. II. Et pravitatis quidem nomine gratiae defectus intelligitur. Nam ubi nos in nostra Vulgata legimus, *In Angelis suis reperit pravitatem;* in textu hebraico habetur, *Et in Angelis non posuit lucem*: cujus nomine profecto juxta Scripturae Patrumque loquendi morem intelligitur gratia.

Resp. ad 1. Principio, allata Jobi verba si prout sonant accipiantur, nimis probant; probant nempe Angelos in primo conditionis instanti fuisse pravos, quod repugnat. 2. Sensus ergo illorum verborum est, Angelos comparate ad Deum esse imperfectos Deumque in illis invenire pravitatem, hoc est, non summam perfectionem. 3. Vel dici potest loqui Jobum de An-

gelis malis in quibus certe reperit Deus pravitatem quoniam peccaverunt. Nec moveat quod ait, *Angelis suis*; hoc enim inquit quia ab illo, non ab alio creati sunt. Nititur tertia haec observatio textui hebraico ubi vox תהלה, *Tahalah*, occurrit quae et *lucem* et *stultitiam* significat.

Ad 2. Lucis nomen in Scripturae ac Patrum phrasi, non unum semper idemque significat, sed aliquando gratiam et aliquando secretorum etiam consiliorum manifestationem. Loquutio ergo illa, *Et in Angelis suis non posuit lucem*, idem valet ac ista: Deus non revelavit Angelis abscondita consilii sui. Cui interpretationi favet chaldaica Paraphrasis quae ita laudata Jobi verba vertit: *Prophetis non credet arcana*.

Obj. 2. S. P. Augustinus in lib. de corr. et gr. cap. 10. luculenter affirmat nullam habuisse Angelos gratiam; ait enim: *Credimus, Deum Dominumque rerum omnium ... sic ordinasse Angelorum et hominum vitam, ut in ea prius ostenderet, quid posset eorum liberum arbitrium, deinde quid posset suae gratiae beneficium*. Et in lib. 1. de gen. ad litt. tradit cap. 1. et deinceps naturam angelicam fuisse ab exordio *informem et imperfectam*. II. Gregorius quoque M. lib. 32. Moral. cap. 18. negare videtur Angelos malos habuisse initio charitatem: docet siquidem fuisse solum capaces charitatis qua repleri potuissent si voluissent. III. Johannes R. P. cap. *Visis litteris* tit. 16. q. 2. inquit: *Dolet satis diabolus et erubescit, caritatem quam in caelis nequivit habere, homines constantes ex lutea natura tenere in terris*. Charitas vero juxta Augustinianae scholae principia actualis et habitualis gratiae constituit naturam.

Resp. ad 1. Augustinum de statu innocentis naturae loquentem, nomine liberi arbitrii nonnisi voluntatem gratia indifferenti, non autem efficaci adjutam intelligere. Ibi namque discrimen inter naturam innocentem et lapsam tradit: docetque in priori statu gratiam tantum versatilem, in posteriori vero gratiam efficacem esse necessariam. Cumque opera a rationali creatura cum sola gratia versatili elicita appellari possint opera liberi arbitrii cujus gratia versatilis est pedissequa, potius quam opera gratiae; hinc S. Doctor affirmat voluisse Deum prius experiri quid posset liberum arbitrium, deinde quid suae gratiae beneficium justitiaeque judicium. Sed de his fusius in tractationibus de gratia. Ceterum S. Patrem non denegare Angelis primoque homini gratiam, apertissime liquet ex eodem libro cap. 11. ubi ita scribit: *Tale quippe erat adjutorium, quod desereret cum vellet, et in quo permaneret si vellet; non quo fieret ut vellet. Haec prima est gratia quae data est primo Adam: sed hac potentior est in secundo Adam. Prima est enim qua fit ut habeat homo justitiam si velit: secunda ergo plus potest, qua etiam fit ut velit, et tantum velit, tantoque ardore diligat, ut carnis voluntatem contraria concupiscentem voluntate spiritus vincat*. Ex quibus apparet non denegasse Augustinum Angelis gratiam, sed inter utrumque statum distinxisse. In lib. autem 1. de gen. ad litt. ait S. Doctor angelicam naturam creatam fuisse ab exordio *informem et imperfectam*, vel quia nisi Deus revocet ad se in aeterno et incommutabili Verbo omnia quae in illo condidit, creatura se ipsa ten-

dit in nihilum: vel quia creatura illa quamtumvis gratia ab initio exornata, nondum tamen fruebatur perfecta beatitudine: quae tamquam merces illi rependenda erat, si in illa gratia stetisset: vel quia primum concipitur natura ratione et intellectu praedita, deinde gratia exornata; adeoque de prioritate ordinis sive naturae intelligendus est Augustinus, non temporis, quasi Deus per temporum intervalla sit operatus. Patent haec legenti Augustinum in loco citato. Nihilo secius lib. 12. de civ. Dei cap. 9. contendit per omnia Angelos a Deo creatos fuisse, *cum bona voluntate, id est, cum amore casto, quo illi adhaererent, simul eis et condens naturam, et largiens gratiam*.

Ad 2. Gregorius M. nomine charitatis charitatem intelligit consummatam quae habetur in gloria, eoque sensu ait Angelos non habuisse ab initio charitatem, sed charitatis capacitatem; quoniam per voluntatem gratia suffultam poterant utique acquirere perfectam beatitatem. Hanc esse Gregorii mentem patet ex eo quod ibidem malos Angelos cum lapidibus comparet pretiosis foramina habentibus quae repleri possint auro. Auri autem nomen, penes Gregorium, charitatem significat consummatam seu gloriam. Johannis autem R. P. verba nullam continent difficultatem si animadvertamus, *habere*, significare, *retinere*, *conservare*. Id autem revera significare liquet ex antithesi inter daemonem et hominem ibidem ab eo instituta; atque adeo sententiae nostrae non derogat, imo potius favet: quoniam si diabolus charitatem retinere aut conservare nequivit; ergo charitatem, adeoque gratiam aliquando habuit.

Obj. 3. adv. alt. prop. Multi SS. PP. affirmant conditos a Deo Angelos omnes fuisse in statu beatitudinis supernaturalis completae ac perfectissimae. Fulgentius enim in lib. de Fide ad Petrum cap. 3. *Angeli*, inquit, *aeternitatis ac beatitudinis donum in ipsa naturae spiritalis creatione divinitus acceperunt*. Gelasius Papa in ep. cont. Pelag. et ipse scribit: *Beati et sublimes Angeli de perceptis donis grati etc.* Gregorius M. hom. 7. in Ezechiel, *Angelos sanctos, cadentibus aliis, in sua beatitudine perstitisse*. Eadem habent Isidorus hispal. lib. 7. orig. et Gennadius in lib. de Eccl. dogm. cap. 12.

Resp. Laudatos in argumento Patres de beatitudine loqui supernaturali quidem, sed inchoata et imperfecta. Nam Fulgentius affirmat eo modo creatos beatos fuisse Angelos ac homo. En integra sententia: *Angeli ergo atque homines pro eo quia rationales sunt facti, aeternitatis ac beatitudinis* etc. Ast nemo dixerit credidisse Fulgentium quod homo conditus sit in beatitudine supernaturali completa et perfectissima. Gelasius autem affirmat talem Angelorum fuisse beatitudinem ut proficere in ea potuerint; scribit namque loco citato: *Ad ejus perpetuitatem proficere provehique meruerunt*. Eodem modo loquitur Gregorius qui mentem suam his verbis pandit: *Atque hoc acceperunt in munere, ut jam cadere omnino non possent*, quae simillima sunt iis quae ex S. Augustino supra recitavimus. Isidorus sententiam suam non minus luculenter prodit. Etenim scribit ibidem: *Postquam apostatae Angeli ceciderunt* (Angelos sanctos) *in per-*

severantia aeternae beatitudinis esse solidatos. Gennadius denique scribit: *Tales creati sunt Angeli, ut si vellent, in beatitudinis luce persisterent*. Adepta autem semel beatitudine completa, non est in creaturae voluntate illam abjicere.

Adversus positum superius corollarium posset quis objicere: Ubi poena aliqua est et miseria, ibi nulla est nec naturalis felicitas. Quum autem Angeli de illorum incerti essent perseverantia, non poterant ab ea incertitudine non excruciari: atque ita neque naturali beatitate fruebantur. Sed difficultas haec parum negotii facessit. Nam Angeli incerti quidem de sua perseverantia erant. Verum incertitudo illa eorum animum minime excruciabat, quum perseverare in propria esset potestate: habebant siquidem gratiam et liberum arbitrium sanum et integrum. Fruebantur interim praesentis boni delectatione; adeoque felices erant. Atque haec de statu in quo primitus conditi fuerunt Angeli sufficiant.

CAPUT V.

De Angelorum intellectu, et de rebus praecise illorum cognitioni subjectis; deque modo quo angelica cognitio peragitur.

Angelos intelligendi vi atque potentia praeditos esse, nemo qui illorum fateatur existentiam in dubium audet revocare; facileque ex iis quae hactenus disputavimus patet. Si namque Angeli substantiae sunt omni penitus materia expertes, mere spirituales, et numeris omnibus absolutae, quis inficias ire poterit quin intelligendi polleant facultate? Hinc veteres Patres nostri, Gregorius praesertim nazianzenus, Auctor de divin. nomin. ejusque commentator Maximus martyr, et Basilius, et Damascenus aliique Angelos, *Intelligentias*, substantias *intelligentes*, vel *intelligibiles* saepe appellant. Hic supervacue admodum investigare solent Scholastici an et quomodo Angeli intellectus ab illius substantia distinguatur; vel qua ratione intellectio a substantia et intellectu distinguatur: asserentibus nonnullis dari inter haec distinctionem realem; aliis modalem; Scotistis formalem; Thomistis virtualem. De his inquam, ac similibus otiose prorsus in scholis disceptatur: quum certissimum sit intellectum et voluntatem duas esse angelicae naturae proprietates ex quibus sui actus, volitio nempe et intellectio profluunt: adeoque ea inter haec admittenda est distinctio quae inter substantiam ejusque proprietates, inter potentiam suosque actus solet admitti; nec subtilioribus debemus inquisitionibus rebus per se luculentissimis offundere tenebras. Illud utilius Theologi inquirunt, quaenam videlicet sint res Angelorum cognitioni subjectae, et quomodo angelica peragatur cognitio. Et quoad primam quaestionis partem omnes unanimiter conveniunt Angelos solis naturae viribus cognoscere Deum, seipsos, alios Angelos, animam humanam, corpora omnia; immo et ipsa futura si sint necessaria. Quod si futura sint contingentia, per conjecturam quidem, non autem certa scientia ab iis cognoscuntur. Multo magis

eorum naturalem fugiunt intuitum futura mere fortuita vel libera, occultae secretaeque cordium cogitationes, ipsaque christianae Religionis mysteria. Haec inquam, ab omnibus Theologis unanimi consensu admittuntur. In veritatis nihilominus confirmationem singulae enumeratae partes erunt a nobis demonstrandae.

De altera autem disquisitionis propositae parte varia sunt Theologorum judicia. Alensis, Gandavensis et alii arbitrantur Angelorum cognitionem proprium attingere objectum per species a rebus ipsis cognoscibilibus acceptas. Durandus, Ochamus, Gabriel, horumque sectatores e contra omnem omnino sive innatam sive acquisitam speciem in angelica cognitione intercedere negant, docentes Angelos cognoscere quaecumque cognoscunt per solam essentiam et intellectum. S. Thomas quem Contensonius, Estius, Sylvius, Jouvenin, Tournely aliique complures sequuntur, affirmant Angelos multa quidem cognoscere, tamquam per medium, per species; innatas tamen non acquisitas: sed non omnia. Nos solidissimis S. P. Augustini inhaerentes principiis admittere in Angelis non dubitamus species quasdam per quas tamquam per medium cognoscant quaecumque cognoscunt, dummodo duo nobis concedantur. Primum, ejusmodi species ipsis connaturales esse et ingenitas, non ab objectis expressas. Alterum, has species nil aliud esse nisi divinae aeternae et incommutabilis lucis participationem eo quo paullo post explicabimus modo. Interim ad primum redeamus controversiae caput.

CONCLUSIO I.

Angeli solis naturae viribus cognoscunt Deum, seipsos, alios Angelos, resque omnes subsistentes: futura necessaria et quidem certo; minime vero futura contingentia et libera nisi per conjecturam: secreta vero cordium etiamsi praesentia sint, et nostrae Fidei mysteria eorum fugiunt naturalem cognitionem.

Prob. prior thesis pars. Homo cognoscit Deum naturaliter: dicente Apostolo ad Rom. cap. 1. *Quem notum est Dei, manifestum est in illis. Deus enim illis manifestavit: invisibilia enim ipsius, a creatura mundi, per ea quae facta sunt, intellecta, conspiciuntur.* Cognitio autem Angelorum multo perspicacior est cognitione humana: Ergo a fortiori etc.

Prob. altera pars. Anima humana per conscientiam, seipsam licet imperfecte cognoscit, quum sibi ipsi per conscientiam sit intime praesens. Cur dicere idipsum non debemus de Angelis? Immo magis quam anima humana sibi praesens est Angelus qui corpus non habet a quo impeditur.

Prob. 3. pars. Isaiae cap. 6. de Seraphim narratur quod *clamabant alter ad alterum*. Zach. 2. Angelus Angelo inquit: *Curre, loquere ad puerum istum*. Apocal. cap. 5. quatuor Angelis dictum est ab uno: *Nolite nocere terrae, et mari*. Alibi describuntur Angeli veluti cives unam

constituentes in Patria urbem caelestis Jerusalem. Jam vero qui invicem loquuntur, unamque simul componunt societatem, invicem quoque cognoscuntur.

Prob. 4. pars. Res per se subsistentes id habent commune cum Angelis, ut et ipsi sint per se subsistentes. Sicuti ergo cognoscunt Angeli seipsos, ita etiam et quae ipsis similia sunt in aliquo.

Prob. 5. pars. Futura necessaria ea sunt quae necessariam habent cum suis caussis connexionem, ut est futurus solis ortus, futura eclypsis lunae, et cetera hujusmodi. Ast vero Angeli solis naturae viribus connexionem quam cum suis caussis habent effectus, cognoscunt: quum enim Angelorum cognitio sit in suo genere perfectissima, attingit utique virtutem quam naturales caussae praeditae sunt ut producant effectus.

Prob. 6. pars pluribus momentis. Et I. Scripturis. Nam Isaiae cap. 41. legitur: *Annuntiate, quae ventura sunt in futurum, et sciemus, quia dii estis vos*. Dan. cap. 2. *Est Deus in caelo revelans mysteria, qui indicavit tibi rex Nabuchodonosor, quae ventura sunt in novissimis temporibus*. Non de futuris necessariis, sed liberis ac mere fortuitis loquuntur Prophetae, ut ex recitatis apparet. Ast ajunt futura haec cognoscere proprium esse solius divinitatis characterem; unde ea carent notitia angelicae mentes. II. Ex PP. Tertullianus quippe apolog. cap. 19. *Idoneum*, inquit, *testimonium divinitatis, veritas divinationis*. S. Hieronymus in Daniel: *Confitentur Magi, confitentur Arioli, et omnis scientia saecularis litteraturae, praescientiam futurorum non esse hominum, sed Dei*. S. P. Augustinus lib. 5. de civ. Dei cap. 9. *Qui enim non est praescius omnium futurorum, non est utique Deus*. Consimilia tradunt reliqui omnes Patres. III. Ratione. Si Angeli futura libera et fortuita cognoscerent, ea vel in ipsis futuris, vel in caussis eorum intuerentur. Neutrum autem dici potest. Non primum, quoniam Angeli non sunt futuris liberis aut fortuitis eventibus praesentes, quod solius Dei qui est aeternus proprium est. Sed neque alterum, quum futurorum liberorum atque fortuitorum caussae sint indifferentes.

Prob. 7. pars pluribus pariter momentis. I. ex Scripturis. Lib. 1. Reg. cap. 16. legitur: *Homo videt ea quae parent, Dominus autem intuetur cor*. Lib. 3. Reg. cap. 8. *Tu nosti solus cor omnium filiorum hominum*. Ecclesiastici cap. 42. *Abyssum, et cor hominum investigavit*. Jerem. cap. 17. *Pravum est cor omnium, et inscrutabile: quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor, et probans renes*. Ex his apparet secreta cordium, etiamsi praesentia sint, cognoscere; ita ad solum Deum pertinere ut ea cognitio minime possit Angelis tribui. II. ex PP. quorum si omnia ad rem facientia voluero referre dicta, infinitus ero. Origenes hom. 7. in Gen. scribit: *Deo enim soli cognitum est propositum mentis*. Chrysostomus hom. 4. in Matth. exponens illa verba: *Hoc autem eo cogitante, Angelus in somnis apparuit ei*, ita fatur: *Hoc signum fuit certissimum illum a Deo missum fuisse Angelum; quippe solius Dei est arcana cordium nosse*. Cyrillus alexandrinus lib. 2. in Johan. ad illa verba: *Ipse enim sciebat, quid esset in homine*, sic scribit: *Haec quoque dignitas, uti et ceterae quae sunt in Christo, Deo competit; nec inest illi crea-*

turae; *soli enim vero Deo ipsam tribuit Psalmista dicens*: *Qui finxit singillatim corda eorum*: *qui intelligit omnia opera eorum*. Ambrosius in cap. 5. Lucae, Hieronymus in cap. 9. Matth. Fulgentius lib. 2. ad Trasimund. aliique Patres inviete demonstrant Christi divinitatem ex eo quod in Evangeliis narretur secretas hominum novisse cogitationes. Tandem S. P. Augustinus serm. 91. de verb. Evang. Matth. alias 234. de temp. de S. Iob loquens inquit: *Colebat Deum*, *faciebat eleemosynas*; *et quo corde faciebat*, *nemo sciebat*, *nec ipse diabolus*: *sed Deus noverat*. Ex his facile est concludere Angelos non modo secretas cordium cogitationes futuras, sed neque praesentes, ut Durandus contendit, cognoscere. III. ex ratione. Si qua ratio esset cur Angelus arcana cordium secreta cognoscere valeat, maxime esset, quoniam ei praesentia sunt corda illorumque etiam cogitationes. Haec autem ratio probat dumtaxat Angelum cognoscere quidem alios Angelos et homines cogitare; non probat autem cognoscere quid revera cogitent. Nam praesentia objecti potentiam determinat ad objecti ipsius existentiam, non vero modificationes determinat agnoscendas, nisi extrinseco aliquo signo vel corporeo vel spirituali id manifestum fiat. Cogitatio quippe semper libera est et indifferens, nec potest ab extrinseca caussa absolute determinari.

Observandum est hic non unam eamdemque a Theologis afferri caussam cur Angelis arcana cordium secreta ignota sint, etiamsi sint praesentia. S. Thomas hanc affert rationem, quod scilicet solus Deus titulo supremi dominii ac ultimi finis in creatam possit voluntatem operari. Gregorius ariminensis repetit id ex defectu modi ad aliorum mentem perveniendi; non enim haec angelico intellectui proxime inhaeret: quod requiritur, ut eximius ille Doctor ait, ut alienae cogitationes dignoscantur. Doctor subtilis hanc assignat caussam, quod licet alienae cogitationes proportionem cum angelico intellectu habeant; Deus nihilominus concursum subtrahit necessarium Angelo in alienas volenti inquirere cogitationes. Solidior videtur caussa a nobis proxime allata, quae ex iis quae dicturi sumus deinceps, clarius intelligetur.

SCHOLION.

Fatendum tamen est paucas admodum esse secretas Angelorum hominumque cogitationes quae angelicum lateant intuitum; quum facillimum sit per motum spirituum externaque signa eas prodere ac manifestare. Et quoniam vel ipsi homines internas animi affectiones ex signis dignoscunt extrinsecis, multo magis poterunt a signis easdem perspicere Angeli. Animadvertendum est praeterea sententiam hanc nostram certam plane esse, non autem pertinere ad Fidem. Durandus enim qui secretorum cordium praesentium notitiam concedit Angelis, diverso prorsus a nobis modo superius allata Scripturae ac Patrum testimonia interpretatur. Et quamvis in illis exponendis decipiatur, quum nihil sit hac in caussa ab Ecclesia definitum, neque Durandi opinio proscripta; dici non potest sententiam nostram ad Fidem pertinere.

Prob. nunc postrema pars prop. I. ex sacris litteris. Apostolus in ep.

ad Ephes. cap. 3. testatur se accepisse a Deo gratiam evangelizandi, *Ut innotescat principatibus, et potestatibus in caelestibus* (hoc est Angelis) *per Ecclesiam multiformis sapientia Dei, secundum praefinitionem saeculorum, quam fecit in Christo J. D. N.* Quae verba exponens Chrysostomus docet Angelos per Apostolorum praedicationem multa christianae Religionis cognovisse mysteria quae antea non noverant. II. ex Patribus. Ambrosius com. in cap. 2. ep. I. ad Cor. inquit: *Sensum Dei nemo novit nisi qui de Deo est, Spiritus Dei: inferiora enim non possunt superiorum scire consilium, neque creatura conditoris sui scire voluntatem.* Athanasius lib. 5. adv. Arian. in fine, de Christo inquit: *Invisibilis antea caelestibus virtutibus; nunc visibilis propter conjunctionem cum visibili homine.* Consimili ratione reliqui Patres loquuntur, et Augustinus praesertim lib. 9. de C. D. cap. 21. et Leo M. serm. 2. de nat. Dom. III. ratione. Mysteria nostrae Fidei nullam prorsus cum angelico intellectu proportionem habent; illa siquidem ordinis sunt supernaturalis, hic vero ordinis naturalis et creati. Quomodo ergo ea assequi poterunt Angeli? Deinde nequit Angelus solis naturae viribus alterius Angeli conspicere cogitationes, quoniam haec a libera voluntate dependent; multo minus igitur assequi poterit mysteria Fidei quae dependent a Dei voluntate.

CONCLUSIO II.

Medium in quo Angeli cernunt objecta, non sunt species a cognoscibilibus rebus acceptae, sed sunt species ipsis innatae; hoc est, lux illa divina et incommutabilis in qua rerum omnium rationes effulgent.

Prob. 1. pars. Res quae ab Angelis cognosci possunt, vel materiales sunt vel spirituales. Ast ex neutris exprimere species possunt per quas illas cognoscant. Non ex materialibus, quoniam species per quam angelica mens proprium attingit objectum, esse debet quid spirituale; quum recipi in intellectu debeat qui a qualibet independens materia totus spiritualis est. Sed neque a rebus spiritualibus eas haurire potest species. Res enim spiritualis speciem ejusmodi emittere deberet a se, illamque ad angelicum transmittere intellectum. Neutrum autem spiritualis praestare potest substantia. Non speciem suipsius a se emittere; quum spiritualis substantia nihil per se ad extra valeat operari nisi motum localem, quaequae huic connexa sunt. Multo minus potest sui repraesentativam speciem ad angelicam mentem transmitttere; quum percipi nequeat quomodo absque praevio Angeli consensu possit spiritualis substantia in illius intellectum sui ipsius speciem transmittere.

Prob. altera pars. Ezech. cap. 28. legitur: *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, et perfectus decore ... Tu Cherub extentus et protegens ... perfectus in viis tuis a die conditionis tuae.* Quae verba significant Angelos creatos a Deo fuisse sapientes; imo cum sapientiae

plenitudine: quod falsum esset nisi illorum intellectui rerum omnium species indidisset. Hinc Auctor de divin. nom. cap. 7. *Angeli*, inquit, *non congregant cognitionem a rebus divisibilibus, aut sensibilibus*. Sed rem obscuram luculenter exponit S. P. Augustinus lib. 2. de gen. ad litt. cap. 8. his plane verbis: *Quemadmodum ratio, qua creatura conditur, prior est in Verbo Dei quam ipsa creatura quae conditur: sic et ejusdem rationis cognitio prius fit in creatura intellectuali, quae peccato tenebrata non est; ac deinde ipsa conditio creaturae. Neque enim sicut nos ad percipiendam sapientiam proficiebant Angeli, ut invisibilia Dei per ea quae facta sunt intellecta conspicerent, qui ex quo creati sunt, ipsa Verbi aeternitate sancta et pia contemplatione perfruuntur*. Et lib. 4. cap. 32. subdit: *Mens vero angelica pura caritate inhaerens Verbo Dei, postea quam illo ordine creata est, ut praecederet cetera, prius ea vidit in Verbo Dei facienda, quam facta sunt*. Docet praeterea ibidem trium illorum verborum capitis 1. Gen. *Fiat*, *Factum est*, *Fecit*, primum ad rationem referri quae praecessit condendae creaturae in Verbo Dei; alterum nempe, *Factum est*, ad cognitionem mentis angelicae, quae cognitio praecessit res corporeas in natura sua: factae sunt enim prius in angelica mente quam in seipsis; ita ut sensus sit, factum est prius in creatura intellectuali quod postea factum est in propria forma. Tertium referri docet ad creaturas in seipsas, ut sensus sit, *Fecit* in propria natura quod jam factum erat in mente Angelorum. Ac ideo explicatur cur loquens Moyses de Angelis dixit, *Fiat*, et, *Factum est*; loquens autem de ceteris operibus dixerit, *Fiat*, *Fecit*, et, *Factum est*. Cui S. P. Augustini sententiae utroque pollice subscribit Doctor Angelicus Q. 35. ar. 2. et Q. 58. ar. 7.

Prob. 3. pars simul et explicatur. Non Angeli modo, sed animae quoque humanae participes sunt lucis aeternae atque incommutabilis in qua rerum omnium effulgent notiones: et haec lux illa est quae appellari solet criterium veritatis, per quod rationalis creatura de unitate perfectione aequalitate similitudine aliisque hujus generis infallibiliter judicat. Et lucem illam incommutabilem affulgere quidem humanae menti ex Augustini nostri libris de vera Relig. de lib. arb. et de doctr. chr. demonstravimus harum inst. lib. 8. cap. 5. quem locum consulas. Angelos autem illius etiam aeternae lucis a primo illorum conditionis instanti factos fuisse participes, patet tum ex quo perfectior homine Angelus sit institutus; proindeque si homini, multo magis Angelo aeternum illud lumen praesto esse debet: tum ex hac praeclara S. P. Augustini sententia ex lib. 11. de C. D. cap. 9. deprompta. *Profecto facti sunt* (Angeli) *participes lucis aeternae, quod est ipsa incommutabilis Sapientia Dei, per quam facta sunt omnia, quam dicimus unigenitum Dei Filium*. Sed perlege omnino praecitatum caput, et ex iis colliges intellectum angelicum in primo suae conditionis instanti luce quadam suffultum fuisse divina et incommutabili quae est ipse Deus, seu ipsa increata Sapientia rerum omnium exhibens notitiam. En species seu medium per quod angelicus intellectus cognoscit quaecumque cognoscit. Nam eam habet Angelus rerum cognitionem ut

certissimum de illis ferre possit judicium. Quod certe ferre non posset Angelus nisi medium per quod res illas cognoscit, esset lux aeterna et incommutabilis. Haec namque sola certitudinem parere potest et scientiae et judicii; quum ipsa de omni vero certissime judicet. Hinc S. P. Augustinus lib. 4. de gen. ad litt. cap. 32. *Mens vero angelica*, inquit, *pura caritate inhaerens verbo Dei, postea quam illo ordine creata est, ut praecederet cetera, prius ea vidit in Verbo Dei facienda, quam facta sunt*. Et lib. 11. de civ. Dei cap. 4. nuper laudato. *Lumen quippe verum, quod illuminat omnem hominem in hunc mundum venientem, hoc illuminat et omnem Angelum mundum*. Accipe aliud in nostrae sententiae confirmationem argumentum. Angeli in prima illorum creatione creata omnia entia tum in Verbo tum in seipsis conspexerunt. Nam S. P. Augustinus lib. 4. de gen. ad litt. cap. 24. scribit: *Sancti Angeli ... procul dubio universam creaturam, in qua ipsa sunt principaliter conditi, in ipso Verbo Dei prius noverunt, in quo sunt omnium, etiam quae temporaliter facta sunt, aeternae rationes, tamquam in eo per quod facta sunt omnia: ac deinde in ipsa creatura, quam sic noverunt tamquam infra despicientes, eamque referentes ad illius laudem, in cujus incommutabili veritate rationes, secundum quas facta est, principaliter vident*. Ast vero cognitio creaturarum in Verbo quid aliud esse poterat nisi illarum cognitio per incommutabilem lucem in qua rerum omnium rationes effulgent? Nam Angelorum illa cognitio nequibat eis ab intuitiva Dei visione advenire et a lumine gloriae; quum quando viderunt creaturas in Verbo adhuc essent in via; imo viderunt illas statim ac conditi sunt, et antequam res in propriis constituerentur speciebus. Descendebat ergo in illis rerum omnium notitia ab illa incommutabili luce quae est sola Sapientia Dei. Atque hoc specierum seu idearum ingenitarum nomine nos intelligimus. Relege verba Augustini quae prostant lib. 2. de gen. ad litt. cap. 8. superius recitata.

SCHOLION.

Lex itaque incommutabilis quae est ipsa increata Dei Sapientia, quaeque rerum omnium ideas exibet ac rationes, medium est per quod Angeli cognoscunt quaecumque cognoscunt. Quod ut luculentius intelligamus (de re enim nimis abstracta loquimur) in memoriam nonnulla breviter sunt revocanda quae fuse exposuimus agentes de Dei existentia. 1. Lex illa aeterna et incommutabilis tribus modis cuilibet rationali creaturae affulget, per modum videlicet luminis *rationis*; per modum luminis *gratiae;* et per modum luminis *gloriae*. Priori modo lex illa menti affulget rerum omnium ordinis naturalis communes ideas rationesque exhibendo, regulam nimirum secernendi verum a falso, aequale ab inaequali, simile a dissimili etc. distinguendo. Secundo modo affulget menti repraesentando, confuse tamen ac subobscure, quae ordinis sunt supernaturalis, veluti sunt mysteria Fidei. Tertio tandem modo affulget lux illa menti manifestando

Deum, non per speculum et in aenigmate, sed facie ad faciem et prout in se est. Species ergo, ut a Theologis appellantur, angelicae inditae menti per quas res omnes naturalis ordinis cognoscit, seu medium per quod Angelus naturale attingit objectum, sunt lux incommutabilis rerum naturalium exhibens ideas per modum *luminis rationis*. Per hoc Angelus cognoscit seipsum, alios Angelos, communes corporearum rerum rationes et semina, hisque similia. Mysteria autem nostrae Religionis cognoscit non solis naturae viribus seu per solum lumen rationis, sed per lucem aeternam atque divinam illius menti affulgentem per modum *luminis gratiae*. Ac per eamdem lucem affulgentem per modum *luminis gloriae* videt Angelus Deum prout est in se. II. Sed quoniam incommutabilis illa lux angelicae menti per modum luminis rationis affulgens non exhibet nisi rationes communes, hinc ut Angelus singulares rerum rationes seu differentias specificas, ut ajunt, atque numericas perficiat, necesse est ut rerum praesentia rationes illas communes ab incommutabili luce repraesentatas in singulari determinet. Atque hoc sensu S. P. Augustinus ait Angelos prius cognoscere creaturas in Verbo, hoc est, in luce aeterna et incommutabili quae communes rerum exhibet notiones, deinde in seipsis ut singularia quaeque percipiant. Hoc quoque sensu verba illa intelligenda sunt quae S. Doctor in lib. 11. de civ. Dei cap. 7. habet: *Cognitio creaturae in seipsa decoloratior est, ut ita dicam, quam cum in Dei Sapientia cognoscitur, velut in arte qua facta est*. Et illa alia quae scribit cap. ejusd. libri 29. *Omnia haec aliter in Verbo Dei cognoscuntur ab Angelis, ubi habent causas rationesque suas, id est, secundum quas facta sunt, incommutabiliter permanentes, aliter in seipsis; illic clariore, hic obscuriore cognitione, velut artis atque operum*. III. Ac denique ex his intelligitur quid sit Angelorum cognitio matutina et vespertina cujus tam saepe meminit S. Pater in libris de gen. ad litt. et de civ. Dei. Cognitio nempe Angelorum matutina est illa per quam creaturas intuentur in Verbo, idest, in lumine illo incommutabili rerum omnium ideas rationesque exhibente: quae clarior jure dicitur; quoniam per eam creaturae videntur velut in arte et in regula. Cognitio vero vespertina est earumdem creaturarum cognitio in seipsis, et decoloratior dicitur, quoniam differentiae specificae et numericae debent luci illi aeternae commensurari quae cognitionem efficit matutinam. *Multum quippe interest*, ait S. Doctor lib. 4. de gen. ad litt. cap. 23. *inter cognitionem rei cujusque in Verbo Dei, et cognitionem ejus in natura ejus, ut illud merito ad diem pertineat, hoc ad vesperam. In comparatione enim lucis illius quae in Verbo Dei conspicitur, omnis cognitio qua creaturam quamlibet in seipsa novimus, non immerito nox dici potest*.

Nonnulla solvuntur argumenta quae sententiam nostram impetere videntur.

Obj. 2. Id multo magis naturali facultate potest Angelus quod po-

test anima humana a corpore soluta; excellentioris quippe conditionis est Angelus anima humana. Haec autem a corpore soluta connaturali sibi facultate potest futura contingentia cognoscere, et quidem scientia certissima, ut post Augustinum Gregorius M. lib. 4. Moral. cap. 26. docet. II. Et vero, anima a corpore soluta et Angelus clare percipiunt caelestium corporum impressionem. Caelestia autem corpora a Deo creata sunt in signa futurorum tum contingentium tum fortuitorum. Origenes enim, ut Eusebius lib. 6. de praep. Evangel. cap. 9. narrat, exponens illa Gen. verba, *Fecit luminaria, ut sint in signa, et tempora etc.* affirmat in caelis futura omnia fortuita et contingentia esse scripta. III. Hinc Angeli sive boni sive mali futura contingentia atque fortuita quam saepissime praedicunt.

Resp. ad 1. Augustinus et Gregorius nil aliud affirmant quam animam humanam a corpore solutam, per meram conjecturam videre futura contingentia; quatenus scilicet facilius videt siderum impressionem in sublunaribus quam dum esset in corpore, ex eaque notitia per conjecturam quid futurum sit arguit. Hoc modo Angelum quoque futura contingentia ac fortuita cognoscere non diffitemur.

Ad 2. Origenes in expositione verborum Gen. *Fiant luminaria* etc. a vero longe aberravit. Nam ut S. P. Augustinus lib. 2. de gen. ad litt. 14. optime inquit, Deus luminaria posuit in firmamento ut sciremus non illa *Quae observare vanitatis est*; *sed utilia, et hujus vitae usibus necessaria*.

Ad 3. Respondet Damascenus lib. 2. de Fide orth. cap. 3. *Futura quidem, tametsi nec Dei Angeli, nec daemones norint; utrique tamen praedicunt, sed dispari modo. Angeli enim futuros eventus non aliter praedicunt quam Deo ipsis, quae futura sunt, detegente: quo fit ut ea omnia eveniant quae ab ipsis praedicuntur. Daemones autem ipsi quoque praedicunt interdum videlicet, quia ea quae procul geruntur, cernunt interdum sola conjectura duce: ex quo etiam efficitur ut plerumque mentiantur*.

Obj. 2. Johan. cap. 13. legitur: *Post buccellam introivit in eum* (Judam) *Satanas*. Haec demonstrant manifesta esse Angelis malis humanorum cordium secreta. Qui namque in hominis corde manet ut daemon in corde Judae, quae sunt in corde, hoc est, liberas cogitationes easque secretissimas videt. II. Quod Basilii et Gregorii Papae confirmatur auctoritate. Quorum prior in lib. de vera Virginit. alloquens puellas, docet illarum cogitata, etiam abscondita et secretissima, praesentia esse caelestibus spiritibus. Alter vero lib. 3. Moral. cap. 154. tradit quod post resurrectionem *Unus homo erit perspicabilis alteri, sicut ipse sibi*. Quare multo magis Angeli aliorum perspicient cogitationes, praesertim si sint praesentes. III. Idque certe fiet etiamsi nolit anima proprias manifestare cogitationes. Nam quum Angeli sint anima humana nobiliores perfectissimaque gaudeant cognitione, animam ipsam proculdubio comprehendunt. Ubi autem comprehensio est, ibi est quoque cognitio non modo substantiae, sed etiam modificationum. Cumque modificationes animae sint cogitationes, hac neuti-

quam Angeli mentem latent. IV. Et nihil plane est quod impediat quin Angelus liberas animae humanae attingat cogitationes. Non improportio, quum ejusdem sint spiritualis naturae. Neque distantia, supponitur quippe anima praesens Angelo. V. Illustratur autem allatum argumentum hac comparatione. Angeli cognoscunt quae versantur in hominis phantasia: poterunt ergo cognoscere etiam quae geruntur in mente. V. Quod si prudentes sagacesque viri intimas quasque cordium scrutantur cogitationes, nonne id magis facere poterunt Angeli?

Resp. ad 1. Non aliud allata in argumento Scripturae verba innuunt quam posse daemonem hominis ingredi corda per suggestionem, non vero per penetrationem perceptionemque cogitationum. Quomodo autem a daemone fiant in hominibus suggestiones difficile est definire. Forte fiunt quatenus daemones nostros afficiunt sensus et spiritus movent animales. Unde Doctorum Aquila Augustinus tract. 55. in Johan. exponens laudata Johan. verba, inquit: *Missio ista, spiritualis suggestio est: neque fit per aurem, sed per cogitationem; ac per hoc, non corporaliter, sed spiritaliter ... sed quomodo fiat ut diabolicae suggestiones immittantur, et humanis cogitationibus misceantur, ut eas tamquam suas deputet homo, unde scit homo?*

Ad 2. Non dubitamus asserere Angelos tam bonos quam malos intimas hominum penetrare cogitationes, si hae externo aliquo signo manifestentur. Nec aliud affirmare voluit Basilius alloquens puellas. Hortatur scilicet illas ad propriae mentis custodiam ob reverentiam Angelorum quibus per externum aliquod signum facile est intima perscrutari cogitata. Quoad Gregorii M. sententiam, in primis non reperitur haec in sancti Pontificis operibus: deinde ea etiam admissa ob S. Thomae reverentiam, nullimode sententiam impetit nostram. Nam eo sensu Gregorius affirmat unum hominem post resurrectionem fore in patria perspicabilem alteri, ut humani corporis explicet glorificationem; ait quippe Beatorum corpora post resurrectionem adeo lucida et gloriosa evasura, ut non amplius futura sint aliis Beatis impedimento ne internae cogitationes perspiciantur, dummodo tamen a cogitante manifestentur. Nunc enim duplici ex caussa alienas non intuemur cogitationes: et quia corpus terrestre et opacum impedit: et quia propria cogitata non vult homo revelare. Post resurrectionem autem, unicum dumtaxat erit impedimentum, voluntas nimirum cogitantis. Dici denique etiam potest unum hominem, per Gregorium, futurum conspicabilem alteri; quoniam ob charitatis vinculum quo colligati magis magisque erunt, unus alteri propria cogitata manifestabit.

Ad 3. Comprehensio quae in ente creato admitti potest, secum fert cognitionem non solum substantiae, sed etiam modificationum; non illarum profecto quae liberae sunt cogitanti, sed illarum quae ipsi animae substantiae sunt necessariae. Quare ut Angeli perfecte cognoscant seu comprehendant animam humanam, praeter animae ipsius substantiam cognoscere quoque debent illius modificationes quae sunt cogitationes; illas tamen quae necessariae sunt non quae liberae, quum libertas ad essentiam pertineat animae humanae.

Ad 4. Falsa est allata comparatio. Nam non differt phantasia a motione nervorum qui in hominis capite sunt: atque adeo ex illorum motu nervorum qui angelicae menti praesens est, veluti ab externo signo, potest Angelus introspicere quae in phantasia versantur. Ast liberae cogitationes animae quae absque phantasiae ope formantur, quaeque purae vocantur intellectiones, nisi ab anima ipsa manifestentur, ignotae remanent Angelis.

Ad 5. Nemo sanae mentis negaverit posse Angelos cogitationes illas cognoscere quae externo aliquo se produnt indicio; possunt enim id non difficile assequi homines sagaces atque versuti. Sed quod inficiamur est, posse Angelos cogitata intueri quae libere eliciuntur ab anima nulloque extrinseco signo panduntur. Unde ad rem Augustinus lib. de divinat. daem. cap. 5. ait: *Aliquando* (daemones) *et hominum dispositiones, non solum voce prolatas, verum etiam cogitatione conceptas, cum signa quaedam ex animo exprimuntur in corpore, tota facilitate perdiscunt: atque hinc etiam multa futura praenuntiant.*

CAPUT VI.

De voluntate Angelorum seu de libero illorum arbitrio.

Angeli quum spirituales, adeoque rationales sint creaturae, debent necessario habere voluntatem, quemadmodum praediti sunt intellectu; unde S. Scriptura desiderium amorem odium aliosque voluntatem denotantes characteres Angelis quam saepissime adscribit. Ex quo autem polleant voluntate, consequitur gaudere etiam libertate quae praecipua est voluntatis proprietas. Definitur autem libertas a S. Thoma 1. p. q. 61. art. 8. *Vis electiva mediorum, servato et non praetermisso ordine finis*. Et ab Augustino: *Media vis, quae vel intendi ad fidem, vel inclinari ad infidelitatem potest*. Quae tamen definitiones nonnisi libertati quae vulgo *a necessitate* dicitur, quaeque indifferentiam supponit judicii competere tantum potest. Nam datur etiam libertas quae dici solet *a coactione*, quaeque remanet etiam in eo cui indifferentia judicii deest; qualis est libertas qua Beati in patria amant Deum in se atque intuitive visum. Sed de his alibi fuse pertractabimus. Interim sit

CONCLUSIO I.

Angeli dum adhuc erant in via, ferebantur in Deum libere, libertate a necessitate; *postquamautem ad completam pervenere beatitudinem, Deum amant necessario non libere, nisi libertate a coactione.*

Prob. prior pars. I. Radix libertatis propriae dictae seu *a necessitate*, est indifferentia judicii; ideo quippe voluntas circa objectum aliquod

flexibilis est et mutabilis, quoniam intellectus per ultimum judicium practicum objectum illud modo sub uno, modo sub alio respectu voluntati proponit. Porro dum Angeli erant adhuc in via, habebant comparate ad Deum indifferentiam judicii, quoniam intellectus proponere illorum voluntati poterat Deum modo sub uno, modo sub alio respectu. Nam quamvis Angeli in eo statu essent beati, illorum tamen felicitas et beatitudo non erat completa ac perfectissima: sed aliquid erat quod eorum adderetur beatitudini, ut phrasi utar Augustini. Non enim summum bonum cernebant sub omni ratione boni, quia non adhuc manifestabat se illis Deus in se et intuitive agnoscendus, ut in superioribus diximus. Quapropter poterant in Deo rationem aliquam apprehendere minoris boni vel etiam mali: atque ita se a Deo avertere quemadmodum fecerunt Angeli qui postea dicti sunt mali. II. Angeli mali, ut ajebam, revera peccarunt, ac Deum quem colere ac diligere tenebantur derelinquentes, in judicium aeternae mortis inciderunt. Ast ad merendum vel demerendum in rationali creatura requiritur libertas a necessitate ut S. P. Augustinus lib. 3. de lib. arb. cap. 18. nititur ostendere dicens: *Quis enim peccat in eo, quod nullo modo caveri potest*? Sed de hac re copiosa alio in loco redibit oratio. Angeli igitur mali plena gaudebant ab initio libertate a necessitate. Hinc Basilius lib. de Spir. S. c. 16. *Impiorum*, inquit, *et adversariorum spirituum defectio id quod dicimus approbat, juris sui ac libertatis esse invisibiles virtutes, et aeque in virtutem ac vitium vergere*. Et S. P. Augustinus lib. 22. de civ. Dei cap. 1. *Qui liberum arbitrium eidem naturae intellectuali tribuit tale, ut si vellet, desereret Deum, beatitudinem scilicet suam, continuo miseria secutura*.

SCHOLION.

Tametsi liberi essent Angeli ad amandum vel non amandum Deum, ut illum tamen amarent etiam ut auctorem naturae super omnia, *et prout oportet*, necessaria fuit illis gratia: docet enim S. P. Augustinus lib. 12. de civ. Dei cap. 9. *Voluntatem quamlibet bonam inopem fuisse in solo desiderio remansuram, nisi ille qui bonam naturam ex nihilo sui capacem fecerat, ex seipso faceret implendo meliorem, prius faciens excitando avidiorem*. Atque ea de caussa in superioribus tradidimus Angelis in prima illorum creatione collatam a Deo fuisse gratiam actualem. Nec obstat quod B. Thomas 1. p. q. 60. art. 5. scribat: *Quia igitur bonum universale est ipse Deus, et sub bono continetur etiam ipse Angelus et homo et omnis creatura, sequitur quod naturali dilectione etiam Angelus et homo prius et principalius diligant Deum quam seipsum; alioquin si naturaliter plus seipsum diligeret quam Deum, sequeretur quod naturalis dilectio esset perversa, et quod non perficeretur per caritatem, sed destrueretur*. Haec, inquam, assertionem nostram non infringunt, quoniam Doctor Angelicus loquitur de amore innato ac necessario, hoc est, de indita unicuique in summum bonum propen-

sione, non de amore elicito et libero de quo loquimur nos. Quod apertissime patet tum ex quo affirmet ibi non Angelum modo, sed et hominem posse naturaliter diligere Deum super omnia, quod est contra illius expressam sententiam: tum ex quo ibi respiciat Deum ut est bonum quoddam commune et universale; inquit namque in resp. ad 4. *Deus secundum quod est universale bonum a quo dependet omne bonum naturale, naturaliter diligitur naturali dilectione ab unoquoque.*

Prob. nunc altera thesis pars. Angeli postquam ad completam beatitudinem pervenerunt, Deum vident intuitive prout in se est. Qui autem Deum intuitive et prout in se est vident, illum amant non libere, sed necessario. Quod hoc brevi argumento demonstratur. Objectum voluntatis creatae est bonum: Deus in se visus est summum bonum, et quidem sub omni ratione boni manifestatus; Nulla remanet ergo angelicae menti indifferentia judicii quae radix est libertatis, quia nullam apprehendere potest in Deo intuitive cognito rationem mali. Nihilominus dicuntur Angeli amare Deum libere, sed libertate *a coactione* seu *lubentiae*: quae optime stat cum necessitate ac determinatione ad unum, quatenus non coacte non inviti, sed libenter et quia volunt, quamvis non velle non possint, Deum diligunt. Et quoniam ad merendum vel demerendum libertas requiritur a *necessitate*, nec sufficit libertas *a coactione*, hinc Angeli sancti in patria amando Deum, nullum sibi comparant meritum, totumque amoris illius stipendium est oblectatio dulcedinis Dei.

CONCLUSIO II.

Angeli sancti comparate ad ea quae sunt extra Deum, liberi sunt libertate a necessitate; non possunt tamen peccare.

Prob. prima prop. pars. Ubi est indifferentia judicii, ut saepe diximus, ibi libertas est a *necessitate*. In Angelis sanctis comparate ad ea quae sunt extra Deum, est indifferentia judicii. Nam in duo dumtaxat creata voluntas absque indifferentia judicii fertur, nempe in bonum in communi, et in Deum clare et intuitive visum.

Prob. altera pars. Sancti Epiphanius, Augustinus, Philastrius, aliique Patres haeresis insimularunt doctrinam Origenis asserentis post certam annorum evolutionem Angelos sanctos fore peccaturos, eaque de caussa mittendos in gehennam. Et Angelos malos e contra fore poenitentiam acturos, sicque recipi in caelum debere. Quod si doctrina haec haeretica est, jam nequeunt Angeli sancti peccare, licet in iis quae sunt extra Deum, sint perfectissime liberi. Praeterea sacrae litterae undique clamant eos qui divina adimplent mandata, fore in caelis regnaturos in aeternum una cum Angelis sanctis; atque idcirco supponunt eos esse impeccabiles. Denique ex quo Angeli sancti vident Deum intuitive, ita pleni sunt perfectissima charitate, ut in eis locum nullo modo habere possit cupiditas. Ast ubi nequit esse cupiditas, ibi neque potest esse peccatum, juxta Augustini principia.

COROLLARIUM

Si ergo Angeli sancti perfectissime liberi sunt comparate ad objecta extra Deum, nec tamen peccare queunt; sequitur eorum libertatem comparate ad illa objecta esse libertatem contradictionis per quam potest creata voluntas hoc potius bonum quam illud perficere, non libertatem contrarietatis quae est potestas agendi bonum et malum. Nec proinde imperfecta est eorum libertas, quum libertas peccandi sit voluntatis imperfectio, ut post S. P. Augustinum observat S. Thomas Q. de verit. ar. 3. ad 2.

CONCLUSIO III.

Angeli mali necessario peccant, necessitate tamen morali; non physica et essentiali; quamvis ob eorum peccata poenam non mereantur essentialem.

Prob. prima pars. Illi necessario peccant necessitate morali qui ita sunt in malo obstinati, ut numquam sint bonum acturi: Atqui tales sunt Angeli reprobi. Patet 1. Scripturis. In 2. enim Petri cap. 2. legitur: *Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos in judicium reservari*. Johan. cap. 9. *Venit nox, quando nemo potest operari*. Et cap. 12. *Ambulate dum lucem habetis, ut non vos tenebrae comprehendant*. Et Eccli. cap. 9. legitur de superbis: *Adimplebitur maledictis ... radices gentium superbarum arefecit ... arefecit ex ipsis*. Quod si Angeli mali a Deo veniam non habent, et in judicium reservantur; si in loco degunt ubi tenebrae tantum sunt, non lux; si nulla benedictio super illos descendet, neque ullum viride folium, non dicam fructum, proferent, quis dubitare poterit eos non peccare? II. ex PP. Ignatius martyr in ep. ad Philip. *Sapiens*, inquit, *est daemon ad male faciendum, bonum autem quid sit ignorat* ... Augustinus ep. 217. alias 107. ait: *Nemo sanae fidei credit, aut dicit hos apostatas Angelos ad pristinam pietatem correcta aliquando voluntate converti*. Fulgentius lib. de Fide ad Petrum cap. 3. *In quo*, ait de igne, *omnes illi praevaricatores Angeli nec mala possint umquam voluntate carere nec poena*. III. Theologica ratione. Qui omni prorsus gratiae auxilio caret, ita obfirmatus in malo est ut numquam sit bonum acturus. Tales porro sunt Angeli apostatae. Unde inquit Fulgentius lib. nuperrime citato: *Et de Angelis quidem hoc* (Deus) *disposuit et implevit, ut si quis eorum bonitatem voluntatis perderet, numquam eam divino munere repararet*.

Prob. altera pars. Angeli desertores si volunt possunt, absolute loquendo, voluntati peccandi reluctari. Quod enim peccent provenit, ut diximus, ab obfirmata in malum voluntate, et a gratiae carentia quae voluntati extrinseca est, non a physica et absoluta impotentia agendi bonum: quod sufficit ut dicamus non peccare illos necessitate physica et essentiali.

Prob. pars tertia. Angeli desertores jam sunt in termino, ut Fides

catholica adversus Origenistas tenet. Qui in termino sunt nec essentialem gloriam exercitio virtutum, nec essentialem poenam peccando promereri possunt. Ecclesiastes enim cap. 11. inquit: *Si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit*. Quare S. Thomas 2. 2. q. 13. art. 4. ad 2. scribit: *In beatis bona non sunt meritoria, sed pertinentia ad eorum beatitudinis praemium; et similiter mala in damnatis non sunt demeritoria, sed pertinentia ad damnationis poenam*.

CONCLUSIO IV.

Immutabilitas voluntatis angelicae, etiam in statu praesenti post electionem, non est Angelis naturalis, ut plures Thomistae sentiunt.

Prob. 1. Ratio quae plures Thomistas in eam descendere fecit sententiam est quod post electionem objecti non remaneat Angelis circa objectum quod elegerunt indifferentia judicii; quum unico instanti rationem percipiant sufficientem ob quam vel amandum vel odio sit habendum objectum. Haec autem ratio falsa mihi videtur. Nam ratio eadem quae Angelos sufficienter movit ad amplectendum vel respuendum objectum, etiam post factam electionem in suo robore remanet, licet non eodem modo angelicam mentem afficiat. Quare sicut ante, ita et post electionem posset Angelus objectum quod elegit respuere, et quod rejecit amplecti; unde immutabilitas Angeli non est ipsi connaturalis.

Prob. 2. Vera caussa cur Angelorum sanctorum voluntas in statu praesenti est immutabilis, ea unica est quod videant Deum intuitive. Et e contra vera ratio immutabilitatis Angelorum malorum in statu praesenti est quoniam ob gratiae defectum obfirmati sunt in peccato. Ast visio Dei intuitiva est gratia, non natura; et supernaturalis gratiae subtractio est maxima poena; unde Fulgentius lib. de Fide ad Petr. cap. 23. de sanctis Angelis inquit: *Hoc ipsum, quod ab illo statu beatitudinis, in quo sunt, mutari in deterius nullatenus possunt, non est eis naturaliter insitum, sed postquam creati sunt, gratiae divinae largitate collatum*. Et ante illum S. P. Augustinus in lib. de corr. et gr. cap. 10. scripserat Angelos in praemium perseverantiae accepisse, *Ut magna per Spiritum Sanctum data abundantia caritatis Dei, cadere ulterius omnino non possent, et hoc de se certissime nossent*. Et Isidorus lib. 1. de summo bono cap. 12. *Gratia dicimus non natura esse immutabiles Angelos*. Ex quibus apparet non ideo bonorum Angelorum voluntatem esse immutabilem quod ab eo quod semel elegerunt, naturaliter recedere non valeant, sed quoniam immutabiles illos reddidit visio Dei intuitiva. Quoad Angelos vero malos ipsorum voluntas immutabilis est, quoniam non elargietur eis Deus gratiam ad bonum agendum: scribente Augustino lib. 22. de civ. Dei cap. 1. *Casum Angelorum voluntarium justissima poena sempiternae infelicitatis obstrinxit*.

Prob. 3. Si Angelorum voluntas post factam electionem naturaliter im-

mutabilis esset, Angeli sive boni sive mali a proposito semel electo numquam digrederentur. Falsum autem est consequens. Nam quamvis illud semper velint eligere quod Deo placet, in iis tamen circa quae Dei voluntatem perspectum non habent, mutant crebro consilium; immo et inter se dissident, ut ex Dan. cap. 10. colligitur. Et Angeli mali aliquando justos ad peccandum alliciunt, et aliquando ab incepta tentatione desistunt ne praebeant illis meriti occasionem. Non satis itaque considerata videtur plurium Thomistarum sententia.

CAPUT VII.

An et quomodo Angeli inter se colloquantur.

Duo hic brevissime demonstrare aggredimur, Angelos videlicet inter se revera colloqui; et modum quo isthaec perficitur colloquutio. Quoad priorem disquisitionis partem, neminem contradicentem patimur nisi solum Theodorum Beza qui com. in ep. ad Cor. *Plane ineptos vocat eos, qui hoc loco disputant de linguis Angelorum*; ac proinde facillimae erit pars haec demonstrationis. Sed non ita facile explicari modus potest quo unus Angelus cogitationes suas alteri manifestet: tum ob rei in se inspectae difficultatem: tum etiam ob numerum et auctoritatem Scholasticorum diversa sentientium. S. enim Thomas arbitratur Angelos ad se invicem loqui quatenus unus alteri propriam dirigit determinatam cogitationem. Putat Durandus Angelum loquentem imprimere in aëre vocis sonum, et ita ab omnibus aliis audiri. Ochami autem sententia est imprimi in Angeli audientis mente propriam ab Angelo loquente cogitationem. A qua opinione parum recedit Scotus affirmans Angelum loquentem, non proprium cogitatum, sed intellectionem objecti de quo ipse cogitat, in aliorum mente Angelorum imprimere. Gregorius denique ariminensis, Ægidius romanus, aliique nostrates Augustini vestigiis inhaerentes, docent Angelorum colloquutionem per externa quaedam spiritualia signa fieri quibus unus alteri propria revelat cogitata. Controversiam hanc utpote non admodum utilem brevissime versabimus. Sit itaque

CONCLUSIO I.

Angeli inter se revera colloquuntur.

Prob. 1. Scripturis. Isaiae cap. 6. legitur: *Seraphim stabant ... et clamabant alter ad alterum, et dicebant: Sanctus, Sanctus* etc. Apostolus in I. ad Cor. cap. 13. inquit: *Si linguis hominum loquar, et Angelorum, charitatem* etc. Judas ep. cath. v. 9. *Cum Michael Archangelus cum diabolo disputans altercaretur* etc.

Prob. 2. ex PP. Chrysostomus hom. in ep. ad Cor. ita scribit: *Linguam Angelorum hic appellat* (Apostolus) *non corpus Angelis attribuens*

sed ejusmodi est quod ait : Quamvis ita loquar , ut Angeli inter se colloquuntur . Oecumenius inquit : *Ex ejus voce quod nobis cognitum est, mutuum inter se sermonem Angelorum exprimi . Habent enim illi significationem aliquam , qua ultro citroque loquuntur* . Basilius hom. in cap. 1. Johan. ait : *Significavit Apostolus Angelos propriam habere linguam* .

Prob. 3. ratione . Quum Angelorum Beatorumque patria appellari in sacris litteris soleat *civitas Sion* , *caelestis Jerusalem* , fit consequens ut inter illos perfectissima sit societas ; quam stare non posse sine ulla colloquutione per se manifestum est . Ulterius omnes ac singuli Angeli simul conjuncti speciem quamdam constituunt Reipublicae, perfectissimaque inter illos Hierarchia viget. At quomodo poterunt haec consistere sine colloquutione ?

CONCLUSIO II.

Angelorum loquutio est directio cogitationis unius Angeli ad alterum , quae probabiliter fit spiritualibus quibusdam signis.

Prob. prior pars . Quandoquidem certum est Angelos ad se invicem loqui , ut mox demonstravimus, ea colloquutio fieri debet vel per externum vocis sonum , ut fit inter homines , vel per internae cogitationis directionem . Nequeunt Angeli ad invicem per externum vocis sonum , ut fit inter homines , loqui ; quum lingua labiis palato aliisque ad humano more loquendum necessariis organis careant ; unde Gregorius nyssenus lib. 12. adv. Eun. inquit : *In experte materia intelligibili natura mentis actio sermo est , nequaquam materiali utens organorum ministerio* . Quare Angelorum loquutio fit ad alios Angelos propria dirigendo cogitationem . *Quaedam cogitationes* , inquit S. P. Aug. lib. 15. de Trinit. cap. 10. *loquutiones sunt cordis . Nec tamen quia dicimus loquutiones cordis esse cogitationes , ideo non sunt etiam visiones exortae de notitiae visionibus , quando verae sunt . Foris enim cum per corpus haec fiunt , aliud est loquutio , aliud visio : intus autem cum cogitamus , utrumque unum est: sicut auditio et visio duo quaedam sunt inter se distantia in sensibus corporis, in animo autem non est aliud atque aliud videre et audire : ac per hoc cum loquutio foris non videatur , sed potius audiatur , loquutiones tamen interiores , hoc est cogitationes visas dixit a Domino sanctum Evangelium ... Vidit cogitatione sua cogitationes eorum* . Et deinceps : *Formata cogitatio ab ea re quam scimus , verbum est quod in corde dicimus ... Quisquis igitur potest intelligere verbum , non solum ante quam sonet , verum etiam ante quam sonorum ejus imagines cogitatione volvantur ... jam potest videre per hoc speculum atque in hoc aenigmate aliquam verbi illius* (nempe Filii Dei) *similitudinem* . Loquitur crebro Augustinus hoc citato in loco de *ore cordis* , et saepe repetit voculas illas quas jam vidimus , *loquutiones cordis* . Quae omnia plane demonstrant , relictis aliis quae ad praesentem rem non faciunt , Angelos si ad invicem

loquuntur, si propria cogitata ad invicem sibi manifestant, quod fieri certum est ex his quae supra disputavimus, haec omnia incorporeas illas substantias praestare dirigendo ad se invicem proprias cogitationes, et cogitando dicere, et dicendo cogitare.

COROLLARIUM

Ex statutis non male colligitur Angelos alloqui etiam Deum, et Deum Angelos; imo et animas Sanctorum, ac vicissim: consistit namque spiritualis haec loquutio in propriae cogitationis directione. Hinc M. Gregorius lib. 2. Moral. cap. 5. scribit: *Quia spiritali naturae ex corporea appositione nihil obstat, loquitur Deus ad Angelos, eo ipso quo eorum cordibus multa sua invisibilia ostendit: ut quidquid agere debeant, in ipsa contemplatione veritatis legant*. Et infra: *Deus ergo Angelis loquitur, cum eis voluntas ejus intima manifestatur videnda. Angeli autem loquuntur Domino, cum per hoc quod super semetipsos respiciunt, in motum admirationis surgunt*. Et cap. ejusd. lib. 6. *Animarum verba ipsa sunt desideria. Nam si desiderium sermo non esset, non diceret Propheta: Desiderium cordis eorum audivit auris tua*.

Prob. pars altera. Directio de qua modo loquimur, aut fit per voluntatis Angeli loquentis determinationem, ut docet S. Thomas; aut per impressionem vocis in aëre, ut vult Durandus; aut per propriae cogitationis in aliorum mente Angelorum productionem, ut putat Ochamus; aut per productionem objecti in aliena mente, ut opinatur Scotus; aut denique per spiritualia quaedam signa, ut tradit noster Ariminensis. Ast fieri nequit illa directio quatuor expressis modis. Non per determinationem voluntatis Angeli loquentis: si enim a sola voluntatis Angeli loquentis determinatione id penderet, quoties Angelus propriam determinaret perceptionem, toties perceptionem illam aliis manifestaret; atque ita notae essent Angelis naturaliter aliorum Angelorum secretae ac liberae cogitationes, quod absurdum est. Praeterea, directio illa cogitationis per Angeli voluntatem determinata est actus internus et occultus. Quomodo ergo nota esse poterit ad extra aliis Angelis? Neque fit per impressionem vocis in ethere: nulla quippe eo in casu secretam haberent cordium cogitationem, quum ab omnibus vox illa audiretur. Sed neque per productionem aut cogitationis aut objecti intellecti in aliorum mente Angelorum. Non enim Angelus virtutem habet per solam suam directionem propriam reproducendi cogitationem, vel perceptum objectum in mente aliorum: nec intelligi satis potest quomodo perceptio Angeli loquentis in mente Angeli audientis reproducatur. Superest itaque ut modum haec explicandi teneamus Gregorii ariminensis aliorumque nostratium.

Prob. 2. directe. Anselmus in cap. 13. ep. I. ad Cor. *Linguae*, inquit, *quibus Angeli loquuntur aliis, intelliguntur aliqui nutus per quos intimant sibi vicissim quod voluerunt*. Johannes Scotus, non Theologus ille ingenii acumine celebris, sed alter longe antiquior ap. Dionysium

chartusianum com. ad Dionys. de cael. hierarch. ita ad rem nostram loquitur : *Angelus itaque loquitur Angelo , dum aliqua sibi nutibus occultis insinuat . Subtilem enim hanc locutionem mens illorum illuminata intelligit.*

Prob. 3. Tribus modis cognosci potest aliquid ab intellectu ; vel immediate, hoc est, absque ullo medio ; vel per speciem aut ideam tamquam per medium ; vel per nonnulla signa . Angelorum secretae cogitationes nequeunt ab aliis Augelis cognosci in seipsis immediate , supponuntur quippe arcanae ; nec cognosci queunt per ideam aut speciem tamquam per medium ; quum Angelus loquens ideam per propriae cogitationis speciem in aliena mente imprimere non possit . Cognoscuntur igitur per signa nonnulla . Cumque tam Angelus qui loquitur , tam Angelus qui audit substantiae sint spirituales, signa illa et ipsa spiritualia erunt. In quo autem spirituales illi nutus praecise consistant , nemo plane definire audebit. Sunt enim nobis carnalibus et cogitare assuetis per sensibile corpus veluti per naturale instrumentum , signa illa penitus obscura et incomperta.

Quod ex Gregorio nysseno lib. 12. adv. Eun. aliisque PP. nonnulli objiciunt , signa videlicet ad loquendum iis necessaria esse qui carnis circumscribuntur involucro , parvi momenti est . Nam sancti Patres ab Angelorum loquutione excludunt quidem signa corporea et sensibilia , non vero signa quaedam spiritualia . En Gregorii nysseni verba : *Nunc cum interiores mentis nostrae notiones , pro eo quod carnis involucro natura nostra circumscribitur , palam fieri nequeant ; necessario facimus ut certas nominum impositiones tamquam signa rebus affingentes , illarum ope mentis nostrae motus invicem vulgemus .* Non excludit hac sententia Nyssenus a loquutione Angelorum signa spiritualia .

Sed regerunt aliqui : Signa illa spiritualia Angelorum , aut naturalia sunt , aut arbitraria . Si hoc : debet ergo unus Angelus alterius linguam addiscere . Si illud : ergo Angeli necessario loquuntur ; quum id quod est naturale sit necessarium.

Verum signa quibus loquuntur Angeli naturalia sunt, sed libera ; quemadmodum in hominibus clamores suspiria nutus libera sunt , etsi naturalia. Quod autem liberum est, poni vel non poni potest pro lubitu .

CAPUT VIII.

De loco et motu Angelorum .

Proxima est disputatio ut de loco et motu Angelorum disseramus . Et quoad locum plura inquirere solent Theologi quae cum levibus conjecturis vix assequi valeant, consulto illa omittere nobis visum est : et quaeremus dumtaxat. 1. An Angeli revera sint in loco . 2. Quomodo in loco existant. 3. Quinam sit illorum locus .

Et quoad primam quaestionem recentiores Philosophi post Philoponum, Honorium augustodunensem aliosque Veteres , absolute negant Angelos

esse in loco; quum nullam spiritualem substantiam proprie in loco contineri sentiant. Durandus e contra speciem quamdam immensitatis illis adscribere videtur; quamvis id tradat inquirendo potius quam affirmando. Communis Theologorum sententia est Angelos revera in loco existere.

Non minus inter se discrepant Veteres ubi de modo loquuntur quo Angeli sunt in loco. Nam non modo ii qui Angelos corpore praeditos existimarunt, sed et qui docent esse prorsus spirituales, palam affirmare videntur existere in loco *circumscriptive*; quamquam eorum testimonia de existentia in loco *definitive*, explicari facile possint; ut tenent cum reliquis Patribus omnes Theologi.

Triplicem esse Angelorum locum, caelum nempe, infernum et aërem Theologi unanimi consensu affirmant. Sed nonnulli sunt inter ecclesiasticos priscos Scriptores qui Angelis desertoribus non inferna loca, sed aërem dumtaxat usque ad extremam judicii diem pro loco assignarunt. Altera quaestio, de motu scilicet locali Angelorum, nullam praesefert difficultatem. Si namque unicum excipiamus S. Bernardum qui localem motum ipsis non tribuit nisi assumptis utantur corporibus; propterea quod *Non est discurrere, nec de loco in locum transire, nisi corporum*: si hunc, inquam, excipiamus Patrem, nemo est qui non fateatur cum Chrysostomo hom. 3. in ep. ad Hebr. quod *Angeli loca mutant, et prioribus relictis in quibus sunt, ad alia pergunt in quibus non erant*. His praenotatis sit

CONCLUSIO I.

Angeli revera sunt in loco; *et quidem non* circumscriptive, *sed* definitive.

Prob. prior pars prop. I. ex Scripturis. Christus Marci cap. 13. inquit: *De die autem illo vel hora, nemo scit neque Angeli in caelo*. Petrus in II. ep. cap. 2. sic loquitur: *Angelis peccantibus* (Deus) *non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos*. Angeli itaque boni in caelo sunt, et in inferis mali: quae duo vera sunt loca. II. ex SS. PP. Magnus Augustinus lib. de ago. Chr. cap. 3. *Non ergo*, inquit, *arbitremur, in summo caelo habitare diabolum cum angelis suis, unde lapsum esse credimus*. Gregorius nyssenus orat. de inf. vocat caelum *Naturale domicilium Angelorum*. Theodoretus Q. 3. in gen. scribit: *Quod si verum illud est, ut est profecto, loco utique Angeli opus habebunt*. III. theologica ratione. Deus quum sit infinitus in loco non est, sed ubique: dicente Theodoreto loco nuperrime laudato, *Nam sola divinitas, veluti minime circumscripta, non est in loco*. Ast Angeli circumscripti utique sunt, hoc est, finiti: ergo non sunt ubique, sed in loco.

SCHOLION.

Quae dicta sunt de Angelorum praesentia in loco, intelligi debent

de eorum praesentia non quoad meram virtutem, sed quoad substantiam, ut ex infra dicendis luculentius patebit. Interim adnotatione digna sunt Chrysostomi verba quae lib. 6. de Sacerdotio leguntur: *Perit tempus* (quo Sacrificium perficitur) *et Angeli Sacerdoti assident, et caelestium potestatum universus ordo clamores excitat, et locus Altari vicinus in illius honorem qui immolatur, Angelorum choris plenus est*. Ubi vides loqui Chrysostomum de Angelorum existentia in loco quoad substantiam non quoad meram virtutem.

Prob. altera pars. Substantia existit in loco *circumscriptive*, quando respondet variis partibus loci quo substantia illa continetur. Ast Angeli substantia variis loci partibus in quo existit, nequit respondere; neque enim partibus constat. Hinc Gregorius nyssenus lib. 1. cont. Eunom. *Nemo*, inquit, *adeo puerilis est, qui in natura intelligente et incorporea differentiam loci reperire existimet*. Et S. P. Augustinus lib. 8. de gen. ad litt. cap. 22. ait: *Quidquid autem per loci spatia distenditur, corpus est*. Et cap. 20. dixerat: *Spiritalem autem creaturam corporali praeposuit, quod spiritalis tantummodo per tempora mutari posset, corporalis autem per tempora et loca*. Quae autem non mutantur per loca: neque localiter circumscribuntur, ut in aperto est. Insuper quae circumscribuntur breviora sunt in parte quam in toto; ita nimirum *Necesse est esse, quae in locis sunt*, inquit Aug. cap. 19. ejusdem libri. Sed Angeli utpote spiritales substantiae omnimodis partibus carent: Ergo redit quod nuper dicebamus, idest Angelos non esse in loco circumscriptive. Perpendit haec omnia etiam Didymus qui lib. 1. de Spiritu S. negavit aperte, *Spirituales naturas circumscribi loco et finibus, etiamsi proprietates substantiae finiuntur*.

Prob. pars tertia. Id est in loco *definitive*, quod certo definitoque loco praesens est, etiamsi a loco non circumscribatur. Hoc autem modo Angeli sunt in loco. Nam Gabriel Archangelus v. g. cum B. Mariam salutavit, praesens illius cubiculo fuit, nec tamen a cubiculi aëre circumscribebatur. Deinde quod est in loco *definitive*, ita uni praesens est loco, ut eo temporis puncto esse nequeat alibi. Hinc quoniam Deus est ubique non est in loco *definitive*. Porro dum Angeli uni praesentes sunt loco nequeunt esse alibi: ac proinde in loco sunt *definitive*.

CONCLUSIO II.

Angeli sunt tribus in locis, in caelo, in inferno, in aëre.

Prob. Angelos esse in caelo. Lucae cap. 2. legitur: *Ut discesserunt ab illis Angeli in caelum*. Et cap. 22. *Apparuit autem illi Angelus de caelo*. Matth. cap. 28. *Angelus enim Domini descendit de caelo*.

Prob. esse in inferis. Petrus ep. II. cap. 2. *Deus*, inquit, *Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum* etc. In ep. Judae vers. 6. pariter legitur: *Angelos vero, qui non servaverunt*

suum principatum , sed dereliquerunt suum domicilium , in judicium magni diei , vinculis aeternis sub caligine reservavit . Et cap. 20. Apocal. habetur Angelum lucis apprehendisse Draconem , nempe diabolum , illumque in profundum abyssi dejecisse : *Et misit eum in abyssum , et clausit, et signavit super illum* etc.

Prob. Angelos esse etiam in aëre . Job. cap. 1. Interrogatus Satan a Deo unde veniret respondit : *Circuivi terram , et perambulavi eam* . Paulus ad Ephes . cap. 2. *In quibus,* inquit , *aliquando ambulastis ... secundum principem potestatis aëris hujus* , hoc est secundum Angelum malum . Consonant Scripturis SS. PP. Tertullianus in apol. cap. 22. *Habent* , inquit , *de incolatu aëris , et de vicinia siderum , et de commercio nubium caelestes sapere paraturas* . S. P. Augustinus enar. in psal. 148. scribit : *Propterea ad ista caliginosa, id est, ad hunc aërem , tamquam ad carcerem , damnatus est diabolus , de apparatu superiorum Angelorum lapsus cum Angelis suis* . S. Hieronymus exponens illum Apostoli locum in quo daemones appellat , *Rectores tenebrarum harum , spiritualia nequitiae, in caelestibus* , ita scribit: *Haec autem omnium doctorum opinio est , quod aër iste qui caelum et terram medius dividens inane appellatur , plenus est contrariis fortitudinibus* .

CONCLUSIO III.

Angeli moventur de loco in locum .

Prob. 1. Scripturis . Lucae cap. 1. *Missus est Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilaeae , cui nomen Nazareth , ad Virginem* etc. Matth. 28. *Angelus autem Domini descendit de caelo* . Exo. cap. 33. *Mittam praecursorem tui Angelum* . Job. cap. 1. daemon inquit : *Circuivi terram , et perambulavi eam* .

Prob. 2. ex PP. Ambrosius lib. 1. de Spiritu S. cap. 10. *Seraphim* , inquit , *de loco ad locum transit . Seraphim descendit , cum aliquo secundum naturam suam transit* etc. Habes praeterea in praenotatis initio capitis Chrysostomi verba . Mitto in re tam manifesta aliorum PP. testimonia .

Prob. 3. ratione . Ex sacris litteris constat Angelos e caelis descendere ; mitti ad homines ad exequenda mysteria ; fuisse e caelo dejectos ; intrusos fuisse in tartarea loca : quae omnia sine motu locali fieri non possunt : Ergo etc.

SCHOLION

Duo inquirere solent hoc in loco Theologi . 1. An Angelorum motus localis fiat momento temporis . 2. An idem motus fiat ab Angelis impertransito medio . Quoad priorem quaestionem Tertullianus affirmativam ; S. P. Augustinus negativam tenet sententiam . Ita Tertullianus apol. cap. 22. loquitur : *Omnis Spiritus ales , hoc est Angeli et daemones . Igitur momento ubique sunt* . Augustinus autem lib. 12. de civ. Dei cap. 15. *Ac*

per hoc, inquit, *etiamsi immortalitas Angelorum non transit in tempore, nec praeterita est quasi jam non sit, nec futura quasi nondum sit; tamen eorum motus quibus tempora peraguntur, ex futuro in praeteritum transeunt*. Nos Augustino cum quo reliqui faciunt Patres adhaeremus. Tertullianus vero loquutus forte fuerit de Angelorum motus celeritate, ad quam explicandam ea phrasi usus est: *Momento ubique sunt*. Quoad alteram: Qui tenent Angelos in loco constitui per operationem, affirmant proinde illos de loco in locum moveri impertransito medio; qui vero arbitrantur Angelos in loco constitui per indistantiam substantiae, affirmare non dubitant locum ab illis mutari pertransito medio. Sed minimi momenti quaestio haec est.

Pauca illa quae contra statutas propositiones adduci possunt dissolvuntur.

Obj. 1. adv. primam thes. Gregorius nyssenus in 1. cont. Eun. S. P. Augustinus lib. 8. de gen. ad litt. quorum testimonia supra recitavimus, aperte negant Angelos esse in loco. Quibus addi potest Boetius qui in lib. cui titulus, *An omne quod est bonum* etc. inquit, *Incorporalia in loco non esse*. 2. Quod si concedatur Angelos esse in loco, fatendum erit locum occupare *circumscriptive*. Nam Gregorius M. lib. 2. Moral. cap. 3. *Angeli*, inquit, *mittuntur et assistunt, quia per hoc quod circumscripti sunt, exeunt*. Athanasius quoque affirmat Angelos circumscribi loco in ep. ad Scrap. Et Theodoretus Q. 3. in Gen. ait: *Circumscribi asserimus Angelorum substantiam*. Paria habent alii Patres. 3. Quod pluribus in locis simul esse potest, a loco non definitur. Quum autem Angeli virtute saltem divina pluribus simul in locis consistere queant, consequitur non esse in loco *definitive*.

Resp. ad 1. Sancti Patres in argumento laudati negant Angelos esse in loco ad instar corporum. Loquuntur enim revera de existentia in loco quae rebus convenit extensis; quum locum accipiant pro circumstante aëre.

Ad 2. Ubi Patres de loco loquuntur Angelorum, verbum *circumscribere* sumunt pro verbo *definire*. Et quidem apposite: demonstrare namque assumunt soli Deo convenire immensitatem; cetera vero nec Angelis exceptis definiri, suoque modo comprehendi loco, nec ubique existere ut Deus. Hinc Theodoretus loco in argumento citato inquit: *Nam sola divinitas veluti minime circumscripta non est in loco*. Athanasius similiter, ubi Angelos loco circumscribi affirmat, discrimen affert inter illos ac Spiritum Sanctum, docetque hunc non contineri loco, illos vero circumscribi.

Ad 3. Ens quidem quod naturali sua virtute pluribus simul existere potest in locis, a loco non definitur. Unde Deus cui soli naturaliter per suam immensitatem virtus illa competit, nullo prorsus sensu est in loco, sed ubique diffunditur. Angeli porro pluribus simul in locis praesentes esse nequeunt per propriam virtutem, ut in argumento supponitur.

Obj. 2. adv. alteram thes. Si Petri verba a nobis allata sumi debeant litteraliter, sequitur omnes apostatas Angelos nemine excepto in infernum fuisse detrusos; adeoque duplex dumtaxat, non triplex erit Angelorum locus. II. Non pauci Veteres tradiderunt duplicem tantum esse Angelorum locum; Angelos videlicet desertores receptos omnes fuisse in hoc aëre intermedio qui est terram inter et caelum, tartari et carceris nomine de quibus sermo fit in Scripturis, tenebricosum hunc aërem intelligentes.

Resp. ad 1. cum Guillelmo Estio, *Omnes ac singulos Angelos apostatas in profundum infernum dejectos, ac praecipitatos fuisse. Postea vero principem eorum Dei judicio permissum tentare primos parentes; ac post horum transgressionem etiam aliis ... concessum fuisse, ut in hoc aëre morarentur* etc. Sed responderi etiam potest Petri textum de praecipua intelligendum esse improborum parte Angelorum.

Ad 2. Non diffitemur aliquos extitisse Patres qui eam habuere sententiam: sed longe plures sunt qui praeter caliginosum hunc aërem, infernum reprobis Angelis assignantes, *tartari*, *inferni*, et *caliginis* nomine subterranea loca intellexerunt.

CAPUT IX.

De peccato Angelorum.

Quamquam Angeli omnes initio a Deo conditi, fuerint Lux, lege videlicet illa aeterna et incommutabili praediti in qua rerum omnium ideae splendebant: quamquam voluntatem ad bonum proclivem ab ipso acceperint: et qui creavit naturam largitus fuerit illis etiam gratiam tum sanctificantem qua Deo creatori grati essent, tum actualem sine qua non potuissent in accepta justitia perseverare; nihilominus plures inter eos extitere qui nimium seipsis delectati, a sanctitatis statu in quo primitus conditi fuerant, peccando turpiter exciderunt. De quo Angelorum peccato hoc in capite pertractaturi inquiremus 1. Quinam Angeli a justitia peccando recesserint. 2. Quaenam peccati illorum caussa fuerit et origo. 3. Cujus speciei extiterit peccatum ab eis admissum.

CONCLUSIO I.

Probabile est principem Angelorum qui ceciderunt, fuisse ceteris spiritibus nobiliorem: qui exemplo suo aliquos ex singulis ordinibus seduxit; quamvis numero plures fuerint illi qui perseverarunt quam qui ceciderunt.

Prob. prior thesis pars ex Scripturis. Ezech. cap. 31. de rege Assur qui typus principis daemoniorum fuit, haec leguntur: *Cedri non fuerunt altiores illo in paradiso Dei ... Omne lignum paradisi Dei non est assimilatum illi, et pulchritudini ejus*. Figurata haec loquutio satis aperte in-

dicat Luciferum ceteris fuisse nobiliorem spiritibus. Job. cap. 40. de Behemoth in quo Satan praefiguratur legitur: *Ipse est principium viarum Dei*, hoc est nobilior a Deo formata creatura.

Prob. 2. ex PP. Tertullianus laudata mox Ezechielis verba exponens inquit: *Satanam eminentissimum Angelorum, Archangelorum, et sapientissimum*. Cyrillus alexandrinus lib. 2. com. in Isaiam scribit: *Erat enim, quoad gloriam attinet, insignis inter Angelos et superis potestatibus spectabilis; et sane veluti inter astra lucifer, cecidit*. Gregorius Papa lib. 32. Moral. ad Jobi verba proxime citata sic loquitur: *Et principium viarum Dei Behemoth dicitur, quia nimirum cum cuncta creans ageret, hunc primum condidit quem reliquis Angelis eminentiorem fecit*. Eodem modo loquuntur Auctor comm. inter opera Hieronymi in psal. 23. Beda in lib. QQ. Q. 9. et Bernardus serm. 1. de Adventu. Illum autem Angelorum desertorum principem dicimus qui exemplo vel hortatu suo ceteros spiritus in apostasiam pertraxit; appellaturque vulgo Satan, Diabolus, Lucifer, Beelzebub, Behemoth.

Prob. pars altera. Apostolus ad Rom. cap. 8. sic loquitur: *Neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes ... neque creatura alia poterit nos separare a caritate Dei*. Et ad Cor. I. cap. 15. subdit: *Cum evacuaverit omnem Principatum, et Potestatem, et Virtutem* etc. Laudatis in locis loquitur Paulus de Angelis desertoribus; de iis videlicet loquitur qui separare conantur homines a charitate Dei, quorumque opera evacuanda sunt, hoc est, abjicienda. Inter autem Augelos illos Principatus recenset, Potestates, atque Virtutes: adeoque verisimile est apostatas Angelos aliquos ex singulis fuisse ordinibus.

Prob. pars tertia. Johannes in Apocal. cap. 8. inquit: *Et percussa est ... pars tertia stellarum*. Et cap. 12. *Et cauda ejus* (Draconis) *trahebat tertiam partem stellarum*. Hic stellarum nomine quae percussae sunt, quasque Draco, hoc est Lucifer, cauda sua, exemplo nimirum et exhortatione in terram pertraxit, veniunt proculdubio Angeli qui peccaverunt, tum quia ita Interpretes omnes sentiunt, tum etiam quoniam e vestigio subdit: *Et factum est praelium magnum in caelo: Michael, et Angeli ejus praeliabantur cum dracone, et draco pugnabat, et Angeli ejus. Et non valuerunt, neque locus inventus est eorum amplius in caelo*. Asserit autem Propheta tertiam dumtaxat partem stellarum e caelo cecidisse.

CONCLUSIO II.

Non ignorantia aut passio aliqua, sed sola voluntas caussa fuit peccati Angelorum.

Prob. prior pars. Angeli antequam peccarent, nec ignorantiae nec ulli cupiditati subditi erant; erant quippe beati et beatitudine quidem, non modo naturali sed et supernaturali, quamvis inchoata et incompleta: cum qua stare minime possunt ignorantia et cupiditas, quae miseriae quum

sint, rationalem creaturam reddunt infelicem. Itaque primi peccati Angelorum origo non fuerunt ignorantia intellectus, aut prava voluntatis cupiditas.

Prob. pars altera unica S. P. Augustini sententia qui lib. de corr. et gr. cap. 10. inquit: *Angeli quidam, quorum princeps est diabolus, per liberum arbitrium a Domino Deo refugae facti sunt ... Ceteri autem per ipsum liberum arbitrium in veritate steterunt*. Et cap. 11. *Sicut fecerunt Angeli sancti, qui cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium steterunt ipsi*.

CONCLUSIO III.

Primum ab Angelis admissum peccatum fuit peccatum superbiae.

Prob. sacris litteris. Tobiae cap. 4. haec habentur: *Superbiam numquam in tuo sensu aut in tuo verbo dominari permittas: in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio*. Eccli. 10. *Initium omnis peccati est superbia*. Et Isaias cap. 14. de rege Babyloniorum qui figura fuit diaboli inquit: *Detracta est ad inferos superbia tua ... Quomodo cecidisti de caelo Lucifer, qui mane oriebaris ... qui dicebas in corde tuo: in caelum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum?*

Prob. 2. ex PP. S. P. Augustinus lib. 11. de gen. ad litt. cap. 14. *Nonnulli enim dicunt*, inquit, *ipsum ei fuisse casum a supernis sedibus quod inviderit homini facto ad imaginem Dei. Porro autem invidia sequitur superbiam, non praecedit: non enim caussa superbiendi est invidia, sed caussa invidendi superbia*. Et cap. 23. *Factus continuo se a luce veritatis avertit, superbia tumidus, et propriae potestatis delectatione corruptus*. Athanasius orat. de Virginit. *Satanas*, inquit, *non propter fornicationem, aut adulterium, aut furtum de caelo dejectus est: sed superbia ipsum in inferiores abyssi partes praecipitavit*. Hieronymus in cap. 16. Ezech. scribit superbiam fuisse proprium diaboli, primumque peccatum. Leo M. serm. 4. de Coll. ait: *Primum superbus; deinde invidus ut noceret*.

Prob. 3. ratione. Nimius propriae excellentiae amor peccatum est superbiae. Ast vero primum Angelorum peccatum nimius fuit propriae excellentiae amor: dicente Lucifero apud Isaiam cap. 14. *In caelum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum ... similis ero Altissimo*. Praeterea, primum Angelorum peccatum fuit, quod *Ab illo, qui summe est aversi, ad seipsos conversi sunt, qui non summe sunt: et hoc vitium quid aliud quam superbia nuncupatur?* ait S. P. Augustinus lib. 12. de civ. Dei cap. 6.

Contrariae argumentationes refelluntur.

Obj. 1. adv. 1. prop. Ezech. cap. 28. Rex Tyriorum in quo daemoniorum princeps adumbratur, vocatur aperte *Cherub extentus, et protegens*. Cherubinorum porro ordo inferior est ipsis Seraphinis. Adeoque Angelus qui primus peccavit, non fuit princeps Angelorum. II. Confirmat id

S. P. Augustinus qui lib. 11. de gen. ad litt. cap. 17. duo distinguens Angelorum genera, Satanam pertinere docet ad inferiorem ordinem. III. Falsum est quoque ex omnibus ordinibus aliquos pravo Luciferi exemplo seductos cecidisse. Nam in sacris litteris numquam apostatis Angelis Seraphinorum Thronorumque nomina tribuuntur.

Resp. ad 1. Non omnia et singula quae de tyriorum rege Ezechiel habet, verificari de principe daemoniorum debent, juxta septimam Tichonii regulam a S. P. Augustino explicatam lib. 3. de doct. christ. cap. 37. Deinde, etiamsi Lucifer de superiori Angelorum esset hierarchia, dici tamen potuit a Propheta Cherub, non quidem spectato nomine, sed quoad nominis ipsius quamdam analogiam. Sicut enim Cherubim alis suis obtegebant Arcam; ita rex tyriorum suo robore ac potestate omnes Tyri fines protegebat. Princeps autem daemoniorum reipublicae suae superbissimorum more Principum praeest.

Ad 2. Ubi S. Pater duos dispescens Angelorum ordines tradit spectare Satanam ad ordinem inferiorem, non in propria loquitur, sed in aliena sententia quam ipse non approbat. Ait namque: *An forte ex alio genere Angelorum fuit, quibus Deus non dedit vel de seipsis praescientiam futurorum? ... Nam et hoc quidam senserunt, non fuisse diabolum in illa sublimi natura Angelorum, quae supercaelestis est; sed eorum qui aliquando inferius in mundo facti sunt, et per sua officia distributi.* Pag. autem sequenti cap. nempe 19. e vestigio subdit: *Sed asserant haec duo genera bonorum Angelorum qui potuerint, unum supercaelestium, in quibus numquam fuit qui cadendo diabolus factus est; alterum autem mundanorum, in quibus fuit: mihi autem fateor unde hoc secundum Scripturam asseram, non interim occurrit.*

Ad 3. Respondet S. Thomas 1. p. q. 63. art. 9. ad 3. *In sacra Scriptura tamen nomina quorumdam ordinum, ut Seraphim et Thronorum, daemonibus non attribuuntur, quia haec nomina sumuntur ab ardore caritatis et ab inhabitatione Dei, quae non possunt esse cum peccato mortali. Attribuuntur autem eis nomina Cherubim, Potestatum, et Principatuum, quia haec nomina sumuntur a scientia et potentia, quae bonis malisque possunt esse communia.*

Obj. 3. adv. alt. thes. Angeli desertores peccando operati sunt malum. *Errant qui operantur malum*, inquit Salomon cap. 14. v. 22. Proverb. Cumque error sit ignorantia, fit consequens primi peccati originem fuisse ignorantiam.

Resp. cum Estio in 4. dist. 22. *Ignorantia illa sive inconsideratio sive error secundum quem omnis peccans ignorat et errat, proprie non est caussa peccati, sed potius pars peccati ipsius. Nam omne peccatum quasi duabus illis partibus constat et consummatur, inconsideratione scilicet aut falso judicio, et electione mala. Quapropter sicut actus intellectus non est separandus ab actu voluntatis; (est enim ille quasi de hujus ratione:) ita error judicii non est separandus a pèccato, sed in plena et perfecta ejus ratione includitur. Et quamvis inconsideratio aut error judicii natura prior sit mala electione, tempore tamen simul est.*

Obj. 4. Philo judaeus in lib. de Gigant. Flavius Josephus lib. 1. Antiq. cap. 4. affirmare non dubitant primum Angelorum peccatum fuisse stuprum foeminis illatum. His subscripsere Justinus, Athenagoras, Clemens alexandr. Tertullianus aliique. Ad quod asserendum ducti sunt laudati Scriptores a commate quod legitur in cap. 6. Gen. v. 2. *Videntes autem filii Dei filias hominum, quod essent pulchrae, ingressi sunt ad eas*. II. Quod si primum illud peccatum non fuit effraenata libido; fuerit ergo invidentia: quod volunt Irenaeus, Cyprianus, Gregorius nyssenus cum aliis priscis Scriptoribus. III. Demum, non male opinantur Scotistae peccasse illos primitus peccato spiritualis luxuriae, quod nempe semetipsos immodico effraenique amore dilexerint.

Resp. ad 1. Laudati omnes in argumento Scriptores ac Patres a nonnullis decepti fuerunt codicibus graecis versionis septuaginta Interpretum in quibus legitur: *Videntes Angeli Dei* etc. De qua re alibi loquuti sumus atque explicavimus quo sensu sit comma illud intelligendum. Illud nunc addimus dumtaxat cum Augustino lib. 15. de civ. Dei cap. 23. *Angelos sanctos nullo modo illo tempore sic labi potuisse*: nec non illud Sap. cap. 2. *Invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum*: sive ut verbis utar Augustini loco citato: *Primum apostatantes* (Angeli mali) *a Deo cum diabolo principe suo ceciderunt, qui primum hominem per invidiam serpentina fraude dejecit*.

Ad 2. Daemones peccarunt etiam peccato invidentiae, sed hanc praecessit superbia. Relege S. P. Augustini verba paullo supra relata, post quae ita subsequitur: *Cum itaque superbia sit amor excellentiae propriae*, sequitur Aug. lib. 11. de gen. ad litt. cap. 14. *invidia vero sit odium felicitatis alienae, quid inde nascatur satis in promptu est. Amando enim quisque excellentiam suam, vel paribus invidet, quod ei coaequentur; vel superioribus, quod eis non coaequetur. Superbiendo igitur invidus, non invidendo quisque superbus est. Merito initium omnis peccati superbiam Scriptura definivit, dicens*: Initium omnis peccati superbia.

Ad 3. Immodicus suipsius amor peccatum est superbiae. Luxuries enim est immoderata delectatio de re venerea, quae in Angelis utpote spiritualibus locum habere non potuit.

SCHOLION.

Disputant praeterea Theologi in quo Angelorum qui ceciderunt, superbia praecise consistat. Guillelmus Episcopus parisiensis post multos Patres existimat peccasse Diabolum peccato superbiae, quatenus censuit se in ministeriis exercendis ceterorum non teneri legi Angelorum. Scotus cui accedit Vasquesius, putat superbiam diaboli fuisse desiderium similitudinis cum Deo si possibile fuisset. Cajetanus superbiam illam fuisse quod naturalem beatitudinem in qua conditus fuerat, noluerit ad Creatorem referre. Ægidius noster arbitratur peccasse Angelos, quod cre-

diderint posse se aeternam consequi beatitudinem propriis naturae viribus. Nonnulli quoniam divinos affectarunt honores. Alii quod Christum adorare noluerint. Sua quaelibet opinio probabilitate non caret. Nostra sententia est Angelos malos adeo propria delectatos fuisse excellentia, ut dum Angeli sancti propriam contemplantes naturam laudem Deo dederunt, illi e contra non surrexerunt in mane, sed in vespertina cognitione, ut eam S. P. Augustinus appellat, acquieverunt. Legite S. Doctorem lib. 11. de civ. Dei cap. 7.

CAPUT X.

De extraordinariis Angelorum effectibus.

Quae de intellectu voluntate loco motu loquutione aliisque Angelorum proprietatibus in superioribus disseruimus, sunt Angelis ipsis, ut per se patet, connaturalia. Nunc breviter pertractemus oportet de effectibus illis quos per extraordinariam virtutem superni illi Spiritus producere possunt. Atque illud in primis certum cuique esse debet Angelos sive probos sive improbos tanta pollere virtute movendi cujusvis generis corpora, ut quousque illa pertingat definiri non tam facile valeat. Unde M. Augustinus lib. 3. de Trinit. cap. 9. *Quid autem*, inquit, *possint* (Angeli) *per naturam, nec possint per prohibitionem, et quid per ipsius naturae suae conditionem facere non sinantur, homini explorare difficile est, imo vero impossibile, nisi per illud donum Dei, quod Apostolus commemorat dicens: alii dijudicatio spirituum*. Ex hac autem motrice virtute tamquam ex radice profluit in illis patrandi mirabilia potestas. Ex quo enim motricem habeant virtutem, possunt 1. corpora assumere, non ad hominum instar modo, sed et brutorum; unde in veteris ac novi Testamenti Scripturis legimus Cherubim igneum gladium gestantem ad Paradisi januam stetisse; tres Angelos in humana specie apparuisse Abrahamo; Raphaelem comitem in itinere se praebuisse Tobiae; Gabrielem in assumpta juvenis forma salutasse Mariam; diabolum vero Evam decepisse sub vera serpentis imagine. 2. Quum summa gaudeant perspectivae artis peritia, diversimode miscere possunt materiam, eamque ita opponere luci ut pro varietate reflexionis ac refractionis, variae astantium oculis appareant figurae diversique colores. Atque hinc est cur daemones tam saepe illudant hominibus, nunc eis in forma se praebendo ferarum, nunc volucrum, nunc elegantis puellae. 3. Angeli maxima ex una parte rerum naturalium pollentes scientia, brutorum plantarum fruticum seminarias rationes optime norunt: ex alia vero quum habeant, ut diximus, virtutem rerum motricem, applicare facile queunt *activa passivis*: atque ita serpentes producere et ranas et arbores et fructus. Cumque opportunitates et caussas unde ista nascuntur perfectissime noscant, longo temporis intervallo ad ea excitanda non indigent, ut optime S. P. Augustinus lib. 3. de Trin. cap. 9. observat: *Mali Angeli pro subtilitate sui sensus in occultioribus elementorum seminibus norunt, unde*

ranae serpentesque nascantur, et haec per certas et notas temperationum opportunitates occultis motibus adhibendo, faciunt creari, non creant. 4. Ob eamdem motricem qua pollent virtutem, possunt etiam *Sistere aquam fluviis, et vertere sidera retro*, ut Æneid 4. Virgilius ait; cogere nubes ad excitanda tonitrua fulmina pluviam; concutere terram, ignem evocare de caelo, et alia hujus generis mirabilia patrare: atque idcirco Ecclesia exorcismos adhibere solet adversus aëreas tempestates ne noceant hominibus. 5. Cave tamen ne putes posse malos Angelos materiam ad nutum tractare; proindeque mirabilia quando eis libuerit perpetrare. Si namque haec eis inesset facultas, possent rerum omnium naturalium a Deo statutum pervertere ordinem, quod repugnat: et nocere pro lubitu hominibus quorum sunt infensissimi ac invidissimi hostes. Jus itaque habent in particularia tantummodo corpora, idque sinente Deo omnipotentissimo rerum conservatore. *Nec ideo putandum est istis transgressoribus Angelis ad nutum servire hanc visibibilium rerum materiam, sed Deo*, inquit S. P. Augustinus lib. 3. de Trinit. cap. 8. Et cap. sequenti subdit: *Ipse est unus Creator Deus, ex cujus ineffabili potentatu fit etiam ut quod possent hi Angeli si permitterentur, ideo non possint quia non permittuntur. Neque enim occurrit alia ratio, cur non potuerint facere minutissimas muscas, qui ranas serpentesque fecerunt, nisi quia major aderat dominatio prohibentis Dei*. 6. Quod si tot tantaque mirabilia facere queunt Angeli mali, nonne illa eadem et potiora facere poterunt Angeli sancti? Nam praeterquamquod et ipsi virtutem habent movendi materiam, ut diximus, facilius a Deo facultatem recipiunt in particularia corpora; quum abuti illa in hominum perniciem non possint. Hinc non solum in assumptis corporibus apparent hominibus, ut diximus: sed possunt praeterea evertere regna, illaque ad alios transferre populos, ut patet ex Dan. cap. 10. Quare S. P. Augustinus lib. 4. de civ. Dei cap. 17. refellens Ethnicos affirmantes, *Quod deam Victoriam Jupiter mittat, atque illa tamquam regi deorum obtemperans, ad quos jusserit veniat, et in eorum parte considat*, ita scribit: *Hoc vere dicitur, non de illo Jove, quem deorum regem pro sua opinione confingunt; sed de illo vero rege saeculorum, quod mittat non Victoriam quae nulla substantia est, sed Angelum suum, et faciat vincere quem voluerit*. Possunt etiam Dei ultionem in impios ob patrata ab illis scelera exequi: ut expulsio Adam e Paradiso voluptatis, conflagratio Sodomitarum, caedes tum primogenitorum Ægypti tum potentissimi exercitus Sennacheribi, aliaque innumera aperte demonstrant quae in sacris occurrunt codicibus, quaeque tribui nequeunt Angelis malis. *Nam si propterea per malos Angelos illa Deum fecisse putaverimus, quia poenae infligebantur, non beneficia praestabantur, tamquam nemini Deus poenas irroget per Angelos bonos, sed per illos velut militiae caelestis carnifices; consequens erit, ut etiam Sodomam per malos Angelos eversam esse credamus, et malos Angelos Abraham et Lot hospitio suscepisse videantur: quod absit ut contra Scripturas apertissimas sentiamus*, scribit S. P. Augustinus in psal. 77. Posse demum

Angelos sanctos, ne singulos illorum extraordinarios effectus enumerem, exequi divinae misericordiae in pios homines consilia, declarant apertissime et trium puerorum e Babylonis fornace liberatio, et translatio Habachuch, et lapidis ab ostio monumenti revolutio, et solutio catenarum Petri, et alia complura quae tum in Scripturis tum in ecclesiasticis leguntur historiis.

Sed redeamus ad Angelos malos. Inquirere solent Theologi an daemones naturali qua praediti sunt virtute, vera possint patrare miracula. Quaestio haec quae maximi videtur momenti, si rem a re sedulo ac diligenter secernamus, facillimam habet solutionem. Sciendum quippe est non omnia quae mirabilia sunt et vulgi superant captum, esse vera miracula. Aliud enim sunt *Ostenta*; aliud *Magicae phantasiae*; aliud *Praestigia*; et aliud veri nominis *Miracula*. Ostenta definiri possunt opera quaedam naturalem quidem caussam habentia: sed quae cum spectatores penitus lateat, mirabilia illis videntur. Hujus generis sunt monstra ab Augustino descripta lib. 16. de civ. Dei cap. 8. et quae facta narrantur ab Alberto magno, qui construxisse dicitur ligneam statuam hominum more loquentem; et a Pico mirandulano, a Marsilio ficino, a Restituto presbytero calamensi de quo idem S. Pater lib. 14. de civ. Dei cap. 24. aliisque rerum naturalium peritissimis viris. Magicae phantasiae sunt sensuum nostrorum illusiones quae innumeris contingere possunt modis; sed praesertim vel perspectivae artis ope varia lucis reflexione aut refractione; vel ope arcanae rerum naturalium virtutis. Ad hanc mirabilium classem ea spectant quae conspiciuntur in Camera Apostolica aut prismate animantia ac vireta undique apparentia, si lucerna anguium adipe herbarumque succis oleo permixtis ardeat, hujusque generis innumera alia. Praestigia autem sunt opera quaedam quae omnem revera humanam superant virtutem, sed Angelorum malorum vires haudquaquam excedunt. Producere seu excitare serpentes ranas et muscas ubi non sunt; cogere nubes ut pluant, vel fulmina emittant aut tonitrua; vertere aquam in sanguinem, aliaque praestare quae a naturalium corporum motu dependent; si haec a daemone fiant qui, ut supra monuimus, vim habet motricem materiae, stupenda quidem sunt ac mirabilia, sed mera praestigia, non miracula. Vera demum miracula opera illa sunt quae non humanam modo, sed et Angelicam superant facultatem; nec ab homine vel Angelo, nisi Deo ipso operante, patrari queunt. Si v. g. mortui vera accidat resurrectio; si secretorum humani cordis perscrutatio; si futurorum contingentium vaticinatio habeantur, tunc veri nominis contigisse miraculum absque ulla haesitatione pronuntiari potest. His ergo bene perpensis, proposita paullo ante quaestio nullo negocio resolvitur. Possunt namque daemones ostenta, magicas phantasias et praestigia patrare, quoniam humanam vel angelicam non excedunt virtutem; minime autem vera miracula, utpote quae illorum vincant potestatem.

Quae licet ita se habeant non levis tamen oritur difficultas circa mirabilia tertii generis. Haec enim tametsi ab Angelo fieri possint, et tunc appellari debent, ut diximus, praestigia; contingere nihilominus potest et

reapse saepe contingit, ut fiant omnipotenti sua virtute a Deo O. M. quo in casu non praestigia, sed veri nominis miracula sunt appellanda. Aliquis vel ignotis loquitur linguis, vel rapitur in aëra, aut desperatam extemplo recipit sanitatem. Virtus ad haec efficienda proculdubio requiritur supernaturalis, sive Dei sive daemonis aut Angeli sancti. Qua via dignoscere tuto poterimus an id quod accidit, verum sit miraculum an vero praestigium; an Deum vel daemonem auctorem habeat? Hoc opus, hic labor. Nonnullas tradunt ad id discernendum Theologi regulas quas hic contractas subjiciam.

Regula I. Si opus sit per publica signa justitiae patratum, puta divini Nominis invocatione, aut aliquo christianae Religionis argumento, verum erit miraculum. E contra vero si quis dum actu mirabilia efficit catholicam abneget Religionem, aut quid simile turpe faciat, erit praestigium. *Nemo est enim*, inquit Christus Marci cap. 9. v. 38. *qui faciat virtutem in nomine meo, et possit cito male loqui de me*. Hinc in claudo de quo Actus apostolici narrant sanatum fuisse extemplo a Petro et Johanne, verum peractum est miraculum; quoniam dum Apostoli christianam actu confiterentur Religionem, dixerunt: *In nomine Jesu Nazareni surge et ambula*. II. Si quid stupendum apparet, factum sit per privatos et occultos contractus v. g. carminibus, signis superstitiosis aut aequivocis ritibus; praestigium est non miraculum, etiamsi de ejectione daemonis ab energumeno pertractetur; delectatur namque diabolus divinis honoribus, ac proinde deserere non rennit corpus ut animam possideat. Ita quoniam mirabilia a Magis aegyptiis patrata fiebant per privatos contractus, praestigia erant non vera miracula. Idem de signis et virtutibus Antichristi erit dicendum, quamvis et ipse daemonia sit expulsurus ab hominibus. III. Si finis propter quem mirabilia patrantur pravus fuerit et impius, puta ut avertantur homines a vera Religione vel ad sacrilegia vel ad lasciviam etc. inducantur; et ipsa erunt praestigia. Neque enim Deus aut peccati auctor aut tentator esse potest malorum, *Et nemo in spiritu Dei loquens, dicit anathema Jesu*, ut Apostolus scribit in I. ad Cor. cap. 12. v. 3. Hac de caussa oracula omnia ac vaticinia quae ethnicorum simulacra fundebant, erant falsa miracula. IV. Si mirabilia non ad aedificationem, sed ad meram fiant curiositatem; non animo benefaciendi, sed potius nocendi hominibus potissimum justis, erunt illa opera Satanae. Noluit siquidem Christus signum ullum coram Herode patrare, ne illius satisfaceret curiositati: et dum Judaeam lustrabat, pertransiit benefaciendo et sanando omnes. V. Si patratum prodigium ab alio praestantiori prodigio in contestationem veritatis facto superetur, primum apparens, alterum autem verum erit prodigium. Nam Deus opera sua destruere non potest, quia *nihil odit eorum, quae fecit*. Inde cognoscimus portenta a Magis aegyptiis patrata fuisse mera praestigia, quoniam a portentis patratis per Moysen et Aaron superata fuerunt; unde Magi ipsi exclamarunt: *Digitus Dei est hic*. VI. Sed cum accidere quandoque possit, ut mirabile opus pateat quidem, ignotum autem sit a quo vel quomodo aut quo fine fuerit patratum; subjiciendum eo

in casu erit prodigium ipsum examini, an sit nec ne miraculum. Atque haec observanda sunt. 1. Si objectum quod uno modo aliquibus apparet, diversimode appareat aliis, nisi de genere sit rerum quae ob radiorum reflexionem vel refractionem diversam pariunt imaginem; tunc illusio erit et magica phantasia. 2. Si objecto quod esse debet reale, essentialis aliqua desit proprietas, v. g. si corpus quod conspicitur minime sit palpabile; illusio pariter erit et magica phantasia. 3. Praestigium quoque erit ubi fundamentum est judicandi a malo Spiritu potuisse objectum illud e semine excitari eo, quo supra diximus, modo. Possunt et aliae hisce regulis addi vel ab experientia rerum omnium magistra, vel a sana philosophia deprompta. Cavendum tamen ne quaevis regula sacrae Scripturae repugnet.

Ex dictis itaque satis luculenter apparet verum miraculum esse stupendum opus quod naturalem tum hominis tum Angeli vincit facultatem; aut nisi vincat, a Deo tamen in suipsius vel immediatam vel saltem mediatam gloriam fiat. Sed hic et alia oritur controversia; quibus nimirum ministris vera Deus efficiat inter homines miracula. Et uti quidem crebro ministerio Sanctorum vel hominum vel Angelorum nemini dubium; quum innumera ejus rei exempla prostent in sanctis paginis, ubi Moysis et Aaron et Josue et Eliae et Elisaei et Apostolorum prodigia narrantur: item et Israelitarum custodia per arva deserti, et trium puerorum e Babylonis fornace liberatio, et lapidis revolutio ab hostio monumenti, et solutio catenarum principis Apostolorum, aliaque bene multa per Angelos sanctos patrata. Uti Deum quandoque etiam ministerio improborum, non minus certum videtur. Nam Matth. cap. 7. v. 22. Christus de reprobis loquens ita inquit: *Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo daemonia ejecimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus?* Et Lucas cap. 9. narrat quemdam Christum minime sequentem in nomine illius et ipsum ejecisse daemonia. Consimilia narrantur Marci 9. Act. apost. 19. et alibi saepe. Quare Augustinus in lib. 83. QQ. Q. 79. affirmat, *Quaedam miracula etiam sceleratos homines facere, qualia Sancti facere non possint*. Non tamen putandum est impios homines patrare miracula, vel in confirmationem erroris aut ad perliciendum ad malum; ait enim idem Augustinus quaest. proxime citata n. 4. *Aliter magi faciunt miracula, aliter boni Christiani, aliter mali Christiani: magi per privatos contractus, boni Christiani per publicam justitiam, mali Christiani per signa publicae justitiae*. Hinc Paulus Episcopus novatianus miracula quidem patravit, sed in commendationem Baptismi non in sui confirmationem erroris. Si autem quaeras cur Deus miracula interdum operetur per impios; responderi potest id facere Deum et ut diaboli magis reprimat superbiam per ministros suos eum debellando, et ne infirmi decipiantur quasi prae donis gratum facientibus potiora sint dona gratis data. Quod autem efficiat Deus vera prodigia etiam per daemonem raro quidem sed aliquando tamen, non auderem asserere, nisi fidejussorem haberem Augustinum qui lib. 2. ad Simplic. Q. 4. de anima Samuelis per pythonissam evocata verba faciens ait: *Non est absur-*

dum credere ex aliqua dispensatione divinae voluntatis permissum fuisse, ut non invitus nec dominante atque subjugante magica potentia, sed volens atque obtemperans occultae dispensationi Dei, quae et pythonissam illam et Saulem latebat, consentiret Spiritus Prophetae sancti se ostendi aspectibus regis, divina eum sententia percussurus. Neque divinae majestati repugnat ut daemonum ministerium quandoque ad patranda miracula assumat; quum id faciat ad impiorum punitionem suique nominis exaltationem, numquam vero in argumentum erroris aut vitiorum. Deus enim quum sit summa veritas errori patrocinari non potest: quum sit summa bonitas permittere quidem, non autem velle potest peccatum. Imo si daemoni facultatem edendi miracula in confirmationem erroris faceret, tota vacillaret divina Fides; quum usurpatum viderent homines in confirmationem mendacii sigillum et characterem veritatis. Quod post Gersonium serm. 19. post Pent. explicat Gummarus Huigens tom. 2. brev. obs. his verbis: *Etsi Rex possit in regno suo permittere ut subditis suis in poenam eorum quae in regem commiserunt, obveniant ab hostibus variae illusiones poenales ac aliae afflictiones; non potest tamen si impedire valeat, permittere ut circa characteres et sigillum Regis ita a quibusdam illusoribus decipiantur subditi, ut nulla circumspectione aut prudentia litteras nomine Regis fictas discernere valeant a litteris vere a Rege conceptis et ipsius sigillo signatis: nam hoc permittens saltem ordinarie, non poterit aegre ferre si veris litteris fides non adhibeatur*.

In cujus rei confirmationem et illud accedit quod vera miracula nota et character sunt verae Religionis, quidquid heterodoxi cavillentur. Nam Josue cap. 3. v. 10. inquit: *In hoc scietis* (videlicet in mirabilibus Arcae Domini) *quod Dominus Deus vivens in medio vestri est*. Et lib. 3. Reg. cap. 18. v. 36. Elias Dei auxilium ad miraculum contra prophetas Baal impetrandum invocans ait: *Domine Deus Abraham et Isaac et Israel ostende hodie quia tu es Deus Israel, et ego servus tuus*. Et de Apostolis Christi Fidem per universum mundum annunciantibus Marci cap. ultimo legitur: *Illi autem profecti praedicaverunt ubique Domino cooperante, et sermonem confirmante, sequentibus signis*. Quid quod? Augustinus ipse cujus auctoritate abutuntur heterodoxi, in lib. de utilit. cred. cap. 17. scribit de Ecclesia: *Frustra haereticis circumlatrantibus, et partim plebis ipsius judicio, partim Conciliorum gravitate, partim etiam miraculorum majestate damnatis, culmen auctoritatis obtinuit*. Et lib. 10. de civ. Dei cap. 17. docet miracula in mundo patrari, *Ut nos ad Deum colendum eique cohaerendum igne amoris ejus accensi, quod nobis, non illi bonum est, excitemur*. Imo cap. ejusdem lib. 8. jam scripserat Deum signa fecisse in manu Moysis et Aaron *ad corroborandam Fidem piorum*. Et ne singula exscribam lib. 22. de civ. Dei cap. 9. hanc gravissimam tradidit sententiam: *Cui, nisi huic Fidei adtestantur ista miracula, in qua praedicatur Christus resurrexisse in carne, et in caelum ascendisse cum carne? Quia et ipsi Martyres hujus Fidei martyres, id est, hujus Fidei testes fuerunt, huic Fidei testimonium perhibentes mundum inimicissimum*

et crudelissimum pertulerunt; eumque non repugnando, sed moriendo vicerunt. Pro ista Fide mortui sunt qui haec a Domino impetrare possunt, propter cujus nomen occisi sunt. Pro hac Fide praecessit eorum mirá patientia, ut in his miraculis tanta ista potentia sequeretur.

Neque haereticorum caussam juvat quod idem S. Doctor in lib. de util. cred. cap. 16. dixerit: *Cur ista modo non fiunt?* Atque respondeat, *Quia non moverent nisi mira essent: si autem solita essent, mira non essent*: et in lib. de unit. Eccl. cap. 19. *Quaecumque talia in Catholica fiunt, ideo sunt approbanda, quia in Catholica fiunt: non ideo ipsa manifestatur Catholica, quia haec in ea fiunt*. Non haec, inquam, reponere juvat. Nam quoad primum locum, monet S. Pater, in lib. 1. Retract. cap. 14. se id dixisse, *Quia non tanta nec omnia modo, non quia nulla fiunt etiam modo*. Quoad alterum vero, animadvertisse sufficiat loqui Augustinum adversus schismaticos Donatistas qui Ecclesiam apud ipsos dumtaxat remansisse effutiebant ob mirabilia a Donato et Pontio patrata. Hinc optime Augustinus regerit Ecclesiae unitatem comprobatam Scripturis, quarum auctoritatem et Donatistae admittebant, ob Donati Pontiique portenta scindi non posse. Hoc enim laudata verba significant. Et hunc eo in libro S. Doctor tenet disputationis ordinem. Initio ejusdem capitis demonstrat jactata a Donatistis prodigia imposita esse aut saltem fuisse a cacodaemone conficta. *Quia*, ait, *ipse Satanas transfigurat se tamquam Angelum lucis, et multos seduxerunt somnia sua*. Quare etiam infideles, inquit, et haeretici, auctore vel daemone vel ipso Deo, *vel ad poenam malitiae, vel ad solatium miseriae, vel ad admonitionem quaerendae salutis aeternae,* mirabilia patrarunt. Proinde Ecclesiae veritatem auctoritatemque qnaerere debent Donatistae in Scripturis quarum auctoritatem admittunt, non in Donati ac Pontii mirabilibus; praesertim cum multa flagitia in parte Donati inveniantur. Demum concludit, *quaecumque talia in Catholica fiunt* etc. Apparet ergo Augustini mentem esse, quod ad Ecclesiam spectet judicare an mirabilia illa vera sint miracula, non quod ex miraculis definiri non possit ubinam vera consistat Ecclesia.

Juvat modo oppositiones illorum refellere qui autumant posse daemonem vera patrare miracula vel in confirmationem erroris vel in vitiorum commendationem. Objiciunt itaque I. Daemon proculdubio erat qui in Magis Pharaonis operabatur. Hi autem vera patrarunt miracula; et in confirmationem quidem erroris quo Pharao detinebatur. Nam verterunt et ipsi, ut Moyses et Aaron fecerunt, virgas in serpentes, aquam in sanguinem etc. II. Et quidquid ad argumentum ex Magorum mirabilibus depromptum solvendum dici potest, illud idem responderi potest pro miraculis a Moyse et Aaron patratis.

Resp. ad 1. Flavius Josephus et Tertullianus lib. de anima cap. 57. affirmant conversiones virgarum in colubros, aquae in sanguinem, aliaque mirabilia a Magis patrata fuisse non vera ac realia, sed apparentia; quatenus daemon ope artis perspectivae ita materiam aptavit ut luce inflectente vel refringente, virga serpens, et aqua sanguis appareret. Qua po-

sita sententia, jam habes ad argumentum responsionem. Quod si transformationes illas reales fuisse concedamus, ut S. P. Augustinus docet, virtutem non transgrediuntur diaboli: qui cum possit Deo sinente pro lubitu suo corpora movere, vel excitavit ex praejacente materia coram Pharaone per Magos serpentes et ranas, vel aliunde et haec et sanguinem illuc asportavit. Relege quae ab initio monuimus.

Ad 2. Non unum assignari potest inter Moysis ac Magorum mirabilia discrimen. 1. Ea fecerunt sancti viri per publicae justitiae signa, ut Augustini adhibeam phrasim, non per privatos et occultos contractus, quomodo Magi Pharaonis. 2. Moyses et Aaron ea edidere prodigia in detestationem idololatriae contra quam fecerint Magi. 3. Prodigia Moysis et Aaron praestigia superaverunt Magorum Ægypti.

Obj. 2. Apostolus in II. ad Thessal. cap. 2. de Antichristo fuse disserens inquit: *Tunc revelabitur ille iniquus, quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui, et destruet illustratione adventus sui eum: cujus est adventus secundum operationem Satanae in omni virtute, et signis, et prodigiis mendacibus, et in omni seductione iniquitatis*. Ex quibus apparet diabolum per Antichristum in confirmationem erroris multa patraturum miracula. II. Neque quis dicat prodigia illa vel futura apparentia, vel cacodaemonis vires non superare. Nam inter cetera signa evocabit ignem de caelo: quod verum esse miraculum ex facto patet Eliae qui et ipse ignem evocando de caelo verum patravit miraculum. 3. Hinc S. P. Augustinus in lib. 20. de civ. Dei cap. 19. appellat signa Antichristi vera prodigia.

Resp. ad 1. Signa quae a daemone per Antichristum fient fore praestigia, non vera miracula. Nihil enim patraturus est Antichristus quod Satanae superet facultatem. Ignem evocabit de caelo, per bestiae loquetur imaginem, hoc est per simulacra, et alia ejusmodi faciet quae vires illius non excedunt qui omnem habet corpora movendi virtutem. Deinde non desunt qui putant mirabilia Antichristi meras futuras illusiones; quum ab Apostolo in laudata sententia prodigia ac signa appellentur mendacia. Quae si vera sunt, tota evanescit difficultas. Responsio est S. P. Augustini qui lib. 20. de civ. Dei eodem capite 19. inquit: *Solet ambigi, utrum propterea dicta sint signa, et prodigia mendacii, quoniam mortales sensus per phantasmata decepturus est; ut quod non facit, facere videatur: an quia illa ipsa, etiamsi erunt vera prodigia, ad mendacium pertrahent credituros, non ea potuisse nisi divinitus fieri, virtutem diaboli nescientes; maxime quando tantam, quantam numquam habuit, acceperit potestatem*.

Ad 2. Rationem discriminis inter miracula Eliae et praestigia Antichristi indicavimus ubi regulas dedimus ad verum a falso miraculo discernendum.

Ad 3. S. P. Augustinus appellat signa Antichristi vera prodigia per oppositionem ad magicas illusiones, ut ex ipsa lectione apparet.

Obj. 3. Mortuos ad vitam revocare quis inficiari audeat verum esse

miraculum? Porro id facere posse cacodaemonem patet ex lib. 1. Reg. cap. 28. ubi narratur pythonissam incantationibus magicis a mortuis suscitasse Samuelem ut Sauli finem vitae suae prophetaret: de quo miraculo Eccli. cap. 46. legitur: *Et post hoc dormivit* (Samuel), *et notum fecit regi*, *et ostendit illi finem vitae suae*, *et exaltavit vocem suam de terra in prophetia delere impietatem gentis*.

Resp. 1. Non repugnat Deum per cacodaemonem in confirmationem veritatis, impiorum punitionem ac exaltationem nominis sui vera patrare miracula, ut paullo supra demonstravimus. Quod accidit profecto in facto Samuelis qui in punitionem Saulis et ad gentis impietatem delendam, ut ait Auctor Eccli. fuit revocatus ad vitam. Relege quae paullo ante diximus ex Augustino. 2. Idem S. Doctor in lib. 2. ad Simplic. Q. 3. ita scribit: *Quamquam in hoc facto potest esse alius facilior exitus et expeditior intellectus*, *ut non vere spiritum Samuelis excitatum a requie sua credamus*, *sed aliquod phantasma*, *et imaginariam illusionem diaboli machinationibus factam*, *quam propterea Scriptura nomine Samuelis appellat*, *quia solent imagines rerum earum nominibus appellari*, *quarum imagines sunt*. 3. Aliam praeterea tradit Augustinus ibidem solutionem his verbis: *Cum enim vult Deus etiam per infimos infernosque spiritus aliquem vera cognoscere*, *temporalia dumtaxat atque ad ipsam mortalitatem pertinentia*, *facile est*, *et non incongruum*, *ut omnipotens et justus ad eorum poenam*, *quibus ista praedicuntur*, *ut malum*, *quod eis impendet antequam veniat praenoscendo patiantur*, *occulto apparatu ministeriorum suorum etiam spiritibus talibus aliquid divinationis impertiat*, *ut quod audiunt ab Angelis*, *praenuntient hominibus*. *Tantum autem audiunt*, *quantum omnium Dominus atque moderator vel jubet vel sinit*. Multa hujus generis alia objicere solent adversae sententiae patroni. Sed tum ex allatis superius regulis, tum ex aliis quae hoc in capite praemonuimus, non difficilem habent solutionem.

CAPUT POSTREMUM.

De hierarchicis Ordinibus ac missione Angelorum.

Est Hierarchia, *mea sententia*, *sacer Ordo et scientia actioque ad divinam similitudinem quoad licet accedens*, *et pro commissarum ipsi divinitus illustrationum ratione ad Dei se imitationem offerens*, inquit Auctor de caelesti Hierarchia cap. 3. In supernis illis spiritibus hunc esse sacrum ordinem ad Dei similitudinem accedentem, praeter laudatum mox Scriptorem, tradunt omnes Patres, et ratio ipsa suadet: ut Angeli qui Dei ministri sunt, disposito quodam ordine ad munia cuique propria obeunda praesto sint. Imo Theologi omnes pro re certissima tenent, post citatum proxime Auctorem veteresque Patres non paucos, immensam illam caelestium spirituum multitudinem distributam in tres esse Hierarchias quarum unaquaeque tres contineat ordines Angelorum sive Choros. Erunt itaque

novem ordines Angelorum, videlicet Angeli, Archangeli, Virtutes, Potestates, Principatus, Dominationes, Throni, Cherubim, atque Seraphim, quidquid mussitet Theodorus Beza qui post Erasmum Catholicos vocat *inepte curiosos*, *qui ex epistola Pauli ad Ephesios et similibus*, *occasionem accipiunt garriendi de Angelorum ordinibus*.

Variae item recenseri solent a Theologis angelicorum ordinum proprietates quas inter merito enumerant missionem, quum in Scripturis saepe legatur supernas illas mentes ad homines mitti; ut Exod. cap. 33. *Mittam praecursorem tui Angelum*. Et Tobiae cap. 12. *Tempus est*, inquit Raphael, *ut revertar ad eum*, *qui me misit*. Et Lucae cap. 1. *Missus est Angelus Gabriel a Deo*. Et mitti illos quidem ad singulorum custodiam Fidelium quamvis de Fide non sit, soli tamen displicere potuit Calvino. Quinimmo dari custodem Angelum etiam Infidelibus et singulis regnis, provinciis, ac civitatibus probabilitate non caret: quod aliquo sensu dici potest etiam de Angelo malo. An vero Angeli sancti ad mortalium custodiam vel ad alia exercenda ministeria ex singulis illis novem mittantur ordinibus, res est de qua in utramque partem solet disputari. Oportet ergo ut omnia haec breviter quidem, sed bene ac naviter explicemus. Unde sit

CONCLUSIO I.

Immensa Angelorum multitudo recte distribuitur in tres Hierarchias et in novem ordines.

Prob. prima thes. pars. Auctor de cael. Hierar. vulgo Dionysius cap. 6. tres distinctas enumerat omnium Angelorum classes seu Hierarchias. In prima et superiori collocat 1. *Seraphim*, hoc est Calefacientes, quia divino flagrant ardore. 2. *Cherubim*, nempe ut Augustinus ait, plenos scientia. 3. *Thronos*, in quibus, inquit Cassianus, *divina majestas pecularius requiescit*. Ponit in altera Hierarchia 1. *Dominationes*, qui ita dicuntur quod *mira potentia praeminent pro eo quod eis cetera ad obediendum subjecta sunt*, ait Greg. M. 2. *Virtutes*, idest spiritus per quos signa et miracula frequentius fiunt. 3. *Potestates*, quorum potestate principes tenebrarum ne hominum corda tantum tentare audeant quantum volunt, refraenantur. In tertia recenset 1. *Principatus*, sic nuncupatos *quod eorum moderamine et sapientia omnis in terra principatus constituitur*, *regitur*, *limitatur*, *transfertur*, *mutilatur*, scribit Bernardus. 2. *Archangelos*, qui nonnisi magnis ac praecipuis de caussis ad obeunda ministeria mittuntur. 3. *Angelos*, *qui minima nuntiant*, ut docet Gregorius.

SCHOLION.

Quamvis ob SS. PP. auctoritatem in dubium verti nequeat tres esse summas caelestium spirituum Hierarchias, dubitari nihilominus potest an Angeli in unaquaque Hierarchia recensito ordine sint dispositi. Nam Gre-

gorius M. hom. 34. et Bernardus lib. 5. de Consid. quibus Magister sententiarum, et S. Thomas subscribunt, Principatus in secunda, Virtutes vero in tertia collocant Hierarchia. Irenaeus etiam diversimode Angelorum ordines recenset lib. 2. cap. 54. Primo hunc in illis enumerandis tenet ordinem: Principia, Potestates, Angelos, Archangelos, Dominationes, et Virtutes. Deinde vero Angelos, Archangelos, Thronos, Dominationes, Principatus, Potestates, et Virtutes.

Prop. altera pars Gregorii testimonio quo probationes ex Scriptura afferri solitae etiam continentur. Is ergo hom. proxime laudata 34. ita fatur: *Novem Angelorum ordines diximus, quia videlicet esse testante sacro eloquio scimus Angelos, Archangelos, Virtutes, Potestates, Principatus, Dominationes, Thronos, Cherubim, atque Seraphim. Esse namque Angelos et Archangelos pene omnes sacri eloquii paginae testantur. Cherubim vero atque Seraphim saepe, ut notum est, libri Prophetarum loquuntur. Quatuor quoque ordinum nomina Paulus Apostolus ad Ephesios* (cap. 1. v. 27.) *enumerat dicens: Supra omnem Principatum, et Potestatem, et Virtutem, et Dominationem. Qui rursus ad Colossenses* (cap. 1. v. 16.) *scribens ait: Sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates. Dominationes vero et Principatus ac Potestates jam ad Ephesios loquens descripserat. Sed ea quoque Colossensibus dictans praemisit Thronos, de quibus necdum fuerat quidquam Ephesiis locutus. Dum ergo illis quatuor quae ad Ephesios dixit ... conjunguntur Throni, quinque sunt ordines qui specialiter exprimuntur. Quibus dum Angeli et Archangeli, Cherubim atque Seraphim adjuncta sunt, proculdubio novem esse Angelorum ordines inveniuntur.* Loca autem in quibus Cherubim atque Seraphim commemorantur, sunt inter cetera Isaiae cap. 6. et Ezech. cap. 10. In priori namque loco legitur: *Seraphim stabant super illud: sex alae uni, et sex alae alteri.* In alio vero: *Cherubim autem stabant a dextris domus.* Aliorum testimonia Patrum, ut Ignatii in ep. ad Trallian. Irenaei lib. 2. cap. 24. Cyrilli, Athanasii, Gregorii nazianzeni omitto uti omnibus notissima.

CONCLUSIO II.

Probabile est a Deo mitti ad homines Angelos ex omnibus ordinibus: est autem certum mitti ad custodiam cujuslibet Fidelis; imo et singulorum hominum, et regnorum, et provinciarum, et urbium.

Prob. prima pars prop. Paulus ad Hebr. cap. 1. ut demonstret Christum dignitate ac natura cujusvis ordinis excellere creaturas, affirmat illi soli Filii Dei nomen etiam ad exclusionem Angelorum convenire: *Ad quem autem Angelorum dixit aliquando: Sede a dextris meis?* Aitque Angelos omnes meros esse divinae voluntatis ministros: *Nonne omnes sunt administratorii Spiritus, in ministerium missi propter eos, qui haereditatem capiunt salutis?* Si omnes sunt administratorii Spiritus, ex omnibus

ergo ordinibus ad administrandum mittuntur: alioquin nullum esset Apostoli argumentum. Posset enim quis reponere Christum esse quidem superiorem Angelis et Archangelis qui sunt administratorii spiritus, non autem Thronis, Dominationibus etc. qui cum numquam mittantur, administratorii spiritus dici non possunt. Hinc plerique Patrum et Theologi nostram hanc tenent sententiam. Accedit his quod superiorum ordinum spiritus et ipsi dicuntur Angeli, nuntii videlicet ac ministri; adeoque mittuntur et ipsi ad ministrandum.

Prob. altera pars I. Scripturis. Gen. 48. v. 16. sic loquitur Jacob: *Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicet pueris istis*. Ita pariter Judith cap. 13. loquitur: *Custodivit me Angelus ejus*. Christus Matth. cap. 18. v. 10. de pusillis loquens ait: *Angeli eorum in caelis semper vident faciem Patris mei*. Et Petro demum januam pulsante, Act. cap. 12. v. 15. responderunt Fideles: *Angelus ejus est*. Haec sane demonstrant Fideles laudatis in locis commemoratos Angelum unumquemque habuisse custodem. II. Patribus. Origenes ad illa Act. verba mox recitata ita scribit: *Ergo intelligitur esse et alius Pauli Angelus, sicut est Petri, et alius alterius Apostoli, et singulorum per ordinem*. Haec habet hom. 11. in Num. Hom. autem 20. subdit: *Adest unicuique nostrum etiam minimis qui sunt in Ecclesia Dei Angelus bonus, Angelus Domini qui regat, qui moveat, qui gubernet, qui pro actibus nostris* etc. Basilius lib. 3. cont. Eun. *Quod autem*, inquit, *unicuique Fidelium adsit Angelus tamquam pedagogus aliquis et pastor vitam gubernans nemo contradicat, qui Domini verborum meminerit dicentis: Ne contemnatis unum ex his pusillis* etc. Idem apertissime docent Chrysostomus hom. 3. in ep. ad Colos. testimoniis usus Matth. 18. et Gen. 48. et Anastasius sinaita lib. 5. Exam. et S. P. Augustinus qui enarr. in psal. 62. ait: *Attendunt nos peregrinos et miserantur nos, et jussu Domini auxiliantur nobis*. Et lib. 1. de doctr. christ. cap. 30. *A quibus tanta nobis misericordiae impenduntur officia*. Et lib. de divers. quaest. 83. quaest. 67. *Quamvis enim adjuvent nos pro sua sublimitate* etc. III. Ratione. Indigent Fideles praesidio ad daemonis fraudes superandas; ut a quotidianis periculis eruantur; ut Deo preces eorum offerantur ad quae praestanda Angeli sancti valet tutela et patrocinium.

Prob. pars tertia iisdem momentis proxime allatis, quibus pauca haec addi possunt. Eccl. cap. 5. inter reliqua monita hoc praecipuum habetur: *Neque dicas coram Angelo: Non est providentia*. Qui Dei providentiam inficiatur certe Fidelis non est; et nihilominus Angelum habet tutorem. Quare Hieronymus Com. in hunc locum inquit: *Non enim in ventum dicta transeunt, sed a praesente Angelo qui unicuique adhaeret comes, statim perferuntur ad Dominum*, Imo ex Hieronymi sententia etiam illud Christi testimonium, *Angeli eorum semper vident* etc. ad omnes ac singulos pertinet homines: ait quippe in Matth. *Magna dignitas animarum, ut unaquaeque habeat ab ortu suae nativitatis in custodiam sui Angelum deputatum*. Concinit et Gregorius nyssenus qui in lib. de vita Moysis scri-

bit: *Est sermo majorum Traditione fidem sibi vindicans qui dicit ... Angelum quemdam ex iis qui naturam corporis expertem sortiti sunt, ad uniuscujusque vitae tutelam et praesidium*. Basilius hom. in psal. 48. ad illa verba: *Et dominabuntur eorum recti in matutino*, ait: *Unicuique affixus est Angelus*. Ambrosius in psal. 38. *Angelus in circuitu est hominis, qui praecedit, ne quis noceat ei*. Et Bernardus de Consid. lib. 5. cap. 4. *Putemus Angelos dici, qui singulis hominibus dati creduntur*.

Prob. pars postrema I. ex Scripturis. Daniel. cap. 10. haec occurrunt: *Princeps autem regni Persarum restitit mihi viginti, et uno diebus, et ecce Michael unus de principibus primis venit in adjutorium meum, et ego remansi ibi juxta regem Persarum*. Regna ergo Graecorum et Persarum peculiarem habebant Angelum tutelarem. Quod idem non obscure colligitur etiam ex Deut. 32. juxta Septuaginta versionem. Nam ubi nos juxta hebraicum textum legimus: *Quando dividebat Altissimus gentes: quando separabat filios Adam, constituit terminos populorum*, Septuaginta habent: *Constituit terminos populorum, juxta numerum Angelorum*. Ex quibus verbis Origenes hom. 35. in Lucam concludit: *Principibus, idest Angelis, ab exordio terram divisam fuisse*. II. ex PP. dicente Clemente alexandrino lib. 6. Strom. *Per nationes, ac civitates distributas esse Angelorum praefecturas*: et Basilio lib. 3. adver. Eun. *Singulis Fidelibus adesse comites Angelos, et Gentibus alios praeesse*: et Theodoreto Q. 3. in Gen. *Cuique genti Angelum praeesse affirmat Scriptura*. Imo S. P. Augustinus lib. de divers. quaest. 83. quaest. 79. ait: *Unaquaeque res visibilis in hoc mundo habet potestatem angelicam sibi praepositam*.

SCHOLION.

Quemlibet Fidelem Angelum sui habere custodem, tamquam rem certam tradidimus, quoniam complures Ecclesiae Patres, paucissimis contradicentibus, in illam sententiam conspirant. Alias vero thesis partes tamquam mere probabiles defendimus, quoniam Scripturae testimonia ad id comprobandum allata non satis aperta sunt; et ex sanctis Patribus non pauci, quos inter Basilius, Hilarius, Chrysostomus, Anastasius sinaita, solis Fidelibus, iisque justis tutelarem Angelum deputari affirmant.

CONCLUSIO III.

Videtur etiam Angelum malum deputari omnibus hominibus; non quidem a Deo, sed ab eorum principe Beelzebub, Deo tantum id permittente.

Prob. prior pars ex Scripturis. Petrus in I. ep. cap. 5. inquit: *Sobrii estote, et vigilate: quia adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit, quaerens quem devoret*. Paulus item in ep. ad Ephes. cap. 6. docet nobis esse pugnam *adversus principes et potestates, adversus mun-*

di rectores tenebrarum harum, *contra spiritualia nequitiae*, *in caelestibus*. II. ex Patribus. Origenes hom. 32. in Luc. *Quod si cui displicet*, *transeat ad volumen*, *quod titulo Pastoris scribitur*, *et inveniet cunctis hominibus duos adesse Angelos; malum qui ad perversa exhortatur*, *et bonum qui ad optima quaeque persuadet*. Gregorius nyssenus lib. 7. de vita Moysis: *Est sermo ex Majorum traditione sibi fidem vindicans ... Deum hunc lapsum nostrum providentia sua minime destituisse; sed Angelum adhibuisse ad uniuscujusque vitae tutelam ac praesidium. At ex adverso naturae corruptorem pari machinatione contra niti*, *et pravo quodam ac malefico adjuncto daemone*, *humanae vitae perniciem afferre*. Auctor Operis imperf. in Matth. hom. 5. *Duo sunt*, inquit, *Angeli permanentes cum hominibus*; *scilicet bonus*, *et malus*. Ceteros priscos Scriptores vide ap. Petavium et Berti.

Prob. pars altera. Ideo pravus Angelus comitem se homini praebet ut ad malum illum inducat atque pelliciat. Ast Princeps quidem daemoniorum, non vero Deus, potest Angelum malum eo fine in hominum comitem deputare. *Nam Deus intentator malorum est*: *ipse autem neminem tentat*. Et e contra si malum Angelum homini assignaret, ipse caussa esset efficiens et auctor peccati, quod impium est cogitare.

Contraria nonnulla argumenta solvuntur.

Obj. 1. cont. 1. thes. Gregorius nazianzenus or. 34. enumerat dumtaxat Angelos Archangelos Thronos Dominationes Principatus et Potestates. Hieronymus in lib. 2. cont. Jovin. septem tantum recenset Angelorum ordines. Sunt et alii Patres qui enumerant pauciores, inter quos Augustinus lib. ad Oros. cap. 11. dicens: *Esse itaque Sedes*, (hoc est Thronos) *Dominationes*, *Principatus*, *Potestates in caelestibus apparatibus*, *firmissime credo*, *et differre inter se aliquid*, *indubitata fide teneo*.

Resp. laudatos in argumento Patres alios a nobis connumeratos Angelorum ordines non excludere; quum mens illorum allatis in locis non esset Angelorum ordinum numerum recensere. Deinde Gregorius nyssenus post recitata in argumento Angelorum nomina, commemorat etiam *Splendores*, *Ascensiones*, *Intelligentias*, quibus si sex supra recensiti Angelorum accedant ordines, erunt numero novem. S. Hieronymus multis in locis, et in psal. praecipue 23. *vocat novem virtutes caelorum*. S. P. Augustinus ad Orosium scribens fatetur se nescire non numerum ordinum Angelorum, sed illorum essentias ac differentias; subdit enim: *Sed quo me contemnas*, *quem magnum putas esse doctorem*, *quaenam ista sint*, *et quid inter se differant nescio*. *Nec ea sane ignorantia periclitari me puto* etc.

Obj. 2. Gregorius M. lib. 17. Moral. cap. 9. aperte negat Angelos ex omnibus ordinibus mitti.

Resp. Gregorium de hac re dubitasse. Nam laudato quidem in argumento loco negare videtur missionem ex singulis Angelorum ordinibus: alibi autem, et hom. praesertim 34. inquit: *Sed quia in quibusdam Scriptu-*

rae locis quaedam per Cherubim , quaedam vero per Seraphim agi didicimus , utrum per se haec faciant an per subjecta agmina agantur , quae sicut dicitur , in eo quod a majoribus veniunt a majoribus vocabula sortiuntur , nos affirmare nolumus quod apertis testimoniis non approbamus. Ceterum complures alii Patres quorum testimonia collecta vide apud Petavium luculentissime tradunt etiam Cherubim et Seraphim et Thronos ad homines mitti .

Obj. 3. Si aliquis locus esset quo demonstrari posset cuilibet Fideli deputari a Deo Angelum bonum maxime essent verba illa psalmi : *Angelis suis Deus mandavit de te , ut custodiant te in omnibus viis tuis . In manibus portabunt te* etc. Quum autem pauci sint Fideles qui enumeratos in psalmo effectus experiantur, sequitur non fieri ibi de Angelis tutelaribus sermonem . II. Apostolus ad Hebr. cap. 1. testatur Angelos Dei esse ministros propter electos . Quare praedestinatis, ad summum, non singulis Fidelibus, multominus omnibus indiscriminatim hominibus assignat Deus custodem Angelum . III. Nullo demum Veterum idoneo testimonio communis Theologorum propugnari potest sententia . Nam liber Pastoris et epistola Barnabae , ad quae sententiae hujus patroni solent provocare, neque apostolica scripta sunt , neque ullius auctoritatis . Laudari pro hac opinione solent Origenes quoque et Cassianus . Sed Origenis fides hisce in rebus quam suspecta sit nemo unus ignorat . Cassianus autem acriter ea de caussa redargutus fuit a Prospero in libro adv. Coll. cap. 30. Amandemus ergo sententiam de Angelo malo cuique homini deputato ad fabulas ethnicorum a quibus ortum duxisse videtur ; quum et ipsi duplicem agnoscant cuique homini assignatum Genium, bonum unum , alterum autem malum .

Resp. ad 1. Recitata psalmi verba revera demonstrant peculiarem quamdam Angelorum tutelam pro electis : sed non excludunt proinde custodiam Angelorum pro reliquis hominibus etiam reprobis .

Ad 2. Vera est Apostoli sententia etiamsi custos Angelus omnibus ac singulis hominibus a Deo deputetur : reprobis siquidem assignatur Angelus non propter seipsos , sed propter electos ; juxta illud ejusdem Pauli : *Omnia operatur Deus propter electos* .

Ad 3. Non Pastoris ac Barnabae tantum , sed Petri et Pauli nititur auctoritati nostra sententia de Angelo nequam singulis hominibus a Principe tenebrarum deputato . Ex quo autem liber Pastoris et epistola Barnabae volumina sint apocrypha , sequitur dumtaxat non promereri fidem quae divinis Scripturis debetur : sed non propterea scriptis illis omnis penitus fides deneganda est . Sunt quippe antiquissima, opinionemque exhibere videntur Christianorum illorum temporum quibus Auctores floruérunt . Quoad Patres, non Origenem modo et Cassianum, sed et Gregorium nyssenum citavimus qui a Traditione se accepisse affirmat cuique nostrum assignatum esse Angelum malum . Quamquam ad opinionem firmandam nostram Origenis et Cassiani testimonia satis essent . Nam Origenem hac de caussa a nullo redargutum esse legimus . Cassianus autem a S. Prospero refellitur in eo quod nimis liberum extollat arbitrium . Ait enim Collator 8. *Adjace-*

re autem homini in qualibet parte arbitrii libertatem, etiam liber ille qui dicitur Pastoris, apertissime docet, in quo duo Angeli unicuique nostrum adhaerere dicuntur: idest bonus et malus. In hominis vero optione consistere, ut eligat quem sequatur. Et idcirco manet in homine liberum semper arbitrium, quod gratiam Dei possit vel negligere vel amare. Quae verba in ore Semipelagiani, ut Cassianus erat, nimis suspecta sunt. Non est ergo sententia nostra adeo patrocinio destituta ut ethnicorum surculus dicenda sit. Imo ethnici a Christianis, non hi ab illis accepisse videntur. In eo autem reprehensibiles sunt gentiles quod christianam de duobus Angelis veritatem deturpantes docuerint praeesse illos gignendis rebus, esse totidem deos, Altissimi consiliarios, et homines mali Genii consilia necessario sequi. Ceterum his demptis nihil est quod in ethnicorum sententia reprehendas. Et sicuti non errant quod unicuique homini Angelum bonum, ita nec eos errare puto quod Angelum malum unicuique assignent; dummodo illum a Deo, hunc a principe daemoniorum deputatum fateantur. Sed de Angelis dictum satis.

Finis Libri XIX.

INSTITUTIONUM THEOLOGICARUM

LIBER XX.

DE DEO HUJUS UNIVERSITATIS CREATORE.

Triplex esse creatorum entium genus nemo plane est qui in dubium revocare audeat, quamvis in singulorum assignanda natura non omnes conveniant. Consentiunt tamen communiter Theologi alia entis esse mere spiritualia ut Angeli; alia mere corporea ut aspectabile hoc Universum; et alia denique ex spiritu et corpore mixta, uti sunt homines. Et quoniam de Deo Angelorum creatore in superiore libro satis disputavimus, de Deo autem conditore hominum agemus libro sequente, nunc tantum de Deo creatore hujus mundi visibilis disseremus. Mosaicam cosmogoniam, unde Hebraei simul et Christiani veram de ejusdem mundi origine ideam hauserunt, in opusculis de locis theologicis ubi sermo occurrit de divinitate ac veritate sacrarum Scripturarum, nedum propugnavimus contra neotericos Biblicos, sed et adversus nonnullos recentiores Physicos Geologos Astronomos Criticos. Ibi quoque conditarum rerum epocham humani praesertim generis prout a Moyse statuitur, ab Incredulorum dicteriis et calumniis vindicavimus. Restat proinde, aliis omissis quaestionibus, puta, utrum mundus aut quaelibet alia creatura produci a Deo potuerit ab aeterno; sint ne plures mundi possibiles; et similia quae certo ex ipso Philosophiae limine Tyronibus supponimus manifestissima, restat, inquam, ut illud inquiramus quod agitari magna contentione solet in Scholis an Deus nempe quaecumque creavit, omnia simul, an vero sex dierum naturalium spatio condiderit. Velitatio haec argumentum praesenti opusculo suppeditabit.

CAPUT I.

An Deus omnia simul creaverit quaecumque creavit.

Plerique Patrum, Interpretum, et Theologorum absque ulla haesitatione definiunt aspectabile hoc Universum productum a Deo fuisse totidem naturalibus diebus quot a Moyse in cap. 1. Gen. enumerantur, autumantes sex illos dies a sacro Auctore recensitos spatio constare viginti quatuor horarum. Ast M. Augustinus qui diu multumque in libri Geneseos expositione insudavit, absolute pronuntiat omnia a Deo simul fuisse creata sex illos mosaicos dies interpretatus de sex Angelorum cognitionibus, eo quo in subsequentibus explicabimus modo. Augustini de simultanea rerum creatione sententiam amplectuntur non pauci quorum nomina suo loco recitabimus. Ex illis vero qui ab Augustino hac in caussa recedunt, nemo est qui illius acumen ingenii admiratus debita cum reverentia de tanto Doctore non loquatur, si eos excipiamus qui veriti non sunt affirmare Augustinianam sententiam erroneam esse, et cum mosaico textu

aperte pugnare. Nostrum ergo erit hoc in capite sanctissimi Praeceptoris honorem vindicare: atque idcirco ostendemus sententiam de simultanea creatione esse oppositae opinioni anteponendam.

Sed antequam opus aggrediamur, non abs re erit animadvertere duplicis esse generis juxta Augustini doctrinam hujus Universi partes. Aliae nempe dici possunt praecipuae, ut Caelum Terra Lux Firmamentum Sol Luna etc. aliae autem minus praecipuae quae sunt veluti ornamentum quoddam hujus rerum Universitatis, ut herba lignum natatilia reptilia animalia quaeque, et homo quoad corpus. Primi ordinis res eduxit Deus ex nihilo, unde inquit de iis Scriptura: *Fiat lux. Fiat firmamentum. Fiant luminaria in firmamento* etc. Res autem alterius ordinis fecit supremus Opifex ex prajacente materia: atque idcirco de illis dicitur: *Germinet terra. Producant aquae. Producat terra* etc. Contendit ergo S. Pater utriusque generis opera fecisse Deum sex illis invisibilibus indivisibilibusque diebus quorum meminit Moyses; cum hoc tamen discrimine, quod res e nihilo eductae, ut Caelum Terra etc. illico formatae fuerint in propria natura; res vero formatae ex praejacente materia ut herba lignum etc. productae fuerint initio seminaliter seu in potentia materiae, subinde autem, nimirum extra sex illos invisibiles dies ac temporis progressu, fuerint in propriis speciebus atque naturis constitutae. En Augustini verba lib. 5. de Gen. ad litt. cap. 4. *Caussaliter ergo tunc dictum est produxisse terram herbam et lignum, idest producendi accepisse virtutem. In ea quippe jam tamquam in radicibus, ut ita dixerim, temporum facta erant, quae per tempora futura erant. Nam utique postea plantavit Deus paradisum juxta Orientem, et ejecit ibi de terra omne lignum speciosum ad aspectum et bonum ad escam.* Plura ejusmodi habet per integrum librum quem consulas. Cum ergo dicimus Deum omnia simul creasse, tum de praecipuis tum de minus praecipuis loquimur Universi partibus, atque contendimus res prioris generis in propria specie; alterius vero seminaliter unico instanti fuisse conditas. His positis sit

CONCLUSIO.

Augustiniana de simultanea rerum omnium creatione sententia oppositae opinioni jure anteponenda est.

Prob. 1. Ea sententia oppositae opinioni praeferenda est, pro qua stant apertissima Scripturae testimonia. Ejusmodi autem est Augustiniana de rerum omnium simultanea creatione. Nam Eccli. cap. 18. v. 1. legitur: *Qui vivit in aeternum, creavit omnia simul.* Qui Scripturae textus eo majorem habet vim quod ibi sacer Auctor Dei potentiam extollere sibi proponat; subdit enim v. 3. *Quis sufficiet enarrare opera illius?* Magis autem in rerum creatione simultanea, quam in ea quae temporis successione fit, Dei potentia relucet, ut per se manifestum est.

Multa adversae sententiae patroni ad hoc argumentum respondent. Et

I. inquiunt cum M. Gregorio lib. 32. Mor. cap. 9. *Quod rerum substantia simul creata est, sed simul species formata non est: et quod simul extitit per substantiam, non simul apparuit per speciem formae*. II. Alii dicunt cum Ruperto Com. in Gen. lib. 2. cap. 18. *Qui vivit in aeternum, creavit omnia simul, ut subaudiamus: antequam faceret ... omnia simul in sua sapientia*. III. Respondet Petavius in allato Ecclesiastici loco τὸ *simul*, quum in graeco habeatur, ἔκτισε τὰ πάντα κοινῇ, significare, *universaliter*, *communiter*, ut sensus sit Deum omnia pariter creasse, nihilque esse quod a Deo creatum non sit.

Verum nihil hisce subtilitatibus proficiunt. Et quoad 1. S. Gregorii verba Augustiniano systemati mirifice patrocinantur; praesertim cum immediate sequatur dicens: *Cum enim simul factum caelum terraque describitur; simul spiritualia atque corporalia; simulque quidquid de caelo oritur, simul factum quidquid de terra producitur, indicatur*. Neque enim aliud asseruit Augustinus quam praecipuas mundi partes secundum proprias species simul creata fuisse, cetera vero seminaliter et in potentia materiae, ut satis luculenter indicant verba Gregorii. Ingenue tamen fatendum est utriusque sententiam Patris in aliquo differre, nimirum in hoc quod S. P. Augustinus arbitretur herbam lignum animalia etc. producta fuisse in propriis speciebus ac formis post sex illos invisibiles dies; M. autem Gregorius putet omnia quidem seminaliter condita simul fuisse in instanti: sed intra sex illos mosaicos dies quos naturales existimat, constituta fuisse in propria natura.

Ad 2. Ruperti expositio admitti non potest. Textus namque Eccli. Moysis narrationi correspondet de rerum creatione. Porro Moyses de creatione rerum in re, non in Sapientia Dei non in Verbo loquitur. Imo res in Sapientia dici non possunt creatae, quum antequam a nihilo educantur dici potius debeant cum Verbo ipso congenitae, juxta illud Johan. cap. 1. *Quod factum est in ipso vita erat*. Allatam Ruperti interpretationem rejecerat jam S. Pater explicans illa verba: *Cum factus est dies, fecit Deus caelum et terram, et omne viride agri, antequam esset super terram*; in quae ita scribit: *Sed si hoc modo* (scilicet in Verbo) *facta sunt, non cum factus est dies, sed antequam fieret dies, facta sunt ... Si ergo cum factus est dies, non utique antequam fieret dies: ac per hoc non in Verbo, quod Patri coaeternum est antequam dies, antequam omnino aliquid fieret*.

Ad 3. Hac etiam exceptione parum proficiunt adversarii 1. quoniam etsi penes Graecos vox κοινῇ significet crebro, *communiter*, *in commune*, significat tamen non raro etiam, *simul*. 2. Quoniam sacer Auctor rerum creatarum universitatem jam satis exprimit per τὰ πάντα, *omnia*; nec propterea necesse erat ut idipsum repeteret, κοινῇ. 3. Quia interpretationi nostrae magis favet contextus. Ibi siquidem Auctor infirmitatem nostram cum Dei comparat omnipotentia dicens hoc homines inter ac Deum interesse discriminis: quod homo omnia perficere simul nequeat, sed uno expleto obstupescat quod aliud adhuc perficiendum sit; *cum consumaverit*

homo , tunc incipiet : et cum quieverit , operabitur . Ast Deus non ita , quia *creavit omnia simul* . Verum allata ab Ecclesiastico antithesis non consisteret , si τὸ κοινῇ in sensu accipiendum esset adversariorum. Sed reliqua afferamus argumenta .

Prob. 2. In cap. 2. Gen. recapitulando Moyses quae de rerum creatione sex dierum spatio peracta narraverat inquit : *Istae sunt generationes caeli , et terrae , quando creata sunt in die , quo fecit Dominus caelum et terram : et omne virgultum agri antequam oriretur in terra , omnemque herbam regionis antequam germinaret* . In memoriam autem revocandum est Moysem in cap. 1. Gen. in describendis tertiae diei operibus ita dixisse : *Et ait : Germinet terra herbam virentem , et facientem semen , et lignum pomiferum faciens fructum juxta genus suum ... Et factum est ita ... Et factum est vespere , et mane , dies tertius* . Rursus caelum et terram creata fuisse affirmat Moyses , ut ibidem legitur , prima die . Quare caelum terram herbam regionis et virgultum agri quae cap. 1. diversis diebus producta fuisse narraverat Moyses , nunc illa ipsa uno eodemque die cap. 2. condita fuisse affirmat , *in die etc.* Omnes ergo illi dies ad unum ac eumdem naturalem diem spectant . Aut igitur antilogiae arguendus est sacer Auctor , quod repugnat ; aut diversimode accipi debent dies in capite primo ac in capite secundo . Atque ita sex illi dies erunt indivisibiles ; hic autem viginti quatuor horarum spatio constans . Sed rem clarius explicat S. P. Augustinus lib. 5. de Gen. ad litt. cap. 1. *Nunc autem firmior sit illa sententia , qua intelligitur unum diem fecisse Deum, unde jam illi sex vel septem dies uuius hujus repetitione numerari potuerint : quandoquidem apertius S. Scriptura jam dicit , concludens quodam modo cuncta quae ab initio usque ad hunc locum dixerat , atque infert : Hic est liber creaturae vel* facturae *caeli et terrae , cum factus est dies* etc. Vim argumentum acquirit ex Septuaginta interpretum versione ubi ita legitur : *Hic est liber generationis caeli et terrae , cum facta sunt, qua die fecit Dominus caelum et terram , et omne viride* . Et ex Ambrosio qui lib. 7. in Luc. cap. 15. sic locum eumdem recitat : *Hic dies generationis caeli et terrae cum facta sunt , qua die fecit Dominus caelum et terram , et omne viride* .

Sed non acquiescunt contrariae sententiae assertores , et ajunt : Verba illa , *In die* , cap. 2. Gen. non unum numero significant diem qui in orbem redierit , sed idem denotant ac , *In tempore* . Hebraica namque phrasis est *diem* ponere in singulari numero ad plurium dierum significandam complexionem .

Non diffitemur hebraicae linguae phrasim esse ut dies in numero singulari ponatur ad plurium dierum complexionem denotandam; contendimus tamen in cap. 2. Gen. τὸ *diem* , unicum significare diem . Sciendum quippe est Hebraeos in eorum eloquio vocabulum , יום *diem* , usurpare aliquando ad diem verum et naturalem denotandum , aliquando ad significandum annum , et aliquando ad tempus indeterminatum innuendum . Quando vox illa significat indeterminatum tempus , ponitur numero plurali . Si assuma-

tur ad significandum annum repetitur sine additione numeralis vocis, hoc modo, ימים. Cum vero sumitur pro unico vero naturalique die, tunc usurpatur in numero singulari ita, יום. Porro in textu a nobis ex cap. 2. Gen. excerpto, hoc postremo modo expressum reperitur: atque idcirco non indeterminatum tempus, non annum, sed singularem diem significat.

Prob. 3. In cap. 1. Gen. enarrans Moyses creationem solis et lunae inquit: *Dixit autem Deus: Fiant luminaria in firmamento caeli, et dividant diem, ac noctem, et sint in signa, et tempora, et dies, et annos: ut luceant in firmamento*. Absque sole, nec dies haberi potest nec tempus nec annus; ait quippe Moyses hac de caussa summum Opificem condidisse solem, ut diem ac noctem divideret et esset in signum diei, temporis, anni. Sol porro creatus ibidem dicitur quarta die. Qua de re quartus a Moyse commemoratus dies primus erat creationis. Hoc autem neque ab adversariis admitti potest: adeoque sol productus fuit prima die naturali; sex vero illi mosaici dies naturales non fuerunt.

Respondent adversarii cum Basilio prima die naturali conditam fuisse lucem quae non per motum, sed per emissionem et contractionem tres priores distinxit dies; die autem quarta compactum ex eadem luce fuisse solis corpus, tamquam illius primigeniae lucis vehiculum, et cetera astra. Ita scribit laudatus Pater hom. 6. in Gen. *Primo die ipsa natura lucis producta est, quarto autem die solis corpus, ut esset illi primogenitae luci vehiculum, est conditum*.

Verum quae hic docet Basilius, salva tanti Patris auctoritate, non satis percipi possunt. 1. Quomodo stare potest primo die conditam fuisse lucem, quarto autem solem? Vel enim lux illa spiritalis erat vel materialis. Si spiritalis: lux itaque illa angelica potius fuit substantia, ut nostra fert sententia; aut certe sol, utpote materialis et corporeus et in haec inferiora quae et ipsa corporea sunt agens, lucis hujus vehiculum esse non potuit, ut Basilius affirmat. Si materialis, rursus vel substantia aliqua erat vel mera qualitas. Si substantia, quo deinceps abiit illa lux? Numquid in nihilum redacta? Repugnat id Deo qui nihil odit eorum quae fecit? Si vero mera erat qualitas et lucidarum particularum effluvium, uti revera esse debuisset si lux illa fuisset materialis, dicente S. Thoma 1. p. q. 67. ar. 3. in Corp. *Sicut caelo est qualitas activa consequens formam substantialem ignis; ita lux est qualitas activa consequens formam substantialem solis, vel cujuscumque alterius corporis a se lucentis, si aliquod aliud est*: si erat, inquam, mera qualitas subiecto, nempe soli qui corpus lucidum est, inhaerere debebat. Neque enim dici potest ex illa conflatum esse solem. Nam si id esset, sequeretur solem non ex nihilo, sed ex praejacente materia fuisse compactum: quod est contra litteram textus usurpantis verbum, *Fiat*, quod veram denotat creationem ex nihilo. *Fiant luminaria in firmamento*. Atque ita sol non quarta, sed prima naturali conditus fuit die. 2. Neque percipere facile queo quonam pacto primogenita illa lux tres priores dies formaverit non per motum, sed per radiorum emissionem et contractionem. Nam primo, si lux illa emittebat radios: erat

ergo corpus quoddam lucidum, adeoque sol. *Deinde nulla ratio est*, inquit ex Augustino Doctor angelicus laudato proxime loco ar. 4. ad 2. *Hujus vicissitudinis emittendi et retrahendi lumen, cum homines et animalia non essent quorum usibus hoc deserviret. Et praeterea hoc non habet natura corporis lucidi ut retrahat lumen in sui praesentia, sed miraculose hoc potest fieri*. In prima autem rerum institutione, inquit S. P. Augustinus lib. 2. de Gen. ad litt. cap. 1. *Quemadmodum Deus instituerit naturas rerum, secundum Scripturas ejus nos convenit quaerere; non quid in eis, vel ex eis ad miraculum potentiae suae velit operari*. 3. Quod autem ante solis creationem non fuerint dies noctesque distinctae manifestum est ex eo, quod cum Scriptura inquit, *Fiat firmamentum, et dividat aquas ab aquis*, intelligitur ante creationem Firmamenti aquas ab aquis non fuisse divisas. Eodem autem modo Scriptura loquitur de formatione solis: *Fiant luminaria in firmamento, et dividant diem, ac noctem*: quare antequam sol produceretur, dies non dividebatur a nocte. E contra statim ac condidit Deus caelum terram lucem etc. illico dies tempus et annus incoepit: unde Deus solem creavit prima die; atque adeo primus et quartus dies unus idemque sunt.

CAPUT II.

Praecipuae adversariorum difficultates enodantur.

Obj. 1. Gen. cap. 2. ita legitur: *Igitur perfecti sunt caeli, et terra, et omnis ornatus eorum. Complevitque Deus die septimo opus suum quod fecerat: et requievit die septimo ab universo opere quod patrarat*. Ex quibus duo eruunt adversarii argumenta. I. Juxta Augustini sententiam, quod Moyses narrat Deum sex dierum spatio fecisse, factum est illico et in instanti. Ast narrat Moyses Deum sex dierum spatio fecisse perfecisse atque complevisse omnia et singula, non modo quae ex nihilo, sed illa etiam quae educta sunt de potentia materiae: quod est contra statutum hactenus systema. II. Admissa semel simultanea rerum creatione, dicendum est ea quae ad ornatum pertinent, ut herba lignum pisces etc. non esse opus Dei. Nam dicit Moyses Deum opus suum complevisse, et septimo die requievisse ab omni opere. Id autem dicere absurdissimum est: siquidem illa etiam quae ex praejacente facta sunt materia, opera Dei sunt: dicente vel ipso Augustino lib. 5. de Gen. ad litt. cap. 11. *Quis enim operatur ista nisi Deus, etiam sine ullo tali suo motu?* Dicendum itaque erit singula fuisse a Deo perfecta singulis diebus ut in cap. 1. Gen. narratur. III. Neque reponere juvat Deum intra sex illos dies complevisse etiam ea quae spectant ad ornatum, seminaliter dumtaxat ac potentialiter. Nam constituta a Deo videntur fuisse etiam quae spectant ad ornatum, in propria specie ante septimum diem. Quod ex mosaica descriptione operum tertiae diei manifestissime apparet; inquit enim: *Et ait* (Deus): *Germinet terra herbam virentem, etc. Et factum est ita*. Et iterum: *Et protulit terra*

herbam virentem , et facientem semen juxta genus suum , lignumque faciens fructum etc. Ast herba faciens semen , et lignum fructum producens nonne opera sunt in propria specie constituta ? IV. Neque explicari ea verba possunt de productione rerum in semine ; quoniam sacer textus inquit : *Protulit terra herbam virentem , et facientem semen* . Unde semen productum est ab herba , et haec in propria specie producta fuit a Deo , et tertia quidem creationis die . V. Qua de re nequit id in Augustiniano systemate explicari nisi recursus habeatur ad miraculum . Ast in prima naturalium rerum institutione non sunt quaerenda miracula , ut Augustinus ipse docet in 2. de Gen. ad litt. cap. 1.

Resp. ad 1. Moyses narrat Deum sex dierum spatio complevisse omnia : sed in genere suo , nimirum potentialiter seminaliter caussaliter , non in propriis speciebus et naturis . Ornatus sane nomine veniunt etiam illa quae educta sunt de potentia materiae , si de terrae ornatu loquamur . Nam ornatus caeli sunt omnia ac singula astra quae ex praejacente materia facta certe non sunt . Verum illa quoque quae ex praejacente materia eduxit Deus , perfecta sunt juxta Augustini mentem sex illis mosaicis diebus , in unico videlicet instanti : sed in suo genere , quomodo perfici et compleri exigebant , hoc est seminaliter et in potentia materiae . Hinc consulto , ni fallor , inquit sacer Auctor complevisse Deum die septimo non omnia omnino opera , sed *opus suum quod fecerat* : et requievisse subinde non ab universo opere absolute , sed ab *universo opere quod patrarat* ; quasi insinuare vellet sex dierum spatio , scilicet in instanti condidisse Deum quae opus sunt creationis , non quae ad opus propagationis atque administrationis Universi spectant nisi in rationibus seminalibus . Quomodo autem id a Deo factum sit , elegantissime describit S. Pater lib. 5. de Gen. ad litt. cap. 23. his plane verbis : *Consideramus ergo cujuslibet arboris pulcritudinem in robore , ramis , frondibus , pomis : haec species non utique repente tanta ac talis est exorta , sed quo etiam ordine novimus . Surrexit enim a radice , quam terrae primum germen infixit ; atque inde omnia illa formata et distincta creverunt . Porro illud germen ex semine : in semine ergo illa omnia fuerunt primitus , non mole corporeae magnitudinis , sed vi potentiaque caussali* . Et infra : *Sicut autem in ipso grano invisibiliter erant omnia simul , quae per tempora in arborem surgerent : ita ipse mundus cogitandus est , cum Deus simul omnia creavit , habuisse simul omnia quae in illo et cum illo facta sunt , quando factus est dies; non solum caelum cum sole et luna et sideribus , quorum species manet motu rotabili , et terram et abyssos , quae velut inconstantes motus patiuntur , atque inferius adjuncta partem alteram mundo conferunt ; sed etiam illa quae aqua et terra produxit potentialiter atque caussaliter , priusquam per temporum moras ita exorirentur , quomodo nobis jam nota sunt in eis operibus , quae Deus usque nunc operatur* . Hac rerum idearumque posita distinctione cetera quae sequuntur nullam habent difficultatem .

Ad 2. Quamvis herba lignum aves pisces etc. non sint Dei opus

ut caelum sol astra terra, quoniam haec ex nihilo, illa ex praejacente sunt educta materia; non proinde ex nostra sententia sequitur non esse revera Dei opus. Omnia, inquit Augustinus in testimonio paullo ante allato, opus Dei sunt. Sed diversimode. Alia sunt opus Dei res educentis ex nihilo, et alia caussalitatem et seminalem virtutem impertientis. Cum autem inquit Moyses requievisse Deum die septimo ab opere quod compleverat atque patraverat, idem est ac si dixisset, destitisse educere res ex nihilo, et terrae impertiri virtutem seminalem: alioquin modo non operaretur, falsumque esset quod ajebat Christus: *Pater meus usque modo operatur, et ego operor*.

Ad 3. Laudata in argumento verba significant existentiam et productionem herbae virentis lignique facientis fructum, non actualem sed seminalem atque potentialem. Neque enim actualem necessario denotant existentiam; quum paullo post eadem utatur phrasi Moyses de rebus loquens actu non existentibus; inquit enim: *Masculum et foeminam creavit eos. Benedixitque illis Deus, et ait: Crescite et multiplicamini ... dominamini etc. Et factum est ita*. Et nihilominus Heva saltem adhuc formata non erat. Quo sensu ergo ait hoc loco Moyses: *Et factum est ita*? Profecto per anticipatam loquutionem: dicente M. Gregorio post Augustinum lib. 32. Mor. cap. 9. *Necdum Heva facta describitur, et jam homo masculus et foemina perhibetur: sed quia ex costa Adae proculdubio erat processura, in illo jam computatur per substantiam, ex quo erat producenda per formam*. Similiter dum sacer Auctor ait: *Germinet terra etc. Et factum est ita*, loquitur per anticipatam quamdam dicendi formam Moysi familiarem. Eodem modo et altera phrasis, *Protulit terra herbam virentem* etc. accipienda est, nimirum: accipiat producendi virtutem, ut Augustinus explicat; praesertim cum cap. 2. dicat Moyses factum esse *omne virgultum, antequam oriretur in terra, omnemque herbam regionis priusquam germinaret*. Quomodo nisi seminaliter?

Ad 4. Non absimili modo quartum solvendum est argumentum. Mosaica videlicet sententia hunc habet sensum: quod dum in instanti mundum condidit Deus, terrae virtutem largitus est activam et passivam, ut S. Thomas inquit, producendi herbam facientem ad sui propagandam speciem, semen; ita ut seminalis virtus primitus fuerit in terra, deinde vero in herbis ipsis.

Ad 5. Neque in hoc miraculum intercessit, quoniam licet communis generatio, v. g. tritici ex ipsius tritici fieri debeat semine; quum tamen primum a Deo productum fuit, de ordinaria lege in creatione mundi sibi constituta placuit ei terrae seminalem impertiri virtutem producendi pro prima vice triticum; alioquin dicendum foret miraculum intercessisse, in sensu adversariorum, etiam in productione Adami qui non per virile semen, sed ex limo illum Deus formaverit.

Obj. 2. Homo certe conditus a Deo fuit absolute in sexta die naturali, nec ullo modo in operibus continebatur quae seminaliter praecesserant. Nam etsi dici in Augustiniana sententia possit Adamum productum fuisse

prima die seminaliter ratione corporis, idipsum tamen dici de Adamo nequit ratione animae quae ad imaginem et similitudinem Dei facta est, tum cum *inspiravit in faciem ejus spiraculum vitae*: quod non ea die quando caelum et terra creata sunt accidit, quum sit mere spiritalis; neque in Scriptura dicitur creatam fuisse una cum aliis spiritalibus substantiis.

Resp. Si Adae anima in se et absolute consideretur, dici sane nequit praeextitisse in potentia materiae; non sic autem si spectetur prout est pars totius Adami. Hoc argumentum difficile visum est S. P. Augustino, et quatuor modis in lib. 7. de Gen. ad litt. ab ipso solvitur, quamvis nullam ab eo traditam responsionem tamquam certam admittat; unde iis absolutis concludit: *Nunc tamen de anima, quam Deus inspiravit homini, sufflando in ejus faciem, nihil confirmo*. Recenseamus brevissime quatuor illas ab Augustino traditas solutiones. 1. Itaque quaerit utrum anima antequam ea ipsa natura fieret, quae anima dicitur, aliquam materiam pro suo genere spiritalem haberet, quae nondum esset anima; sicut terra de qua caro facta est, jam erat aliquid, quamvis non erat caro. Quam hypothesim omnino respuit, utpote ex qua plura videantur consequi absurda; praesertim, substantiam incorpoream quidem, sed non habentem vitam, materiam fuisse vitae futurae; fuisse vel beatam vel miseram, cum nondum esset rationalis; et animam irrationalem materiam fuisse quodammodo de qua fieret anima rationalis. *Quod neminem*, inquit, *umquam scio ausum esse sentire, nisi qui et ipsam animam nonnisi in genere alicujus corporis ponit*. Pergit 2. quaerere utrum ratio illa animae humanae esset in aliqua creatura spiritali jam vivente, quae veluti parens instituta esset, in qua esset ratio futurae animae quae non inde existeret, nisi cum eam Deus homini inspirandam faceret. Cui quaestioni respondet: *Nescio quemadmodum possit intelligi ad hoc tantum creatam; nescio quam creaturam spiritalem, quae in Dei conditionibus per illos sex dies factis non commemoraretur ... Magis enim debuit ipsa commemorari, quae sic consummata erat, ut non adhuc esset secundum suae caussae praecedentem rationem facienda*. Quaerit 3. an illa caussalis ratio animae fuerit inserta in angelica natura: sed et ipsam hypothesim refellit, utpote ex qua sequeretur *animam Angeli aut Angelorum filiam* esse dicendam. 4. Denique quaerit an anima creata sit prius quam corpori inserta: quam opinionem tolerabiliorem appellat. Sed et illam reprobare in sequentibus videtur dicens: *Quid ergo fuit caussae, ut anima innocenter vivens insereretur vitae hujus carnis, in qua peccando, ipsum qui eam creavit offenderet; unde eam merito sequeretur laboris aerumna damnationisque cruciatus?*

Quoniam ergo S. Pater cuique facultatem facit meliorem ad haec concilianda inveniendi viam, dummodo nulla *Scripturarum auctoritas seu veritatis ratio contradicat*, et aliunde propendere in affirmantem videtur sententiam quod Adae anima tum primum creata fuerit quando formatum est corpus, ut de civ. Dei lib. 12. cap. 23. videre est; ego Augustini innixus principiis dico animam Adae non in se et absolute consideratam, sed quatenus pars est totius hominis seminaliter praecessisse corporis for-

mationem. Et sane: *Omnium quippe rerum quae corporaliter visibiliterque nascuntur occulta quaedam semina in istis corporeis mundi hujus elementis latent*, inquit S. Doctor lib. 3. de Trinit. cap. 8. Porro Adam quamquam anima constaret spirituali, corporaliter tamen visibiliterque apparuit. Deinde tametsi homo intellectuali anima constet quae non potest nisi a Deo produci, id nihilominus non obstat quin homo alium vere producat hominem; quum ipse active concurrat et materiam ita disponat, ut posita Dei lege corpus necessario animae, tamquam substantiali formae uniatur. Sicut ergo unus homo seminaliter in alio continetur, etsi anima non sit ab homine; ita Adam antequam formaretur seminaliter continebatur in mundi elementis, licet illius anima opus sit merae creationis. Praeterea duplici modo considerari potest anima, et quatenus spiritualis quaedam substantia est, et quatenus est regendo corpori accomodata. Posterior haec notio est vere animae propria, quum per hoc ab Angelorum substantia discrepet, quae et ipsa intellectualis est ac spiritualis. Verum spectata anima prout est regendo corpori accomodata, ad genus animalium iu suo sensu pertinet, docente S. Thoma 1. p. q. 90. ar. 4. in corp. *Anima si per se speciem haberet, magis conveniret cum Angelis. Sed in quantum est forma corporis, pertinet ad genus animalium ut formale principium*. Jam vero nonne animalium omnium genus in operibus sex dierum seminaliter praecontinebatur? Quare continebatur ibi corpus, cujus substantialis forma est anima. Demum responderi etiam potest, in opere sex dierum praecessisse seminaliter omnia quae in rationibus latère poterant seminalibus. Non poterant autem animae sive Adami sive ceterorum hominum ibi contineri. Quod si allatae hactenus solutiones alicui plane non arrideant, sequatur illam S. Thomae dicentis, *Praecessisse animam secundum aliquam similitudinem generis, prout convenit cum Angelis in intellectuali natura*, ut supra adnotavimus. Neque enim necesse est ut singula eodem penitus modo in rationibus praecesserint seminalibus: sed corporalia corporaliter; spiritualia vero suo peculiari modo, scilicet spiritaliter. Atque haec ad difficile argumentum.

Obj. 3. In Augustiniana sententia sequitur lucem et tenebras, diem ac noctem extitisse simul. Moyses namque primae diei describens opera, inquit facta tunc fuisse lucem et tenebras, diem et noctem. Ast repugnat, ut per se patet, extitisse simul lucem et tenebras, diem ac noctem. II. Neque vero nodus solvitur difficultatis respondendo lucis ac tenebrarum nomine spiritales significare substantias. Nam illa etiam admissa interpretatione, aliquod sequeretur absurdum, nullam videlicet temporis intercessisse moram inter Angelorum meritum ac beatitudinem, inter cognitionem matutinam et vespertinam: sed omnia haec simul in Augustiniana sententia extitissent, quod absurdum est.

Resp. ad 1. Lucis nomine, juxta Augustinum, nil aliud nisi angelica substantia intelligitur, sicuti et nomine diei dies angelicus ex matutina vespertinaque Angelorum cognitione conflatus. Quare verborum Geneseos, *Dixitque Dominus*: *Fiat lux*, sensus est: fiat angelica substantia.

Et divisit lucem a tenebris, hoc est, divisit Angelos sanctos qui perseverarunt, ab Angelis praevaricatoribus qui ab accepta justitia desciverunt. *Factumque est vespere, et mane, dies unus*, nimirum haec omnia viderunt Angeli in cognitione vespertina ac matutina ex quibus dies unus angelicus, non naturalis factus est. Sed de his sermo redibit in subsequentibus, ubi breve capitis 1. Geneseos exhibebimus commentarium. Interim observo non repugnare quod omnia haec modo nunc explicato facta fuerint simul, ut per se manifestum est.

Ad 2. Ut angelica mens a rerum cognitione in seipsis ad earumdem cognitionem in Verbo, et a merito ad beatitudinem perveniret; temporis intervallo non indigebat, sed morulae dumtaxat, atque instantia angelica quae in ordine quodam caussalitatis consistunt, ipsi satis erant: *Non secundum temporum moras*, ait S. P. Augustinus lib. 4. de Gen. ad litt. cap. 32. *sicut fiunt dies isti, cum oritur et occidit sol, et in locum suum redit, ut rursus oriatur; sed secundum potentiam spiritalem mentis angelicae*. Et paullo post, hoc interesse, inquit, angelicam inter et humanam mentem discrimen, quod illa *cuncta quae voluerit simul notitia facillima* comprehendat; haec vero cum magna *tarditate ac difficultate agat, et ... temporis mora propter corpus corruptibile quod aggravat animam*. Ex quibus apparet instantia tantum angelica, non temporis moras inter cognitionem vespertinam ac matutinam, inter meritum et beatitudinem intercessisse. Explicans subinde S. Doctor quo sensu in angelicis illis cognitionibus prius et posterius intercesserit subjungit: *Nec ideo tamen sine ordine quo apparet connexio praecedentium sequentiumque caussarum*. Exponens deinceps ordinem hunc caussalitatis inquit: *Etiamsi nulla hic morarum temporalium sint intervalla, praecessit tamen ratio condendae creaturae in Verbo Dei, cum dixit*; Fiat lux: *Et secuta est ipsa lux, qua angelica mens formata est atque in sua natura facta est*. Verum est igitur meritum praecedere praemium, unamque cognitionem alteram; et verum est quoque haec omnia facta esse simul absque ulla temporis mora. Neque dicas haec imperceptibilia esse, nisi unum inter et aliud aliquam admittamus temporis morulam. Nam praeter discrimen quod intercedere ait S. Pater inter angelicam ac humanam cognitionem, ut paullo ante animadvertimus, cap. ejusd. libri 34. subdit, eodem fere modo, unico temporis instanti angelicam transire mentem ab una ad aliam cognitionem, quomodo corporei oculi acies unico ictu videt solem orientem, licet ad illum pervenire non possit, nisi totum aëris caelique transeat spatium quod inter nos est et ipsum solem. Nulla itaque est in nostro systemate repugnantia.

Obj. 4. Non potest sententia de simultanea creatione defendi, nisi quae in cap. 1. Gen. narrantur figurate explicentur. Hinc S. P. Augustinus qui hanc tuetur opinionem, accipere conatus est nomen lucis non litteraliter, sed figurate, pro angelica substantia: idemque de vespere et mane, aliisque pluribus dicas. Verum nefas est, ipso Augustino teste, historicas narrationes non litteraliter, sed figurate interpretari, ubi nihil oc-

currat quod a recta ratione abhorreat. Sic enim inquit lib. 8. de Gen. ad litt. cap. 7. *Cum primitus proprie res ipsas intelligere ratio nulla prohibeat, cur non potius auctoritatem Scripturae simpliciter sequimur in narratione rerum gestarum, res vero gestas prius intelligentes, tum demum quidquid aliud significant perscrutantes?* Eaque de caussa antiqui Patres unanimi consensu damnarunt Origenem quod rerum a Deo conditarum historiam ad figuratum sensum transtulerit. II. Neque dicas contendere Augustinum expositionem suam esse litteralem. Nam ipsemet ingenue pro candore suo fatetur figuratam esse, non litteralem. Ita namque scribit lib. 4. de Gen. ad litt. cap. 28. *Quisquis ergo non eam quam pro nostro modulo vel indagare vel putare potuimus, sed aliam requirit in illorum dierum enumeratione sententiam, quae non in prophetia figurate, sed in hac creaturarum conditione proprie ... possit intelligi; quaerat etc.*

Resp. ad 1. Falsum omnino est Augustinum lucis et vespere et mane nomina non litteraliter, sed figurate usurpare. S. ipsum Doctorem audiamus qui lib. 4. de Gen. ad litt. cap. 28. allatam oppositionem ita solvit: *Nec quisquam arbitretur, illud quod dixi de luce spiritali, et de condito die spiritali et angelica creatura, et de contemplatione quam habet in Verbo Dei ... non jam proprie, sed quasi figurate atque allegorice convenire ad intelligendum diem et vesperam et mane: sed aliter quidem quam in hac consuetudine quotidianae lucis hujus et corporalis; non tamen tamquam hic proprie, ibi figurate. Ubi enim melior et certior lux, ibi verior etiam dies: cur ergo non et verior vespera et verius mane?* Hactenus S. Pater, et quidem optime pro more suo. Nam etiam Christus Johan. cap. 8. de se proprie, non figurate dicit: *Ego sum lux mundi*. Et idem Evangelista in I. sua ep. cap. 1. *Quoniam Deus*, inquit, *lux est, et tenebrae in eo non sunt ullae*. Et cap. 1. Evang. de Verbo jam scripserat: *Erat lux vera*: in quae verba S. Pater loco mox citato inquit. *Neque enim et Christus sic dicitur lux, quomodo dicitur lapis; sed illud proprie, hoc utique figurate*. Litteraliter ergo et proprie, non figurate mundi explicant opificium qui sententiam tenent de simultanea rerum creatione, et immerito assimilantur Origeni a Patribus damnato, quod mystice prorsus et allegorice, non litteraliter res a Deo conditas acciperet.

Ad 2. Ut hoc alterum solvatur argumentum satis est oculos rursus injicere in sententiam S. Doctoris paullo ante recitatam, quae eodem libro et capite unde erutum est argumentum legitur. Quo sensu ergo appellat explicationem suam de sex illis diebus figuratam? Profecto comparate ad dies nostros corporeos et naturales: ita ut non litteraliter, ut ita dicam, *materialiter* sive secundum oculorum visionem, sed litteraliter *spiritaliter*, id est secundum cordis intelligentiam, et dies et vespere et mane debeant intelligi: lux enim illa spiritalis sive angelica creatura non est datum oculis istis carnalibus atque corporeis contueri.

Obj. 5. Exodi cap. 20. v. 2. praescribens Moyses sabbati sanctifica-

tionem ita loquitur: *Sex enim diebus fecit Dominus caelum et terram et mare et omnia quae in eis sunt, et requievit in die septimo, idcirco benedixit Dominus diei sabbati, et sanctificavit eum*. Et cap. 31. v. 17. *Sex enim diebus fecit Dominus caelum et terram, et in septimo ab opere cessavit*. Assignat hoc in loco Moyses caussam sanctificationis sabbati. Inepta autem caussa illa fuisset nisi Deus sex distinctis naturalibusque diebus mundum condidisset, et septimo naturali die ab omni opere cessasset.

Resp. 1. Ut Moyses sabbati sanctificationem populo suaderet, necessaria haud erat inter dies nostros ac dies quibus operatus est Deus et ab omni opere requievit, omnimoda comparatio: sed satis erat ut aliquam dumtaxat inter utrosque dies proponeret similitudinem. Alioquin si omnia rigoroso strictoque sensu sibi invicem respondere debeant, requies Judaeorum requiei Domini aut vicissim par esse debuit, quod est absurdum; quum requies hominum quaedam post defatigationem laboris sit recreatio quae nequit Deo convenire. Unde optime Chrysostomus hom. 10. in Gen. ait commemorare Scripturam requiem Domini *Humano more et quadam attemperatione ad institutionem nostram*. Hinc quemadmodum sabbatum hominum differt a sabbato Dei, ita dies Dei a diebus nostris differre necesse est. Sensus ergo mosaici praecepti est, quod sicut Deus sex diebus angelicis sex genera rerum condendo more suo operatus est, et septimo die suo modo requievit: ita et nos sex naturalibus diebus operi incumbere debemus, septimum autem diem ab opere quiescendo debemus sanctificare. 2. Dum Moyses caussam sanctificationis sabbati assignat, eam esse dicit opera a Deo condita quando mundo dedit esse, non modum quo condidit mundum: alioquin non alia umquam sanctificationis sabbati afferri a Moyse potuisset caussa; quum tamen Deut. cap. 5. dicat: *Memento quod et ipse servieris in Ægypto, et eduxerit te inde Dominus Deus tuus in manu forti, et brachio extento: idcirco praecepit tibi ut observares diem sabbati*. Quare verborum Moysis sensus est: sex diebus operentur homines et septimo die ab opere cessent ut quiescant in Deo; quoniam ipse Deus in hominum beneficium sex genera rerum condidit, et postea a rebus conditis in seipso quiescens et creaturis minime indigens, beatus existit. Et revera sex genera rerum a Deo producta hominem ad Deum laudandum provocant et excitant; quum reluceat in illis singulare erga homines beneficium. Ita S. Thomas qui de Potent. q. 4. art. 2. ad mentem Augustini inquit: *Novitas etiam mundi maxime demonstrat Deum esse et creaturis non indigere: et ideo statutum est in lege ut septima die quiescerent et festum ducerent in qua mundus consummatus est, ut per novitatem mundi simul producti et per sex genera rerum distincta, homo semper in Dei cognitione maneret, et de tam universali et praecipuo creationis beneficio Deo gratias exhiberet, et in ipso tamquam in fine quietem suae mentis poneret, in praesenti per gratiam et in futuro per gloriam*. Sed consule Angelicum doctorem loco citato ubi plura scitu digna adducit.

Obj. iterum. Pro sententia de rerum simultanea creatione stat solus

Augustinus pauciquc Theologi, qui in S. Doctoris verba jurant. Adversus autem illam Patres omnes et Interpretes omnesque Theologi pugnant: adeoque admittenda non est. II. Augustinus ipse non satis constans in sua opinione perstitit. Nam in lib. Retract. cap. 18. et lib. 2. cap. 24. libros de Genesi ad litteram in quibus eam tradiderat sententiam recognoscens, ingenue pro candore suo fatetur in libris illis plura se quaesiisse quam invenisse, et ex inventis pauciora firmasse. III. In libris ipsis de Gen. ad litt. nempe lib. 4. cap. 28. liberum facit cuique contrariam si velit sequi sententiam; ait namque: *Quisquis ergo non eam quam pro nostro modulo vel indagare vel putare potuimus, sed aliam requirit ... quaerat, et divinitus adjutus inveniat*. IV. In lib. de Catech. Rud. cap. 17. aperte docet potuisse quidem Deum *uno momento temporis omnia facere*, voluisse tamen sex diebus operari ac Universum perficere. Ex quibus deducitur non certam sententiam illam sibi visam fuisse.

Resp. ad 1. Argumentum istud jam a nobis praeoccupatum est et solutum ab initio hujus controversiae.

Ad 2. Quando Augustinus in libris de Gen. ad litt. plura quaesiisse quam invenisse affirmat, non ad sententiam de simultanea rerum creatione alludit, hanc enim tradidit etiam in libris de Civ. Dei quos postea conscripsit: sed praecise loquitur de iis quae circa semen Abrahae, circa imaginem Dei per peccatum amissam, et circa locum inferorum disputaverat. Patet id legentibus.

Ad 3. Sententia de simultanea creatione ab explicatione sex mosaicorum dierum sedulo distinguenda est. Aliud quippe est inquirere an Deus omnia simul condiderit, et aliud quomodo sex illi mosaici dies intelligi debeant; an videlicet per cognitiones angelicas, an vero quoquis alio modo. S. Pater postquam rem ad trutinam diligenter revocavit, de simultanea rerum creatione dubius numquam extitit. Sed pro re certa definire noluit sex illos dies pro sex angelicis cognitionibus esse sumendos, posito quod non sint naturales. Patet id vel ex verbis ipsis in argumento recitatis; ita enim se habet integra Augustini sententia: *Quisquis ergo non eam quam pro nostro modulo vel indagare vel putare potuimus, sed aliam requirit in illorum dierum enumeratione sententiam, quae non prophetia figurate, sed in hac creaturarum conditione proprie meliusque possit intelligi; quaerat, et divinitus adjutus inveniat*.

Ad 3. Vel ipsa libri inscriptio responsionem suppeditat. Scripsit namque volumen illud S. Pater pro catechizandis rudibus qui sententiam de simultanea creatione prout in libris de Gen. ad litt. tradita est, non tam facile percepissent. Praeterea librum illum de catechizandis rudibus longe ante libros de Gen. ad litt. concinnaverat. Ceterum vel ex tunc ingeniosum illud systema prae mente gerebat S. Doctor, ut verba illa innuere videntur, *Poterat enim omnipotens et uno momento temporis omnia facere ... sed ut significaret* etc. Cumque eamdem de simultanea creatione sententiam tradiderit etiam in libris de Civ. Dei quos senior composuit, quis nisi mentiendo dixerit constantem in ea non perseverasse?

CAPUT III.

Explicantur dies angelici juxta mentem S. P. Augustini.

Sub praecedentis capitis finem adnotavimus aliud esse affirmare mirabile hoc Universum simul et in instanti fuisse creatum; aliud vero explicare quo sensu sex illi a Moyse commemorati dies sint intelligendi. Hinc M. Augustinus quamquam semper constanterque Deum omnia simul condidisse crediderit, proindeque sex illos mosaicos dies non esse naturales, interpretationem nihilominus suam sex illorum dierum non ita certam inconcussamque arbitratur, ut non ad haec cum sententia de simultanea creatione conciliandam libertatem cuique relinquat. Is ergo pro magnitudine ingenii sui putavit Moysem in recensendis sex creationis diebus ex mane et vespera conflatis, sex insinuare voluisse vespertinas sexque matutinas, ut S. Doctor eas appellat, Angelorum cognitiones. Si meliorem nos horum dierum invenire possemus expositionem, religioni nobis duceremus ab Augustino recedere; quum is, ut ajebam, sententiam suam hac in parte tamquam mere probabilem proponat. Ast non illius sumus acuminis ut Augustini valeamus superare perspicaciam: atque idcirco opinioni suae utroque pollice subscribimus, existimantes probabile admodum esse quod divinus Auctor diversorum dierum nomine diversas Angelorum intelligere voluerit cognitiones.

Et primo quidem dies illos Geneseos in Moysis mente dies naturales non fuisse satis superque in capite hujus libri primo demonstratum mihi videtur. Quae ibi attulimus brevi hac confirmari possunt Augustini ratiocinatione quae in lib. 11. de civ. Dei cap. 7. prostat. *Videmus quippe istos dies notos non habere vesperam nisi de solis occasu, nec mane nisi de solis exortu: illorum autem priores tres dies sine sole peracti sunt, qui quarto die factus refertur*. Cui hanc aliam addit in lib. 1. de Gen. ad litt. cap. 11. *Ut quid ergo factus est sol in potestatem diei, qui luceret super terram, si lux illa diei faciendo suffecerat, quae dies etiam vocata est?* Et rursus lib. 4. cap. 21. *Ad eam quaestionem relabimur ... ut item quaeramus quomodo circuire potuerit lux ad exhibendam diurnam nocturnamque vicissitudinem, non solum antequam caeli luminaria, sed antequam ipsum caelum quod firmamentum appellatum est, factum esset, antequam denique ulla species terrae vel maris, quae circuitum lucis admitteret, sequente nocte unde illa transisset. Cujus quaestionis difficultate compulsi, ausi sumus disceptationem nostram quasi ad hanc terminare sententiam, ut diceremus illam lucem, quae primitus facta est, conformationem esse creaturae spiritalis; noctem vero, adhuc formandam in reliquis operibus rerum materiam, quae fuerat instituta, cum in principio fecit Deus* etc. Firmum itaque remanet sex illos dies non fuisse naturales.

Sed numquid dies fuerunt spiritales? Ita censet Augustinus qui verba illa, *Fiat lux, et facta est lux*, exponendo, sic argumentatur: Dari

spiritales immaterialesque dies docent passim Scripturae. Ad Eph. cap. 5. legitur: *Fuistis aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino*. Ad Rom. cap. 13. *Nox praecessit*, inquit, *dies autem appropinquavit*. Et Petrus in ep. II. cap. 1. *Donec dies elucescat, et lucifer oriatur in cordibus vestris*. Quod vero hujus generis fuerint dies creationis, ita suadet S. Pater. Lux illa primo die creata materialis et corporea lux dici non potest, ut saepe monuimus: sequitur proinde fuisse spiritalem; neque enim spiritualia entia proprie ac litteraliter lux nuncupari repugnat, ut ex Augustino priori capite demonstravimus. Jam vero dici absque blasphemia nequit lucem hanc spiritalem a Moyse commemoratam esse Verbum et Sapientiam Dei; quoniam non de illa dictum est, gignatur lux, et genita est lux: sed, *Fiat lux, et facta est lux*. Erit ergo creatura vel angelica vel humana. Non humana, quoniam quinque dies jam praeterierant antequam formaretur homo qui formatus dicitur sexta die. Ergo angelica. Sed audiamus loquentem Augustinum qui in lib. Imperf. de Gen. cap. 5. sic inquit: *Quamlibet enim lucem significet, factam tamen et creatam debemus accipere: non illam qua fulget ipsa Dei Sapientia, quae non creata est, sed nata*. Et iterum: *Sed cum liceat hic et incorpoream lucem intelligere, si non visibilem tantum creaturam in hoc libro, sed omnem creaturam expositam dicimus, quod opus est in hac controversia remorari? Et fortasse quod quaerunt homines, quando Angeli facti sunt, ipsi significantur hac luce, brevissime quidem, sed tamen convenientissime et decentissime*. Ast vero lux haec in cap. 1. Gen. commemorata vesperam ac mane constituebat: dicente Moyse, *Et factum est vespere et mane, dies unus*. Qui ergo fieri poterat ut Angelica substantia dies ex vespera et mane compositos constitueret? Nulla repugnantia; quoniam *Ubi enim melior et certior lux, ibi verior etiam dies: cur ergo non et verior vespera et verius mane?* Ita S. Pater in lib. 4. de Gen. ad litt. cap. 28. Ex quibus apparet dies in creatione mundi a Moyse descriptos fuisse revera spiritales et angelicos.

Ast quomodo angelica lux dies efficere potest ex vespera et mane constitutos? Per matutinam ac vespertinam cognitionem. Idque modo explicare aggredimur juxta S. P. Augustini doctrinam. Quod ut majori qua fieri potest perspicuitate assequamur, nonnulla in antecedenti libro de Angelis disputata in memoriam sunt revocanda. Ibi namque cum Augustino docuimus Angelos exornatos initio fuisse a Deo supernaturali gratia. *Et istam* (bonam voluntatem) ait S. Doctor lib. 12. de Civ. Dei cap. 9. *quis fecerat*, (in Angelis), *nisi ille qui eos cum bona voluntate, idest, cum amore casto quo illi adhaererent, creavit, simul eis et condens naturam, et largiens gratiam?* Demonstravimus etiam errare quam longissime a vero illos qui S. Patrem tradidisse opinantur quod Angeli conditi fuerint a Deo in statu beatitudinis supernaturalis completae ac perfectissimae. Atque his quae ibi ex Augustino recitavimus addi haec alia possunt ex lib. 11. de Gen. ad litt. cap. 23. deprompta. *Sed* (diabolus) *factus continuo se a luce veritatis avertit, superbia tumidus, et propriae*

potestatis delectatione corruptus : *unde beatae atque angelicae vitae dulcedinem non gustavit* , *quam non utique acceptam fastidivit* , *sed nolendo accipere deseruit* , *et amisit* . Addendum iis quod alibi diximus , a via ad terminum Angelorum licet plura non interfluxerint instantia temporis , intercessisse tamen plura instantia angelica quae secundum ordinem sunt caussalitatis ; *Non secundum temporum moras ... sed secundum potentiam spiritalem mentis angelicae* , ait Augustinus lib. 4. de Gen. ad litt. cap. 32.

Principio itaque Deus creavit lucem quae est angelica substantia , eamque in statu viae sive in beatitudine supernaturali quidem , sed inchoata et imperfecta locavit , quo divinae gratiae adminiculo adjuta ad terminum , ad supernaturalem scilicet beatitudinem completam ac perfectissimam quae in possessione Dei consistit , aspiraret et perveniret . Hinc tamquam media et objecta quibus Angeli praemium mereri possent , illorum cognitioni objicendo praesentavit res quascumque creandas per sua genera ad invicem distincta , cum hac veluti conditione : ut si ex illarum cognitione in laudem Creatoris assurgerent , meritum ; sin minus , demeritum ex eo reportarent . Angeli ergo ad res quae a Deo producendae erant propriae mentis acie conversa , res illas in seipsis aspicientes ac contemplantes, earum admirati sunt pulcritudinem . Plures subinde ex illis , nempe Angeli sancti , ex creaturarum cognitione in seipsis surrexerunt in laudem Creatoris , bonitatem illius extollentes creatarumque rerum in Verbo , velut in arte , excellentiam contemplantes : sicque praemium , beatitudinem videlicet completam promeruerunt . Alii e contra , hoc est Angeli mali , in rebus ipsis creatis cupiditate marcuerunt , atque seipsis delectati debitam Creatori non reddidere laudem : unde miserrimi facti sunt , et a completae beatitudinis jure exclusi aeterno mulctati sunt supplicio . Et quoniam creaturarum cognitio in seipsis decoloratior est , ut Augustinus inquit , scilicet obscurior ac imperfectior , earumdem autem cognitio creaturarum in Dei Sapientia clarior et lucidior ; cognitio creaturarum in seipsis appellatur a Moyse *vespera* , earumdem vero cognitio creaturarum in Verbo dicitur *mane* ; illa cognitio *vespertina* , haec autem cognitio *matutina* , juxta magni Augustini doctrinam . Atque hoc modo se habent dies angelici Augustiniani ; dies quos in Universi creatione describenda divinissimus Moyses commemorat . Haec quae fuse a me exposita sunt , paucis verbis complectitur S. Pater lib. 11. de Civ. Dei , cap. 7. *Cognitio quippe creaturae in seipsa decoloratior est* , *ut ita dicam* , *quam cum in Dei Sapientia cognoscitur* , *velut in arte qua facta est* . *Ideo vespera congruentius quam nox dici potest* : *quae tamen* , *ut dixi* , *cum ad laudandum et amandum refertur Creatorem* , *recurrit in mane* . Neque tamen in iis omnibus exequendis intercessisse credendum est prius et posterius temporis , ut inquiunt , sicut in humanis : sed intervenit dumtaxat prius et posterius ordinis et caussalitatis , ut supra diximus ; quoniam *Non sicut nos ad percipiendam Sapientiam proficiebant Angeli* , *ut invisibilia Dei* , *per ea* , *quae facta sunt* , *intellecta conspicerent* .

Nunc breviter describendi sunt dies illi in particulari: quod ut accuratius exequamur, verba ipsa usurpabimus Augustini quae lib. 11. de Civ. Dei cap. 7. habentur, ubi postquam docuerat angelicam rerum creatarum cognitionem in seipsis esse vesperam, cognitionem autem earumdem rerum in Dei Sapientia esse mane, ita prosequitur: *Et hoc cum* (Angelus) *facit in cognitione suipsius, dies unus est: cum in cognitione firmamenti, quod inter aquas inferiores et superiores caelum appellatum est, dies secundus: cum in cognitione terrae et maris omniumque gignentium quae radicibus continuata sunt terrae, dies tertius: cum in cognitione luminarium majoris et minoris omniumque siderum, dies quartus: cum in cognitione omnium ex aquis animalium natatilium atque volatilium, dies quintus: cum in cognitione omnium animalium terrenorum atque ipsius hominis, dies sextus*. Itaque sex angelicae cognitiones vespertinae sexque matutinae rerum a Deo in principio creatarum sex illos dies formant a Moyse in descriptione creationis Universi enumeratos.

Verum non levis nunc oritur quaestio, cur nempe Moyses in illis enumerandis diebus a vespera potius quam a mane incipiat; praesertim cum Hebraeorum Persarum Chaldeorumque consuetudo esset, ut Beda de Creat. temp. observat, a mane semper diem exordiri. Rem aggredior explicatu difficilem cique imperviam qui in Augustini parum exercitatus sit lectione. Demonstravimus jam in antecedentibus dies illos Geneseos dies nuncupatos, non in se, sed comparate ad sex genera rerum a Deo conditarum, prout ab Angelis tum in seipsis cognitione vespertina, tum in Dei Sapientia cognitione matutina inspectae fuerunt. Statim ac itaque fuerunt Angeli e nihilo educti, cognoverunt se in seipsis, ut diximus. En vespera. Tum ex sui cognitione in laudem surrexerunt Creatoris. En mane. *Et factum est vespere, et mane, dies unus*. Primus ergo dies angelicus incipit a vespera, et recurrit in mane. Verum mane istud est simul terminus primi diei et initium secundi. Est terminus primi diei, quatenus Angeli sancti in Dei Sapientia, velut in arte, propriam essentiam contemplantes, deque ea gratias agentes Conditori, totum id executioni mandarunt quod ad illos circa propriae naturae formationem spectabat; et ideo ait Moyses: *Et factum est vespere, et mane, dies unus*. Sed idem mane simul initium est secundi diei, quoniam in eodem instanti quo seipsos Angeli in Verbo contemplati sunt, ibi velut in archetypo conspexerunt etiam rationem creaturae quam Deus facturus erat post ipsos, scilicet firmamentum. Imo firmamentum productum est prius in eorum cognitione, quae productio innuitur per illa Genesis verba: *Et sic est factum*; deinde in natura ipsius firmamenti, quod indicatur per illud: *Et fecit Deus firmamentum*. Hic tamen observandum venit tunc Angelos pro firmamento non laudasse Opificem; sed statim ad firmamentum ipsum conspiciendum se convertisse, per quam decoloratiorem cognitionem facta est vespera diei secundi; post ea vero recurrisse cogitatione ad Verbum in quo iterum conditum jam firmamentum conspicientes, gratias Deo de tam pulchro opere retulerunt: conclusumque est mane secundi diei, et principium habuit tertius. In Ver-

bo siquidem firmamentum in suo genere completum aspicientes, viderunt simul creaturam post firmamentum factum condendam, hoc est, congregationem aquarum. Atque hoc sensu aquarum congregatio facta primitus dicitur in Angeli cognitione, quod exprimitur illis verbis: *Et sic est factum*. Deinde facta est in suo genere, quod per illud innuitur comma: *Et congregatae sunt aquae* etc. Viderunt subinde Angeli congregationes aquarum ceteraque tertiae diei opera a Moyse assignata in seipsis: sicque facta est vespera tertiae diei. Denuo recurrentes in mane laudaverunt Opificem: atque ita conclusum est mane tertiae diei, quod simul fuit initium diei quartae; et sic porro usque ad vesperam sextae diei. Sed audiamus S. Patrem haec eadem clarius forte explicantem in lib. 4. de Gen. ad litt. cap. 22. ubi sic scribit: *Quia ceterae creaturae, quae infra ipsam* (angelicam creaturam) *fiunt, sine cognitione ejus non fiunt, propterea nimirum idem dies ubique repetitur, ut ejus repetitione fiant tot dies, quoties distinguuntur rerum genera creatarum, perfectione senarii numeri terminanda: ut vespera primi diei sit etiam sui cognitio, non se esse quod Deus est; mane autem post hanc vesperam, quo concluditur dies unus, et inchoatur secundus, conversio sit ejus, qua id quod creata est, ad laudem referat Creatoris, et percipiat de Verbo Dei cognitionem creaturae quae post ipsam fit, hoc est firmamenti: quod in ejus cognitione fit prius cum dicitur*, Et sic est factum; *deinde in natura ipsius firmamenti, quod conditur, cum additur etiam postea, jam dicto*, Et sic est factum. Et fecit Deus firmamentum. *Deinde fit vespera illius lucis, cum ipsum firmamentum, non in Verbo Dei sicut ante, sed in ipsa ejus natura cognoscit: quae cognitio quoniam minor est, recte vesperae nomine significatur. Post quam fit mane, quo concluditur secundus dies, et incipit tertius: in quo itidem mane conversio est lucis hujus, id est diei hujus ad laudandum Deum, quod operatus sit firmamentum, et percipiendam de Verbo ejus cognitionem creaturae, quae condenda est post firmamentum. Ac per hoc cum dicit Deus*, Congregetur aqua quae est sub caelo in collectionem unam, et appareat arida, *cognoscit hoc illa lux in Verbo Dei, quo id dicitur; et ideo sequitur*, Et sic est factum, *hoc est in ejus cognitione ex Verbo Dei: deinde cum additur*, Et congregata est aqua etc. *cum jam dictum esset*, Et sic factum est, *in suo genere ipsa creatura fit. Quae item cum in suo genere facta cognoscitur ab ea luce, quae jam in Verbo Dei faciendam cognoverat, fit tertio vespera: et inde hoc modo cetera usque ad mane post vesperam sexti diei*. Hactenus Augustinus.

Fortasse inquies: Si haec ita se habent, primus dies non habuit mane. Ita sane. Atque idcirco non inquit Scriptura: *Factum est vespere et mane, dies primus*, sed, *dies unus*. Et S. Thomas Q. 4. de Potent. ar. 2. ad 15. *Unde significanter dicitur primus dies non habuisse mane*. Et re quidem vera, si sex illi dies distincti sunt comparate ad sex genera rerum in cognitione Angelorum, quomodo primus dies potuit habere mane? Quum enim primum creatarum rerum genus fuerint Angeli, non po-

terant cognoscere seipsos in Verbo antequam formarentur et existerent. Recepta ergo a Deo natura agnoverunt statim se in seipsis. Cognitio autem rei in se conficit, ut diximus, vesperam, non mane. Ut autem senarius dierum numerus a Moyse commemoratus salvetur, dicendum est primi diei mane fuisse illud idem secundi diei sub diverso respectu, ut supra explicavimus; videlicet mane illud fuit respectu primi diei terminus, respectu vero secundi fuit initium.

Pauca nunc addamus de septimo die in quo requievisse Deum illumque sanctificasse narrat Moyses. Quemadmodum primus dies mane, ita septimus vespere caruit, ut ex Augustino observat etiam S. Thomas Q. 4. de Potent. art. 2. ad 13. dicens: *Unde sicut prima dies habet tantum vespere; ita septima dies quae significat contemplationem Dei, habet tantum mane*. Hujus rei ratio ex requiei Domini pendet intelligentia, quam sic exponit Augustinus noster lib. 4. de Gen. ad litt. cap. 14. *Dicam sane quod sentio, haec duo indubitata praeloquens, nec Deum, velut post laborem desideratumve negotii sui finem, temporali quadam requie delectatum; nec has litteras auctoritate tanta merito praeminentes, frustra falsoque dixisse, quod Deus ab omnibus operibus suis, quae fecit, in septimo die requieverit*. Quibus praemissis, capite sequenti scribit: *Nimirum ergo quia vitium est et infirmitas animae, ita suis operibus delectari, ut potius in eis quam in se requiescat ab eis ... insinuatur nobis Deus per hanc Scripturam, qua dicitur requievisse ab omnibus operibus suis, quae fecit, nullo opere suo sic delectatus quasi faciendi ejus eguerit etc. Quia enim ex illo ita est quidquid est ... se rebus quas fecit diligendo praeposuit: non significans diem, quo ea facienda inchoavit, nec illum quo ea perfecit, ne illis vel faciendis vel factis auctum ejus gaudium videretur; sed eum quo ab ipsis in seipso requievit. Et ipse quidem numquam ista quiete caruit, sed nobis eam per diem septimum ostendit*. Ex quibus colligitur requievisse Deum ab omnibus operibus suis quae fecerat, tum ut manifestaret nobis beatitudinem suam, tum ut disceremus non in operibus nostris aut ipsius, sed in Deo ipso qui rerum omnium principium et finis est, debere nos requiescere. Dies itaque septimus non habet vesperam, quoniam Angeli postquam hominis aliorumque animantium creationem quae sexto die facta narratur, in Dei Sapientia conspexerunt, deque horum productione laudes retulerunt Conditori, in ipso quiescentes propriam illius beatitudinem contemplati sunt: in qua quum nulla involveretur creatura, ab ea beatitudine per vespertinam cognitionem avertere se non potuerunt. Quare S. Pater libro saepe laudato cap. 26. concludit: *Hujus ergo diei, cujus et vespera, et mane secundum supra dictam rationem accipi potest, sexta repetitione consummata est universa creatura; factumque est mane, quo finiretur sextus dies; et unde inciperet septimus vesperam non habiturus, quia Dei requies non est creatura*.

Neque vero quis dicat allatam hactenus expositionem sex dierum creationis Universi esse potius figuratam et allegoricam quam litteralem. Nam

S. Pater illico respondebit decipi eos qui sic putant. *Nec quisquam arbitretur, illud quod dixi de luce spiritali ... non jam proprie, sed quasi figurate atque allegorice convenire ad intelligendum diem et vesperam et mane ... Ubi enim melior et certior lux, ibi verior etiam dies ... Nam si in istis diebus habet quamdam declinationem suam lux in occasum, quam vesperae nomine nuncupamus, et ad ortum iterum reditum, quod mane dicimus, cur et illic vesperam non dicamus, cum a contemplatione Creatoris creatura dispicitur, et mane cum a cognitione creaturae in laudem Creatoris assurgitur?* Relege hanc Augustini sententiam capite superiori allatam. Hinc Eucherius quoque Com. in Gen. lib. I. cap. 2. inquit: *Nihil enim mirum, si in operibus sex dierum Angeli lucis significatione creati intelliguntur, ante enim omnem creaturam facti sunt.* Et ven. Beda Expos. in Gen. *Spiritualis autem facta est lux, cum dixit*, Fiat lux, *idest Angeli et virtutes caelestes* etc. Plura ibi ad mentem Augustini digna quae legantur habet. Et Isidorus de summo Bono lib. I. cap. 10. explicans illa verba: *Ego Dominus formans lucem, et creans tenebras*, scribit: *Sed quia angelica natura quae non est praevaricata, lux dicitur; illa autem quae praevaricata est, tenebrarum nomine nuncupatur: inde et in principio lux a tenebris dividitur. Sed quia et hos et illos Deus creavit; ideo dicitur, formans lucem, et creans tenebras. Verumtamen bonos Angelos, non tantum creans, sed etiam formans; malos autem creans tantum, non formans.* Et Rupertus Abbas Com. in Gen. cap. 10. *Melius*, inquit, *magni et nominatissimi Patres intellexerunt naturam angelicam lucis nomine significatam. Eorum sensum rationabilem magis approbamus et sequimur, angelicam creaturam recte lucem esse appellatam, lucem intellectualem.* Laudati mox sancti Patres dividunt subinde sex dies comparate ad sex genera rerum prout cognita fuerunt ab Angelis in seipsis et in Dei Sapientia velut in arte, eo ferme modo quo nos hactenus cum Augustino nostro fecimus. Atque ita se habet celebris controversia de diebus angelicis ad mentem S. Augustini.

CAPUT POSTREMUM.

In quo brevis exhibetur Commentarius capitis I. Geneseos juxta mentem S. P. Augustini.

Non hic omnes et singulas capitis I. Geneseos voces juxta veterum recentiorumque Interpretum intellectum adamussim explicare nobis in animo est, in longum quippe nimis ac extra orbitam nostra ferretur oratio; neque ad rerum theologicarum Tractatores, verum ad sacrae Scripturae Interpretes proprie pertinet talem in messem immittere falcem. Quae itaque ad dilucidanda confirmandaque in superioribus proposita ac statuta capitibus conducunt, hoc in loco dumtaxat persequemur; idque juxta magni Patris Augustini inconcussa principia: ut ita omnia sibi cohaereant. Ad rem itaque.

IN PRINCIPIO. Duplici modo vox haec, *In principio*, ab Augustino explicatur. 1. Quod idem sit ac, *ante omnia*. 2. Quod significet, *In Sapientia*. Priorem expositionem tradit in lib. 11. de Civ. Dei cap. 6. in haec verba: *Porro si litterae sacrae maximeque veraces ita dicunt in principio fecisse Deum caelum et terram, ut nihil antea fecisse intelligatur, quia hoc potius in principio fecisse diceretur, si quid fecisset ante cetera cuncta quae fecit; proculdubio non est factus mundus in tempore, sed cum tempore*. Alteram vero eodem in libro cap. 32. dicens: *Atque illud quod dictum est*, In principio fecit Deus caelum, et terram: *atque illud quod dictum est*, In principio, *non ita dictum tamquam primum hoc factum sit, cum ante fecerit Angelos; sed quia omnia in Sapientia fecit, quod est Verbum ejus, et ipsum Scriptura principium nominavit; sicut ipse in Evangelio Judaeis quaerentibus quis esset, respondit se esse principium*. Eadem passim innumeris aliis in locis repetit; docetque in cap. 1. Gen. Trinitatem commendari personarum, Patrem scilicet in *Dei* nomine, Filium in *principii* nomine, et Spiritum Sanctum eo in commate, *Spiritus autem Domini ferebatur super aquas*.

CREAVIT, hoc est, *e nihilo eduxit*: neque enim hoc Universum ex praejacente materia conflatum est. Quaeri autem hic solet an hebraicum verbum ברא, *Baràh*, *creavit*, vi sua significet, *e nihilo eduxit*; an vero eam significationem tribuerint illi verbo homines ex quo per traditionem didicerint mundum factum esse ex nihilo. Vide quaestionem hanc apud omnes Scripturae Interpretes.

CAELUM, et TERRAM. Nomine caeli S. P. Augustinus angelicam intelligit creaturam informem, hoc est, non adhuc ad Deum conversam et illuminatam; quod accidit quando factum est quod in Verbo Dei dictum est, *Fiat lux*: tunc enim formata est per gratiam, et vere lux facta est. Nomine vero terrae creaturam omnem corporalem pariter informem, et ut ita dicam, rudem, juxta illud Sap. cap. 11. *Omnipotens manus tua quae creavit orbem terrarum ex materia invisa*, intelligit. Lib. namque 1. de Gen. ad litt. cap. 9. *Atque illud*, inquit, *ante omnem diem fecisse intelligitur, quod dictum est*, In principio fecit Deus caelum, et terram: *ut caeli nomine intelligatur spiritalis jam facta et formata creatura, tamquam caelum caeli hujus, quod in corporibus summum est*. Quod autem caelum significet litteraliter naturam angelicam probat ex illo praesertim Psalmistae loco: *Caeli enarrant gloriam Dei*, ubi Angelos caelorum nomine intelligit. Terram vero v. 1. Gen. commemoratam significare contendit materiam informem seu inordinatam vel imparatam, quod lib. 1. cap. 15. et in lib. Imperf. de Gen. cap. 4. et alibi passim, ut ex dicendis apparebit.

TERRA AUTEM ERAT INANIS, ET VACUA, ET TENEBRÆ ERANT SUPER FACIEM ABYSSI. In haec verba ita scribit Augustinus in laudato lib. Imp. de Gen. cap. 4. *An sic melius intelligitur, ut in hac executione rursus eadem rerum materies commendaretur, quae superius caeli et terrae nomine nuncupata est, ut iste sit sensus. In principio fecit Deus caelum et terram, hoc autem quod caelum et terra dictum*

est, terra erat invisibilis et incomposita, et tenebrae super abyssum; idest quod caelum et terra appellatum est, materies erat confusa quaedam, de qua mundus, qui duabus maxime partibus, caelo scilicet et terra constat, digestis elementis et accepta forma fabricaretur. Et in lib. 12. Confes. cap. 17. ad ea verba, *Terra autem erat* etc. clarius affirmat dictum esse, *Ea distinctione, ut terra invisibilis et incomposita intelligatur materies corporalis ante qualitatem formae: tenebrae autem super abyssum, spiritalis materies* (hoc est substantia) *ante cohibitionem quasi fluentis immoderationis, et ante illuminationem Sapientiae*. Quoniam ergo superius dixerat Moyses Deum creasse caelum et terram, hic explicare debuit quomodo caelum et terra tunc se haberent: aitque utrumque informem fuisse ac inordinatum. Inordinationem autem et informitatem caeli, idest angelicae naturae nondum per conversionem ad Deum formatae et ordinatae explicat illis verbis: *Et tenebrae erant super faciem abyssi*. Informitatem vero materiae ex qua conflata sunt omnia, per illa alia, *Terra autem erat inanis, et vacua*.

ET SPIRITUS DEI FEREBATUR SUPER AQUAS. Spiritus hic Dei per Augustinum est Spiritus Sanctus tertia Trinitatis persona. Aqua autem est universa tam corporea quam spiritalis creatura. Ita quippe scribit in lib. Imp. de Gen. cap. 4. *Si autem universae creaturae, idest intellectualis et animalis et corporalis, materia creditur illo aquae vocabulo enuntiata, nullo modo hoc loco Spiritus Dei potest nisi ille incommutabilis et Sanctus intelligi, qui ferebatur super materiam omnium rerum quas fecit et condidit Deus*. Vide etiam S. Doctorem lib. 1. de Gen. ad litt. cap. 5. et 7.

DIXITQUE DEUS: FIAT LUX. Postquam Moyses narraverat Deum utramque creaturam spiritalem atque corpoream informiter condidisse, nunc cujusque creaturae in particulari formationem describere pergens incipit ab Angelis. Verba itaque illa, *Dixitque Deus*, significant Patrem Filium ac Spiritum Sanctum quamlibet condidisse in particulari creaturam. Ita S. Pater lib. 1. de Gen. ad litt. cap. 6. *Ut quemadmodum in ipso exordio inchoatae creaturae ... Trinitas insinuatur Creatoris ... ita et in conversione atque perfectione creaturae, ut rerum species digerantur, eadem Trinitas insinuatur*. Illa vero, *Fiat lux*, hunc habent sensum: Procedat a Verbo Dei, tamquam ab arte et exemplari, angelica substantia.

ET FACTA EST LUX. Horum verborum sensus est: angelica natura quae in Verbo erat ut facienda, in propria natura per illuminationem ac conversionem ad Creatorem suum formata est. Vide caput praecedens.

ET VIDIT DEUS LUCEM, QUOD ESSET BONA, ET DIVISIT LUCEM A TENEBRIS. Vidit Deus lucem quod esset bona; id est angelicam naturam per amorem complacentiae Spiritus Sancti, ut ait Augustinus, approbavit. Ubi notandum venit Deum approbasse lucem statim post illius formationem, non post factam inter lucem ac tenebras divisionem. Cujus rei rationem reddit S. P. Augustinus lib. 11. de Civ. Dei cap. 20. scilicet, *Ne simul cum luce etiam talibus tenebris testimonium placiti sui*

perhibuisse videretur. Nam tenebrarum nomine S. Doctor Angelos intelligit desertores: ita ut verba illa, *Et divisit lucem a tenebris*, significent separasse Deum sanctos Angelos ab Angelis malis. Vide laudatum nuperrime librum cap. 19. Aliam praeterea illorum verborum tradit S. Pater explicationem in lib. 1. de Gen. ad litt. cap. 17. his verbis: *An divisio quidem lucis a tenebris, distinctio est jam rei formatae ab informi; appellatio vero diei et noctis, insinuatio distributionis est, qua significetur nihil Deum inordinatum relinquere?*

APPELLAVITQUE LUCEM DIEM, ET TENEBRAS NOCTEM. Augustinus in lib. 1. Imp. de Gen. cap. 6. affirmat Deum appellasse seu vocasse, hoc est, ordinasse: *Fortasse ergo ipsum divisisse inter lucem et tenebras, hoc est vocasse lucem diem, et tenebras noctem, ut hoc sit ordinasse ista quod vocasse*. Ibidem et alibi tradit Moysem per diem intelligere sanctos Angelos, et per noctem Angelos reprobos: quatenus oportuit ut formato per illuminationem Angelo qua Verbo adhaereret, tunc nomen diei qui est lucis effectus acciperet; et similiter Angelus malus superbia tumidus et a luce veritatis aversus, disponeretur eo modo quo congrue noctis nomen acciperet. Lege lib. 11. de Civ. Dei cap. 20.

FACTUMQUE EST VESPERE ET MANE, DIES UNUS. Quomodo constituti sint dies angelici ex vespere et mane, et quare dicatur hoc in loco dies unus, non primus, explicavimus fuse cap. superiori.

DIXIT QUOQUE DEUS: FIAT FIRMAMENTUM. Exposita a Moyse spiritalis substantiae speciali formatione, ad narrandam rerum corporearum formationem in particulari statim descendens, incipit a firmamento quod inter illas supremum obtinet locum. Firmamentum, juxta Augustinum, est formarum corporum caelestium impressio in materia illorum informi; ait quippe lib. 11. de Civ. Dei cap. 9. *Tunc enim firmamentum factum est inter aquas superiores et inferiores, caelumque appellatum est; in quo firmamento facta sunt sidera quarto die*.

IN MEDIO AQUARUM, ET DIVIDAT AQUAS AB AQUIS. Multi multa de hisce aquis opinati sunt. Augustinus autem alicubi docet loqui Scripturam de aquis quatenus sunt elementum: ast dubitat dumtaxat an quae supra firmamentum locatae dicuntur, sint ejusdem cum aqua nostra naturae. In lib. 1. autem de Gen. cont. Manich. cap. 11. ait: *Tamen quod divisae sunt aquae ut aliae essent super firmamentum, et aliae sub firmamento, quoniam materiam illam dicebamus nomine aquae appellatam, credo firmamento caeli materiam corporalem rerum visibilium ab illa incorporali rerum invisibilium fuisse distinctam*. Ceterum in 2. de Gen. ad litt. cap. 5. minime dubitat supra firmamentum veras existere aquas. *Quoquo modo autem*, inquit, *et qualeslibet aquae ibi sint, esse eas ibi minime dubitemus: major est quippe Scripturae hujus auctoritas, quam omnis humani ingenii capacitas*. Haec ergo quae dixit Deus ut fierent facta sunt: atque ita conclusus est secundus dies modo in capite antecedenti explicato. *Et fecit Deus firmamentum, divisitque aquas, quae erant sub firmamento, ab his quae erant super firmamentum. Et fa-*

ctum est ita . Vocavitque Deus firmamentum caelum : et factum est vespere et mane , dies secundus .

DIXIT VERO DEUS: CONGREGENTUR AQUAE, QUAE SUB CÆLO SUNT, IN LOCUM UNUM, ET APPAREAT ARIDA. ET FACTUM EST ITA. Congregatio haec aquarum sic explicatur a B. Thoma 1. p. q. 69. art. 1. in corp. ad mentem Augustini. *Dicendum quod hic oportet aliter dicere secundum expositionem Augustini, et aliorum Sanctorum. Augustinus enim in omnibus his operibus non ponit durationis ordinem, sed solum originis et naturae.* Hic enumerat primi ac secundi diei opera, tum addit: *Tertio vero loco ponitur impressio formarum elementarium in materiam informem, non tempore, sed origine praecedentem. Unde per hoc quod dicitur: Congregentur aquae, et appareat arida, intelligitur quod materiae corporali impressa est forma substantialis aquae per quam competit sibi talis motus: et forma substantialis terrae, per quam competit sic videri.* Quomodo autem aquae accepta forma in unum coaluerint locum, et apparuerit arida, exponit S. Pater in lib. 1. de Gen. ad litt. cap. 12. *Cum autem totam omnino terram undosa natura cooperiret, quo cederet, ut nudaret aliquas partes? An forte rarior aqua velut nebula terras tegebat; quae congregatione spissata est, ut ex multis eas partibus, in quibus arida posset apparere, nudaret? Quamquam et terra longe lateque subsidens, potuit alias partes praebere concavas, quibus confluentes et corruentes aquae reciperentur, et appareret arida ex his partibus, unde humor abscederet.* Alibi nempe in Imp. de Gen. cap. 10. verba illa: *In unum locum*, sive *in congregationem unam*, interpretatur in unam formam dicens: *Dixit ergo Deus*, Congregetur aqua quae sub caelo est; *id est in formam redigatur materies corporalis, ut aqua ista sit, quam sentimus*. In congregationem unam. *Vis ipsa formae commendatur nomine unitatis. Hoc est enim vere formari in unum aliquid redigi; quoniam summe unum est omnis formae principium*. Subditur: *Et sic factum est*. Quomodo? *Etiam hoc fortasse in rationibus intellectualis naturae*, ut exponit Augustinus loco mox laudato.

ET AIT: GERMINET TERRA HERBAM VIRENTEM, ET FACIENTEM SEMEN etc. Germinet, hoc est, ait Augustinus, germinandi accipiat virtutem. S. Patris loca sensum hunc exponentia laudavimus supra.

JUXTA GENUS SUUM; scilicet juxta propriam naturam specificam, et secundum similitudinem, ut Augustinus exponit in Imp. de Gen. cap. 11. *Postquam facta sunt terra et mare .... non statim, sicut duobus diebus praecedentibus, subjicitur*, Facta est vespera, et factum est mane dies tertius: *sed adjungitur alia operatio*, ut germinet etc. *Quod de luce illa, et firmamento, et aquis, et arida dictum non est; non enim habet lux successionis propaginem, aut caelum de alio caelo nascitur* etc. Atque haec sunt opera tertiae diei.

DIXIT AUTEM DEUS: FIANT LUMINARIA IN FIRMAMENTO CÆLI etc. Per luminaria majora intelligit Auctor solem et lunam, quae

tametsi magna dici non possint comparate ad omnes stellas, quum ab aliquibus in magnitudine superentur; sic tamen appellantur quoniam sic oculis nostris apparent.

ET SINT IN SIGNA. Non illa profecto subdit Augustinus lib. 2. de Gen. ad litt. cap. 14. *quae observare vanitatis est, sed utique alia, et hujus vitae usibus necessaria*. ET TEMPORA. Ut scilicet anni vicissitudines ver aestatem autumnum hiemem messem vindemiam demonstrent. *Et dies*; idest ad dies naturales efficiendos solis rotationes sunt necessariae. Neque dici hujus repetitio superflue fit a Moyse quum paullo ante dixerit, *Et dividant diem ac noctem*: hisce namque verbis dies describitur artificialis, illis autem dies naturalis. *Et annos*, videlicet, solares lunares et stellarum. Ita Augustinus lib. 2. de Gen. ad litt. cap. 14. Et lib. Imperf. de Gen. ad litt. cap. 13. notat quod *Non dixit* (Moyses) *et mensibus, quia fortasse mensis annus est lunae*. Sic itaque conclusus est quartus dies.

DIXIT ETIAM DEUS: PRODUCANT AQUAE REPTILE ANIMAE VIVENTIS. Verba haec *producant aquae*, juxta Augustinum denotant: producendi accipiant virtutem. *Reptile*, idest, pisces. *Quamquam enim sint et animalia terrestria, quae repunt super terram; tamen ex multo majore numero pedibus moventur, et tam pauca fortasse in terris repunt, quam pauca in aquis gradiuntur*. Verba sunt S. Patris in lib. 3. de Gen. ad litt. cap. 8. *Animae viventis*: ad animam denotandam sensibilem quae sola vivere videtur, ut inquit Augustinus in Imp. de Gen. cap. 15. *An possunt esse animae, nisi vivant? An istam manifestiorem vitam commendare voluit, quae inest animalibus sentientibus, quoniam stirpes ea carent?*

ET VOLATILE SUPER TERRAM. Hic quaeri solet quare Deus ex aquis etiam volucribus originem dederit? Quaestionem solvit Basilius hom. 8. in Hexam. dicens: *Quoniam velut cognatio quaedam est avium cum piscibus. Etenim quemadmodum pisces aquam secant pinnarum agitatione progredientes, caudae vero mutatione flexuosos ac rectos motus, et impetus sibi gubernantes: sic idem in volucribus licet cernere, quae per aërem pennis similiter natant* etc. Cajetanus tamen et Estius arbitrantur volatilia fuisse ex terra compacta. Sed major est Scripturae ac Patrum auctoritas quam ut a statuta opinione resiliamus.

CREAVITQUE DEUS CETE GRANDIA etc. Verbum, *creavit*, hoc in loco lato sensu sumitur pro producere ex praejacente materia; non enim ex nihilo educta sunt natatilia, ut ex superiori apparet versiculo. Quid *Cete* nomine veniat explicat Theodoretus in Catena: *Cete ergo ea omnia vocat quae inter aquea vasta sunt, quamquam eorum quoddam sit discrimen: quamobrem addidit, magna*.

BENEDIXITQUE EIS DICENS: CRESCITE etc. Augustinus in Imp. de Gen. cap. 15. ita de hac benedictione loquitur: *Benedictionem ad foecunditatem valere voluit, quae in successione prolis apparet, ut ex benedictione, qua infirma et mortalia creata sunt, genus suum nascendo custodiant*.

ET FACTUM EST VESPERE ET MANE, DIES QUINTUS. Factum videlicet est in rationibus intellectualis naturae, per ricognitionem matutinam ac vespertinam, ut saepe animadvertimus.

DIXIT QUOQUE DEUS: PRODUCAT TERRA ANIMAM VIVENTEM IN GENERE SUO etc. In haec verba ita scribit S. Pater in lib. 3. de Gen. ad litt. cap. 11. *Jam nunc consequens erat, ut alteram partem, quae proprie terra dicitur, infimi hujus loci, quem totum cum omnibus abyssis et nebuloso aëre universaliter vocabulo terrae alibi Scriptura complectitur, ornaret animalibus suis.* Sequitur Textus: *Jumenta et reptilia, et bestias terrae.* S. Thomas post Augustinum ita laudata verba exponit 1. p. q. 72. art. 2. *Quod per jumenta vel pecora intelliguntur animalia domestica, quae homini serviunt qualitercumque. Per bestias autem intelliguntur animalia saeva, ut ursi, et leones. Per reptilia vero animalia, quae vel non habent pedes quibus eleventur a terra, ut serpentes; vel habent breves quibus parum elevantur, ut lacertae et formicae.* Cetera quae in sacro Textu sequuntur, pertinent ad formationem hominis, de quo libro sequenti pertractabimus. Interim illud in memoriam saepe revocandum est in his perlegendis, quod et homo et animalia et aves et pisces et herbae et ligna, ceteraque simul a Deo producta sunt; adeoque quae narrat Moyses caussaliter vel seminaliter sunt intelligenda.

Finis Libri XX.

INSTITUTIONUM THEOLOGICARUM

LIBER XXI.

IN QUO DISSERITUR DE PRIMO HOMINE.

Tertium creaturarum entium genus est, ut initio absoluti mox voluminis adnotavimus, Homo ex spirituali et corporea substantia conflatus. De quo hoc in libro pertractaturus non innumeras illas a sanctae Scripturae Interpretibus versari solitas quaestiones attingere volo, quales sunt, de loco praecise in quo fuit primus homo productus, et de sopore in primum hominem immisso ut de illius costa formaretur Mulier, et quid in eo somnio viderit Adam, et de loco deliciarum in quo primi illi homines locati fuerunt, et quamdiu ibi vixerint, et an locus ille spiritalis fuerit vel materialis et num adhuc existat, et de ligno vitae in eo posito et quamquam haberet virtutem, innumeraque alia nec injocunda nec inutilia. Haec, inquam, et similia silentio praeteream spartam hanc S. Scripturae relinquens Expositoribus, inter quos consuli praecipue potest S. P. Augustinus qui pluribus in locis de iis multisque aliis acute non modo, sed et solide pro more suo disputat. Interim ea solum attingere constitui quae necessariam cum rebus theologicis connexionem habent, ac ea praesertim quae viam nobis sternunt ad sublimia percipienda mysteria quae respiciunt originale peccatum, humani generis Redemptionem, et quae inde profluxerunt caelestia dona Gratiae. Initio tamen Philosophantes illos adoriri juvabit qui proprio nimis indulgentes ingenio venditare non dubitant innumeros ante Adamum extitisse homines in terra. Unde

CAPUT I.

An Adam fuerit primus homo a Deo conditus.

Omnium primum fuisse Adamum a Deo manibus suis e limo terrae plasmatum hominem adeo luculenter in libro Genesis aliisque sanctae Scripturae locis habetur, ut mirari proinde subeat quomodo in nonnullorum mente Christianorum oriri potuerit opinio innumeros alios extitisse ante Adami formationem in mundo homines. Qui fabulam hanc de Praeadamitarum existentia primus invexit fuit Isaac Peyrerius Calvinistarum olim irretitus erroribus: cujus tamen sectae portenta una cum suo Preadamitarum systemate in deprecatione ad Alexandrum R. P. hujus nominis VII. tandem Deo auxiliante ejuravit. Quoniam vero hac nostra etiam aetate non desunt qui hypothesim illam renovare ac tueri conantur, nostrum erit hoc in capite et argumenta proponere quae primum hominem a Deo conditum fuisse Adamum demonstrant, et difficultates nonnullas quae in contrarium adducuntur pro viribus enodare atque refellere. Sit ergo

CONCLUSIO

Primus omnium hominum a Deo conditus fuit Adam.

Prob. 1. In cap. 1. Gen. postquam Moyses caeli et terrae, aquarum piscium avium omniumque animantium descripserat creationem, narrat Deum sexta die creasse hominem de limo terrae. *Et creavit Deus hominem ad imaginem suam: ad imaginem Dei creavit illum, masculum, et foeminam creavit eos.* Porro antequam Deus caelum terram elementa animalia hominemque crearet, nihil prorsus existebat, quoniam inquit Moyses condita haec esse *in principio*, hoc est ante omnia. Ast vero ille quem creasse Deum ad imaginem suam tradit Moyses, non erat nisi Adam, ut ex sequentibus capitibus et 5. praesertim patet, ubi sacer Auctor capitis primi verba recapitulando illa intelligit de Adamo dicens: *Hic est liber generationis Adam. In die qua creavit Deus hominem, ad similitudinem Dei fecit illum. Masculum, et foeminam creavit eos ... et vocavit nomen eorum Adam, in die quo creati sunt.* Quare nullus ante Adamum existebat homo: atque adeo primus a Deo creatus fuit Adam.

Respondet praeadamitici systematis Auctor diversum esse hominem a Moyse descriptum cap. 1. ab eo cujus formationem narrat cap. 2. scilicet ab Adamo. Ille Pater est omnium gentilium; hic speciatim a Moyse descriptus Hebraeorum, quoniam caput gentis suae fuerat. Nec Adam, inquit, cum homine de quo cap. 1. confundi potest; quum impossibile sit tam brevi temporis spatio ea omnia evenisse quae ab Auctore ibi narrantur.

Verum Auctor ille decipitur apertissime: quum hominis creatio in utroque capite descripta, sit unius ejusdemque Adami formatio; capite nimirum 1. arctius et pressius, cap. autem 2. describitur prolixius et accuratius. Quod demonstro 1. hac comparatione. Eodem modo loquitur Moyses in cap. 2. Gen. de formatione hominis, ac de caeli et terrae aliarumque rerum creatione; de homine namque v. 7. inquit: *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terrae ... et factus est homo in animam viventem.* Versu autem 4. de caelo et terra dixerat: *Istae sunt generationes caeli, et terrae, quando creata sunt in die, quo fecit Dominus Deus caelum, et terram, et omne virgultum agri* etc. Verum caelum et terra cap. 2. commemorata, diversa non sunt a caelo et terra cap. 1. descripta; unde nec homo commemoratus cap. 2. diversus est ab homine cujus cap. 1. fit mentio. 2. Antequam Moyses cap. 2. de hominis productione loquatur, v. 5. inquit: *Et homo non erat qui operaretur terram:* quod falsum esset si homo descriptus cap. 1. extitisset, ut contendit Peyrerius. 3. In cap. 1. legitur Deum absolutis sex dierum operibus requievisse *die septimo ab universo opere quod patrarat*: adeoque Adam laudatus cap. 2. est idem a Deo conditus ante septimum diem. Quod autem Peyrerius addit non potuisse tam brevi temporis spatio quae ibi narrantur evenire, id profecto Dei derogare videtur omnipotentiae.

Prob. 2. Gen. cap. 3. v. 20. Uxor Adam appellata est nomine Hevae: *eo quod mater esset omnium viventium*. Omnis igitur homo ex Heva Adami uxore procedit. Hinc Apostolus Act. 17. v. 26. non Judaeos, sed gentiles Philosophos in Areopago considentes alloquens, inquit: *Fecitque* (Deus) *ex uno omne genus hominum inhabitare super universam faciem terrae*; alludens plane ad gentium regumque divisionem super universam terram factam post diluvium: quae divisio non aliunde ortum habuit quam ex Sem Cham et Japhet qui erant filii Noe. Hunc autem ab Adamo descendisse nec Peyrerius inficiatur. Neque fingi potest gentes nonnullas ab homine genitas qui non fuerit Adam, diluvium evasisse. Nam in Scriptura legitur diluvium vere fuisse universalem, omnemque super terram assumpsisse carnem ab homine usque ad jumenta, ac usque ad reptilia ceteraque animalia, iis exceptis quae secum in Arcam intulerat Noe.

Prob. 3. Etiam ipso fatente Peyrerio, omnes et singuli homines, nemine prorsus excepto, rei sunt originalis peccati; erat enim is quando hanc praeformavit hypothesim non pelagianus sed calvinista. Ast si praeadamiticum admittatur systema, originale peccatum in hebraicam gentem dumtaxat ejusque posteros, non in reliquos transfunderetur homines. Adam quippe juxta Peyrerium pater et caput est Hebraeorum tantum, non reliquorum hominum. Porro id affirmare est contra manifestam Doctoris gentium sententiam qui ad Rom. cap. 5. peccatum, ait, ac mortem in omnes et singulos homines pervasisse per delictum unius, nempe per Adam. Repetit id Apostolus in I. ad Cor. cap. 15. *Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur*. Superfluum est in hujus confirmationem sententiae sanctorum Patrum advocationem implorare; quum Peyrerius ipse ingenue fateatur systema suum Patrum principiis ac definitionibus Conciliorum fuisse contrarium.

Ad ea quae in contrarium adducuntur responsio.

Obj. 1. Gen. cap. 4. legitur: *Fuit autem Abel pastor ovium, et Cain agricola*. Profecto pastoritia ars et agricultura plures artes hominesque multos supponunt. Ex Adam autem non erant tunc nisi Cain et Abel: adeoque ex aliena stirpe genitos hi duo fratres ad proprias exercendas artes advocarunt. II. Nec sane deerant ex alia stirpe homines. Nam Deus Cainum redarguens quod invidia in fratrem tabesceret, ait illi ibid: *Nonne si bene egeris, recipies: sin autem male, statim in foribus peccatum aderit*? Quae profecto phrasis significat fuisse aetate Cain judices qui Orientalium more in portis ad judicandum sederent. III. Hinc Cain post patratum fratricidium sic Deum alloquutus est: *Omnis igitur, qui invenerit me, occidet me*; eaque de caussa fugit ad orientalem plagam Edem, quo subtraheret se a jurisdictione judicum ubi interfecerat fratrem degentium.

Resp. ad 1. Pastoritia ars et agricultura multas plane supponunt artes multosque homines non utique in primo eorum ortu. Neque enim tunc ad agriculturam vomere aut ligone vel alio artificiali opus erat instrumen-

to: tum quia terra licet a Deo maledicta, quoniam tamen universali diluvio non adhuc penitus corrupta erat, non tanta ut fructum ferret indigebat industria: tum etiam quoniam non adeo ingens erat hominum numerus ut necessarium foret amplissimos colere campos. Idipsum de pastoritia dicendum. Non enim in tentoriis commorabatur Abel: et quamvis fures timendi non essent, erant tamen ad summum arcendi lupi, et oves ad salubria pascua ducendae: ad quae praestanda paucissimi homines satis erant; qui proculdubio erant de semine Adae. Nam quod tam fidenter Peyrerius affirmat, non habuisse tum Adamum praeter Cainum et Abelem alios filios, falsum plane esse testatur vel ipse Josephus lib. 1. Ant. cap. 3. dicens: *Natae sunt ei etiam filiae*. Et cur Moyses alios Adae filios silentio praeterierit exponit Ecclesiae lumen Augustinus lib. 15. de Civ. Dei cap. 8. his verbis: *Propositum quippe scriptoris illius fuit ... per successiones certarum generationum ex uno homine propagatarum pervenire ad Abraham, ac deinde ex ejus semine ad populum Dei: in quo distincto a ceteris gentibus praefigurarentur et praenunciarentur omnia quae de Civitate, cujus aeternum erit regnum, et de Rege ejus eodemque conditore Christo in Spiritu praevidebantur esse ventura; ita ut nec de altera societate hominum taceretur, quam terrenam dicimus Civitatem*. Ac de Adamo tandem aliisque Patriarchis concludit: *Numquid quia eosdem filios et filias non nominat, ideo intelligere non debemus per tam multos annos, quibus tunc in saeculi hujus prima aetate vivebant, nasci potuisse plurimos homines, quorum coetibus condi possent etiam plurimae civitates?*

Ad 2. Allata Gen. verba nil aliud significant quam ad peccatum consequi debitam poenam. Et metaphora est in sacris litteris usitatissima. Ita Marci cap. 13. v. 29. *Sic et vos cum videritis haec fieri, scitote quod in proximo sit in ostiis*, idest, illico adveniet. Imo ea utuntur metaphora Auctores etiam exotici, dicente Plutarcho: *Febris est in foribus*. Sensus ergo illorum verborum est: si bene egeris, praemium; sin male, statim recipies poenam, propriae scilicet conscientiae latratus, juxta illud Augustini: *Omnis inordinatus animus sibi ipsi est poena*. Vel ut clarius Apostolus ad Rom. 2. v. 9. *Tribulatio, et angustia in omnem animam hominis operantis malum*.

Ad 3. Respondeo verbis Ambrosii lib. 2. de Cain et Abel cap. 9. *Potuit et parentes parricidas timere, qui docuerat parricidium posse committi. Potuerunt enim et parentes de filio discere, quod didicerant posteri de parente*. Deinde potuit etiam timere ne a propriis interficeretur nepotibus; quum fratricidium patraverit post annum mundi 128. Gen. enim cap. 4. v. 25. narratur Adam post occisum filium suum Abel, anno aetatis 130. genuisse Seth *pro Abel, quem occidit Cain*. Ast intra centum triginta annorum spatium ad multa centena millia excrescere poterat humanum genus, ut per se manifestum est. Ac postremo prolata a Caino verba phrasis sunt hominis quamcumque creaturam etiam ratione destitutam timentis; praesertim cum in hebraico Textu legatur כל־מצאי, *Quidquid inveniet me*.

Obj. 2. In regione in quam se recepit Cain, si fides Josepho habenda est, *Accitis undequaque latrociniorum et nequitiae sociis, nec non magister illis ad facinorosam vitam effectus, divitias et facultates per rapinam accumulavit*. Ast quomodo haec fieri poterant absque ingenti hominum multitudine, et diversi quidem a semine Adami? II. Praeterea, in regionem ad orientalem plagam foeminam Cain invenit quam duceret uxorem; legitur quippe cap. 4. Gen. v. 17. *Cognovit autem Cain uxorem suam, quae concepit, et peperit Henoch.* Quae foemina esse non poterat Adami filia; quum nondum nata esset Adamo filia. III. Imo dicitur ibidem Cain aedificasse civitatem quam vocavit nomine filii sui Henoch. Ast quibus operariis ad eam aedificandam, quibus gentibus ad illam incolendam usus est si nullus erat ibi homo a stirpe Adami diversus?

Resp. ad 1. Admisso etiam Josephi testimonio, Cainum statim post patratum fratricidium egisse grassatorem affirmare non cogimur. Interim in ingentem numerum excreverunt filii Seth, qui secundum Deum viventes Dei civitatem constituebant, civitati a filiis Cain qui vivebant secundum hominem constitutae proculdubio contrariam. Hos ergo depraedatus forte est Cain cum filiis ac nepotibus suis qui tam dire in fratrem saevierat.

Ad 2. Respondet Augustinus in lib. 15. de Civ. Dei cap. 16. *Cum igitur genus humanum ... marium foeminarumque conjunctione opus haberet, ut gignendo multiplicaretur; nec essent ulli homines, nisi qui ex illis duobus nati fuissent, viri sorores suas conjuges acceperunt: quod profecto quanto est antiquius compellente necessitate; tanto postea factum est damnabilius religione prohibente.* Cain ergo non invenit in regione quo fugit foeminam quam duceret uxorem sed secum illam attulit filiam Patris sui. Cur autem Moyses filiarum ab Adamo genitarum non meminerit exposuimus supra ex Augustino.

Ad 3. Condendae civitati atque incolendae sufficiens utique esse potuit numerus filiorum qui orti sunt ex Cain. Etenim hominum vita tunc temporis ita longa erat, ut unius viri filii constituere possent amplissimam civitatem. Quod ex hoc conjici facile potest, quod ex uno Abraham, non multo amplius quadringentis annis, numerositas haebraicae gentis tanta procreata est, ut in exitu ejusdem populi de Ægypto sexcenta millia hominum fuisse referantur bellicae juventutis, ut et alias omittam gentes ex semine ejusdem Abrahae non per Saram conjugem procreatas, ut observat Augustinus lib. 15. de Civ. Dei cap. 8. Nec necessarium est ut primogenitum Cain existimemus Henoch quia civitas illa de nomine ejus nuncupata est. Neque enim et Judas primogenitus fuit Jacob: a quo et Judaea et Judaei agnominati sunt. Quamquam ut primogenitus etiam fuerit, non ideo putandum est tunc a Patre conditae civitati nomen ejus impositum quando natus est. Ita S. Pater loco nuperrime laudato.

Obj. 3. Apostolus ad Rom. cap. 5. v. 13. et 14. ita scribit: *Usque ad legem enim peccatum erat in mundo: peccatum autem non imputabatur cum lex non esset. Sed regnavit mors ab Adam usque ad Moysen etiam in eos, qui non peccaverunt in similitudinem praevaricationis A-*

dae. Iam vero, antequam daretur hominibus lex, per Apostolum peccatum erat in mundo. Lex autem hominibus data de qua Apostolus loquitur, est lex a Deo data Adamo; neque enim intelligi potest, ut vulgo interpretantur, lex mosaica: quoniam in Textu dicitur ante legem non fuisse imputatum peccatum, quum tamen certum sit ab Adamo usque ad Moysem peccatum imputatum fuisse Adamo ipsi, Caino, Lamecho, Sodomitis, aliisque innumeris. Quare ante Adami tempora erat in mundo peccatum: proindeque homines qui peccarent, licet eis peccatum non imputaretur propter legis carentiam quae primitus data est Adamo. II. Sed admissa etiam allata sacri Textus interpretatione, nihilominus sequitur dari homines qui ab Adamo non descenderint. Nam omnes qui profluunt ab Adamo, ab ipso peccatum contrahunt et mortem. Juxta allatam Apostoli sententiam dantur homines in quibus regnat mors etiamsi non peccaverint in Adam, *Regnavit mors ab Adam usque ad Moysen etiam in eos, qui non peccaverunt in similitudinem praevaricationis Adae*: adeoque dantur homines qui ab Adam originem non habent.

Resp. ad 1. Apostolici testimonii sensus est ante legem non fuisse redarguutum peccatum, non vero nullo modo fuisse punitum. Et principio quidem si Apostoli standum sit auctoritati, jam caussa excidit Peyrerius. Nam in cap. 5. v. 12. inquit Apostolus: *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors*, unius hominis nomine intelligens Adamum, ut ex contextu liquet. Antequam ergo Adam peccaret, peccatum non erat in mundo: adeoque nec homines qui peccarent. Deinde nomine legis Apostolus revera mosaicam legem intelligit juxta vulgatissimam phrasim Scripturae, *Nolite putare, quoniam veni solvere legem. Sicut scriptum est in lege. Nemo ex vobis facit legem*. Dicens itaque Paulus, *Usque ad legem peccatum erat in mundo*, idem est ac si dixerit: Ab Adam usque ad legem mosaicam peccatum erat in mundo. Sed quomodo, inquis, *non imputabatur? Quia lex non erat, qua arguente demonstraretur, sive lex rationis in parvulo, sive lex litterae in populo*, inquit S. P. Augustinus Ep. 157. ad Hilarium. Demum si extitisset ante Adamum peccatum, ut Peyrerius contendit, quomodo impunitum ipsis fuisset? Nonne homines illi habuissent saltem legem naturae? Quare dum dicitur peccatum non fuisse imputatum, intellige non fuisse redarguutum per legem, ut factum est post mosaica tempora.

Ad 2. dico 1. Dantur per Apostolum homines in quibus regnat mors etiamsi in Adam non peccaverint actualiter, non vero originaliter. Ita Augustinus loco paullo ante citato; *Potest et sic intelligi*, Regnavit mors ab Adam usque ad Moysen, et in eos qui non in similitudinem praevaricationis Adae peccaverunt, *quia in semetipsis cum jam nati essent, nec ratione adhuc uterentur, qua ille utebatur quando peccavit, nec praeceptum accepissent, quod ille transgressus est, sed solo originali vitio tenerentur obstricti, per quod eos regnum mortis traheret ad condemnationem*. Et apposite ad Apostoli scopum, qui est indigitare invectam in mundum per Adamum fuisse mortem: quae regnavit in adultis quoniam i-

mitati sunt Adamum, et ipsi peccando actualiter; et regnavit etiam in pueris qui non peccaverunt actualiter, quoniam peccaverunt origiualiter in illo uno homine in quo omnes peccaverunt. Regnavit autem mors usque ad Moysem, hoc est Moysis lege vigente: quum particulae, *donec* et *usque*, etiam subsequens tempus includaut, ut alibi demonstravimus. Atque eo sensu regnavit, *Quod regnum mortis in eis tantum non est, qui Christi gratia renati, ad ejus regnum pertinent*; verba sunt Augustini Ep. laudata. Dico 2. cum eodem S. Patre: *Nonnulli sane codices non habent*, in eos, qui non peccaverunt, *sed*, in eos, qui peccaverunt in similitudinem praevaricationis Adae: *quibus quidem verbis nullo modo iste sensus aufertur. Secundum hoc quippe intelliguntur peccasse in similitudinem praevaricationis Adae secundum quod supra dictum est*, in quo omnes peccaverunt. *Sed tamen graeci codices, unde in latinum Scriptura translata est, illud plures habent quod diximus*.

Obj. 4. Ægyptii Chaldaei ac Sinenses longe antiquiores sunt Adamo. Ægyptii enim portentosam jactant annorum seriem quibus se reges habuisse, initio deos, tum heroas, denique homines. Mira sunt etiam quae de eorum Dinastiis ab Herodoto, Plinio, Diodoro siculo, aliisque narrantur, de quibus vide Salmasium. Chaldaei quoque usque ad Alexandri M. expeditionem quadringenta et septuaginta annorum millia numerabant ex quo sidera observare coepissent, ait Diodorus siculus. De Sinensibus dicam dumtaxat eorum periodum tam veterem esse, ut omnem humanam superare videatur fidem. Vide Scaligerum de Emend. Tempor.

Resp. breviter Ægyptiorum Chaldaeorum Sinensium aliarumque gentium antiquitatem commentitiam esse ac fabulosam. Et quoad Ægyptios spectat, primo quam maxime discrepant inter se in assignanda illorum periodo Scriptores. Secundo, non una penes ipsos fuit annorum forma, cum aliquando annos numeraverint lunares unius mensis, aliquando duorum, tum trium, donec sub Pisone rege quatuor mensium constitutus fuit annus. Tertio in connumerandis quoque Dinastiis omnia plena sunt fabulis, nec eodem modo ab omnibus recensentur. Postremo Dinastiarum anni inter se impliciti erant. De Chaldaeis inquit Julius Africanus: *A Phaenicibus pariter myriades annorum tres jactatas, Chaldaeorumque deliria, nec non quadraginta et octo alias myriades quid memorare necesse est? A Chaldaeis enim per Abrahamum orti Judaei vero Moysis spiritu imbuti ... ex relictis sibi Hebraeorum monumentis annorum quinque millium et quingentorum numerum usque ad salutare Verbi adventum ... tradiderunt*. Contendunt ergo Eruditi Chaldaeos originem ducere a Nembrodo filio Chus qui post universale diluvium vixit an. 131. Ad eadem circiter tempora ortus consignatur sinicae gentis. De quo vide Cupletum et Danielem Huetium aliosque; sed in primis. S. P. Augustinum lib. 15. de Civ. Dei cap. 10. ubi pluribus demonstrat argumentis omnes illas Ægyptiorum Chaldaeorum et Sinarum periodos fabulosas esse, nec aliam mundi chronologiam admittendam praeter illam S. Scripturae. Nonnulla alia quae adversarii objiciunt levioris sunt momenti.

CAPUT II.

De primorum Parentum creatione.

Primus ergo omnium hominum parens et caput, quidquid Auctor praeadamiticae hypothesis somniaverit, fuit Adam, cui quum non inveniretur adjutorium simile sibi, assignavit Deus Hevam, ut ita per marem et foeminam universa gigneretur posteritas. *Non itaque video ad quod aliud adjutorium mulier facta sit viro, si generandi caussa subtrahitur*, ait Doctorum Maximus Augustinus lib. 9. de Gen. ad litt. cap. 7. Quomodo Deus Adamum et Hevam primos nostros parentes formaverit luculentissime expressum est in cap. 2. Gen. *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terrae, et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitae, et factus est homo in animam viventem*. Et haec quoad Virum. *Immisit ergo soporem Dominus Deus in Adam; cumque obdormisset, tulit unam de costis ejus, et replevit carnem pro ea. Et aedificavit Dominus Deus costam quam tulerat de Adam, in mulierem: et adduxit eam ad Adam. Dixitque Adam. Hoc nunc, os ex ossibus meis, et caro de carne mea*. En productio mulieris.

Quae licet manifestissima sint, neque ut intelligantur Apollo indigeant divinatore, non defuerunt tamen docti viri nonnulli qui tenebras splendissimae luci offundentes, aliter ac sacrae litterae narrant, primorum parentum factam fuisse productionem opinantur. Augustinus namque Steuchus eugubinus in Cosmop. Rabbinorum quorumdam somnia sequutus, veritus non est affirmare Hevam quoque integris membris e limo terrae ut Adam fuisse formatam; atque lateri ipsius Adae media una costarum fuisse conjunctam: ex qua singulari opinione sequitur primorum parentum corpus fuisse androgynum, ut docuit quondam Plato. Cumque ab historica narratione Gen. satis reprehendi cognosceret, asseruit historicam illam de Hevae formatione narrationem allegoriam esse atque parabolam.

Praeter corpus, primi nostri Parentes habuerunt etiam animam, spiritualis naturae substantiam, intelligentem volentem atque liberam, non ex praejacente aliquo subjecto ut corpus, sed ex nihilo omnipotente Dei virtute creatam: quod demonstrant illa verba, *Et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitae. Et creavit Deus hominem ad imaginem suam ... masculum, et foeminam creavit eos*. Qua in re neminem dissentientem experimur nisi Origenem qui circa originem animae tum primorum parentum tum hominum reliquorum turpiter dogmatizavit, de quo argumento agemus in subsequentibus. Quoniam vero ex recitatis apparet factum fuisse hominem ad imaginem et similitudinem Dei, inquirere solent Theologi in qua hominis parte Dei imago et similitudo consistat, an in corpore vel in anima, et in qua animae facultate. Manichaei *negant hominem factum esse ad imaginem et similitudinem Dei*, inquit Augustinus lib. 1. de Gen. contra Manichaeos cap. 17. Anthropomorphitae putantes Deum corporeum esse, factum hominem volebant ad imaginem Dei ratione corporis. Statue-

runt alii factum hominem ad imaginem Dei ratione corporis ab ipso Deo assumpti in ipsius hominis formatione; vel ad imaginem corporis a Verbo divino assumendi in plenitudine temporum. Plerique tradunt hominem constitutum ad imaginem secundum animam, quamquam non conveniant an reponenda sit illa imago in facultate intelligendi potius quam volendi, an in libertate vel dominio a Deo in omnes creaturas accepto. Quaenam sit nostra sententia aperient sequentes propositiones.

CONCLUSIO I.

Corpus primorum parentum non fuit androgynum.

Prob. Sententia affirmans corpus primorum parentum fuisse androgynum historicae narrationi sacrae Scripturae aperte repugnat. Nam I. narrat S. Scriptura in cap. 2. Gen. formatum fuisse primo Adamum, deinde Hevam; legitur enim ibi, *Adae vero non inveniebatur adjutor similis ejus*; unde Apostolus in I. ad Timoth. cap. 2. v. 13. *Adam enim primus formatus est, deinde Heva*. II. Narrat sacer Auctor Adamum formatum fuisse de limo terrae, *Formavit igitur Deus hominem de limo terrae*; Hevam autem fuisse ex una Adami costa aedificatam: unde Adam videns Hevam dixit, *Haec vocabitur Virago, quoniam de viro sumpta est*: et Paulus in I. ad Cor. cap. 11. v. 9. *Non enim vir ex muliere est, sed mulier ex viro*: quod in sententia Eugubini falsum esset. III. Ea semel admissa sententia, non minus Adam esset caput mulieris quam Heva caput viri; non minus Heva gloria esset et imago Adami quam Adam gloria et imago Hevae. Hoc autem est contra Fidem Scripturae docentis virum esse caput mulieris, quoniam haec ex illo aedificata est: et eadem de caussa foeminam quoque esse gloriam et imaginem viri.

CONCLUSIO II.

Quae narrantur a Moyse de Hevae ex Adami costa aedificatione, vera historia sunt, non parabola.

Prob. 1. Exponere mosaicum Textum figurate et allegorice, idem est ac contra Fidem historiae et contra regulam penes omnes Theologos receptissimam facere. Et I. est facere contra historiae sacrae Fidem quae inquit: *Et aedificavit Dominus Deus costam quam tulerat de Adam in mulierem* etc. Neque vero est potior ratio sumendi litteraliter quae a Moyse de aliis sex dierum operibus narrantur, quam quae referuntur de formatione Hevae. Imo plura vetant ne ad parabolam historiam hanc detorqueamus. 1. Quoniam alioquin falsum esset Adamum e somno expergefactum dixisse: *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro* etc. 2. Falsum esset quoque Hevam dictam *Viraginem, quoniam de viro sumpta est*. 3. Demum nec verum esset solum virum fuisse e limo formatum, esse caput mulieris,

et mulierem esse gloriam et imaginem viri: haec, inquam, ne historiam illam parabolice accipiamus vetant. II. Detorquere eam historiam ad allegoriam et parabolam est contra communem Theologorum doctrinam qui sequentem ab Augustino lib. 8. de Gen. ad litt. cap. 7. traditam regulam expansis ulnis amplectuntur: *Cum primitus proprie res ipsas intelligere ratio nulla prohibeat, cur non potius auctoritatem Scripturae simpliciter sequimur in narratione rerum gestarum, res vero gestas prius intelligentes, tum demum quidquid aliud significant perscrutantes?* Ast nihil est in mosaica narratione quod ne historiam illam proprie litteraliterque sumamus prohibeat.

Prob. 2. ex PP. Hieronymus Com. in ep. ad Philem. inquit: *Credit quisquam in conditorem Deum? Non potest credere, nisi prius crediderit de Sanctis ejus vera esse quae scripta sunt, Adam a Deo plasmatum: Hevam ex costa illius et latere fabricatam*. Augustinus lib. 9. de Gen. ad litt. cap. 13. quaestionem quam pertractamus, ex professo versat, illamque contra Eugubini sententiam resolvit ita: *Quid ergo sibi vult etiam illud, quod mulier viro de latere facta est? Verum esto propter ipsius conjunctionis vim commendandam hoc ita fieri oportuisse credamus*. Et paucis interjectis: *Non est itaque dubitandum, quoniam haec facta sunt et stulta esse non possunt* etc. Et de Civ. Dei lib. 22. cap. 17. *Creatura est ergo Dei foemina, sicut vir: sed ut de viro fieret, unitas commendata; ut autem illo modo fieret, Christus ... et Ecclesia figurata est*. Mitto alios.

CONCLUSIO III.

Homo factus est ad imaginem Dei, praesertim secundum animam quatenus est intelligens volens libera, et dominium habet in creaturas; illaque imago et similitudo consistit etiam in donis supernaturalium virtutum.

Prob. 1. thes. pars. Ambrosius lib. 6. in Hex. cap. 8. *Non ergo*, inquit, *caro potest esse ad imaginem Dei; sed anima nostra quae libera est, et diffusis cogitationibus atque consiliis huc atque illuc vagatur, quae considerando spectat omnia*. Hieronymus Ep. 146. scribit: *Cetera cum sint liberi arbitrii, juxta quod et homo ad imaginem et similitudinem Dei factus* etc. S. P. Augustinus lib. 1. de Gen. cont. Manich. cap. 17. *Noverint*, inquit, *in catholica disciplina spiritales fideles non credere Deum forma corporea definitum; et quod homo ad imaginem Dei factus dicitur, secundum interiorem hominem dici, ubi est ratio et intellectus: unde etiam habet potestatem piscium maris, et volatilium caeli* etc. Theodoretus Q. 20. in Gen. primo aliorum circa imaginem Dei refert sententias, aitque nonnullos putare hominem ad imaginem Dei factum ratione invisibilitatis animae; alios nimium simplices illam reponere in corpore hominis; complures in eo quod homo de utraque natura spiritali nimirum et corporea participet; multos quod homini datum sit in res

creatas dominium; non paucos in eo quod homo, ut Deus, varia molitur opera; ac tandem ita concludit: *Invenire etiam poterit quispiam imitationem aliam aptiorem, et convenientiorem in anima humana. Habet enim ipsa facultatem rationalem et vitalem in se, et mens quidem producit sermonem* etc. Atque hic similitudinem quamdam in hominis anima invenit Patris et Filii ac Spiritus Sancti, quod alii quoque PP. observarunt, et maxime Augustinus in lib. 12. de Trinit.

SCHOLION

Dixi hominem factum ad imaginem Dei, praesertim secundum animam, quoniam imago Dei aliquo sensu relucet etiam in corpore hominis. Nam totus homo factus dicitur in Scriptura ad imaginem et similitudinem Dei; non enim legitur, *Faciamus animam*: sed, *faciamus hominem* etc. Homo autem ex utraque substantia constat. Unde S. P. Augustinus in lib. 83. Q. Q. 51. inquit: *Corpus quoque hominis, quia solum inter animalium terrenorum corpora, non pronum in alvum prostratum est, cum sit visibile, sed ad intuendum caelum erectum etc. magis in hoc ad imaginem et similitudinem Dei, quam cetera corpora animalium factum jure videri potest*. Lege S. P. in 6. de Gen. ad litt. et in Imp. cap. 26.

Prob. altera pars prop. ex sacris litteris. Paulus ad Colos. cap. 3. v. 10. hortatur nos ut per virtutum exercitium novum induamus hominem, *Qui renovatur in agnitionem secundum imaginem ejus, qui creavit illum*. Johan. in I. ep. cap. 3. v. 2. et ipse hortatur nos ad charitatem, spondens futuros nos in Patria similes Deo: *Cum autem apparuerit, similes ei erimus*. Item Christus Matth. cap. 5. v. 45. ait: *Diligite inimicos vestros ... ut sitis filii Patris vestri*; hoc est ad imaginem et similitudinem Dei. II. ex PP. Origenes lib. 6. cont. Cels. Cyrillus alex. in libro cont. Anthropomorphitas cap. 2. et 3. Chrysostomus pluribus in locis, in sanctitate et justitia hominis imaginem ac similitudinem Dei reponunt. Ambrosius in lib. de Bono mor. cap. 5. *Fugiamus ergo*, inquit, *haec mala, et transferamus animam nostram ad illam imaginem Dei et similitudinem. Fuga malorum similitudo Dei est, et virtutibus imago Dei acquiritur. Ideo qui nos pinxit, quasi auctor pinxit virtutum coloribus*. Alia Patrum testimonia vide apud Petavium de Op. sex. dier. lib. 2. cap. 2.

SCHOLION

Inter praecipua supernaturalia dona cum quibus primus homo ad imaginem et similitudinem Dei conditus est, merito adnumeratur gratia quam in sui creatione Adamus recepit. Cumque duplicis generis illa sit, ut alibi monuimus, habitualis videlicet et actualis, absque ulla haesitatione pronunciamus utramque primo homini fuisse collatam. Id tamen quoad gratiam habitualem credere non tenemur tamquam articulum Fidei; quum nec definitum umquam sit ab Ecclesia, nec aperte in Scripturis legatur,

et contrarium defendant plures Theologi. Quoad vero gratiam actualem, fuit illa versatilis, et a libero arbitrio plane dependens. Sed de his egimus lib. 18. de statu in quo conditi fuerunt Angeli pertractantes, quem locum consulite; quum eadem Angelorum ac primi hominis conditio fuerit, idem argumentum versabimus in libro de Gratia, ubi demonstrabimus in statu naturae innocentis haud necessariam fuisse ad perseverandum gratiam ex intrinsecis suis efficacem.

Nunc objectamenta nonnulla diluenda sunt. Opponunt ergo I. Moyses in cap. 1. Gen. v. 22. narrat Deum simul creasse Adamum et Hevam, illisque statim benedixisse. *Masculum, et foeminam creavit eos, benedixitque illis dicens: Crescite, et multiplicamini*. Adeoque primorum parentum corpus fuit androgynum. II. Quod cap. 2. describatur Hevae aedificatio ex costa viri, id porro intelligendum est de divisione inter foeminae et viri corpus facta. III. In illorum sententia qui aedificationem corporis Hevae litteraliter explicant, plura sequuntur absurda. Puta, quod bis mulier fuit aedificata, quando scilicet creata fuit una cum viro, et quando fuerit ex costa Adami constructa: quod benedixerit Deus mulieri non existenti; quum benedictio illa, *Crescite, et multiplicamini*, cap. 1. recenseatur: quod non potuerit illam Deus adducere ad Adamum si ex illius costa fuisset aedificata: et quod corpus Adae monstruosum, unaque costa mutilum fuisset.

Resp. ad 1. realem Hevae formationem in specie sua describi a Moyse cap. 2. Cumque quae ad historiam pertinent nisi gravis urgeat necessitas explicari non possint parabolice, illa Hevae aedificationis narratio nequit de corporis foeminae a corpore viri intelligi divisione. In cap. autem 1. narratur creatio primorum parentum in rationibus seminalibus, ut libro superiori probatum est. Praeterea, qui sententiam de simultanea rerum creatione non tenent, respondent conditum revera Adamum sexta naturali die, tum repositum in paradiso, deinde immissum in eum soporem, atque aedificatam fuisse mulierem; bis autem primorum parentum narrari formationem per recapitulationem juxta morem sacrae Scripturae; in primo capite strictius, in altero fusius.

Ad 2. In nostra sententia bis, sive ut verbis utar Augustini lib. 6. de Gen. ad litt. cap. 6. tunc et postea, mulier producta fuit: sed postea *visibiliter, sicut species humanae constitutionis nota nobis est*; tunc autem *invisibiliter, potentialiter, caussaliter, quomodo fiunt futura non facta*. Vide Augustinum loco citato. Juxta vero sententiam aliorum, semel formata fuit Haeva, sed bis ejus commemoratur formatio more Scripturae, ut mox animadvertimus: sicque nullum ex recensitis sequitur absurdum. Cumque Deus ex costa viri mulierem aedificaverit procul ab Adamo, vel extra vel intra Paradisum, merito scribere potuit Moyses: *Et adduxit eam ad Adamum*. Neque vero monstruosum aut mutilum fuit corpus Adami ex quo una ex costis detracta fuerit a latere ejus: tum quoniam Deus *replevit carnem pro ea*: tum etiam quia necessarium fuit ut ita res se haberet ex quo decreverat Deus ex latere viri mulierem aedificare, ut observat S. Thomas 1. p. q. 92. ar. 3. ad 2.

CAPUT III.

De origine animae tum primi nostri Parentis, tum ceterorum hominum.

Origenes qui *omnium pene haereticorum magister evasit*, ut post Hieronymum inquit Vincentius lerinensis Comm. cap. 22. inter cetera errorum suorum deliramenta et illud excogitavit, quod primi Parentis ac reliquorum hominum animae, nequidem illa excepta quam Verbum divinum assumpsit, jamdiu et aute mundi creationem a Deo conditae fuerint. Imo non alia de caussa mundum productum fuisse opinatus est, nisi ut animae quas in altera vita peccasse arbitrabatur, in corpora humana tamquam in carcerem ad luendam patrati sceleris poenam detruderentur. Sequuti sunt Origenem Priscillianistae nonnullique alii haeretici.

Sed commentum istud semper execrata est Ecclesia firma Fide tenens non praeexistere corporibus animas. Unde vero originem habeant, quaestio olim fuit obscurissima et ad discernendum difficilis. Augustinus cui plures subscripsere latini Patres, asseruit aliquando animas hominum, excepta illa primi nostri Parentis, fieri *ex traduce*, hoc est ab animabus generari parentum; sicuti corpora, proportione servata, a corporibus traducuntur. Deinde ad mortem usque dubitavit an fiat revera ex traduce, vel potius creetur a Deo ex nihilo et corpori infundatur. Innumeri latini Patres dubii fuere semper et ipsi cum Augustino de hac quaestione. Sed Patres bene multi praesertim graeci et Theologi omnes tenent non minus animam Adami quam reliquorum hominum fieri reapse ex nihilo. Res ergo hoc in capite est dijudicanda, et quod haereticum est refellendum, quod vero catholicum exponendum et confirmandum; unde sit

CONCLUSIO I.

Anima Adae creata fuit ex nihilo statim ac formatum a Deo illius corpus fuerat; reliquae autem hominum animae haud extiterunt ante corpora, ut somniavit Origenes.

Prob. 1. thes. pars. Gen. cap. 2. haec narrat Moyses: *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terrae, et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitae, et factus est homo in animam viventem.* Et S. P. Augustinus lib. 10. de Gen. ad litt. explicans illud Ecclesiastis, *Et revertatur pulvis in terram suam unde erat, et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum*, ait: *Quo testimonio sane satis admonemur, ex nihilo Deum fecisse animam, quam primo homini dedit, non ex aliqua jam facta creatura, sicut corpus ex terra: et ideo cum redit, non habet quo redeat, nisi ad auctorem qui eam dedit; non ad eam creaturam, ex qua facta est, sicut corpus ad terram.* His accedit quod si anima Adae extitisset ante corpus, vel amavisset Deum vel creaturas: adeoque vel me-

ritum vel demeritum sibi comparasset, quod est contra Apostolum docentem non judicandum esse hominem nisi de iis quae in proprio corpore gessit.

Prob. altera prop. pars. ex eodem Apostolo qui docet 1. Jacob et Esau nihil boni aut mali egisse antequam nascerentur. *Cum nondum nati essent, aut aliquid boni egissent aut mali*, inquit in ep. ad Rom. cap. 9. Quapropter animae hominum antequam hanc lucem aspiciant mortalem, in altera vita non peccarunt, ut Origenistae contendunt. 2. Docet unumquemque, ut mox ajebam judicandum fore secundum ea quae in corpore gessit: *Ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum sive malum*, ait in II. ad Cor. cap. 5. Apostolus: Igitur antequam animae in corpora dilaberentur, nec bonum nec malum egerunt; neque enim in altera vita absque actione vixissent. 3. Tradit tunc homines principio peccasse quando Adam transgressus est legem: *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit ... in quo omnes peccaverunt*, scribit ad Rom. cap. 5. quod falsum esset si animae in altera vita extitissent atque peccassent. II. Ex absurdis quae in sententia Origenistarum sequuntur. Et 1. sequeretur mundum conditum a Deo fuisse non ad suam bonitatem manifestandam, ut Gen. cap. 1. legitur, *Vidit Deus cuncta quae fecerat, et erant valde bona:* sed ad patefaciendam potius justitiam suam; quum Origenistae affirment eo fine mundum fuisse a Deo creatum, ut esset velut carcer animarum ad scelera in altera vita patrata luenda. 2. Gravius puniret Deus illos qui levius peccarunt. Gravius siquidem peccarunt daemones juxta Origenem: quibus tamen ait assignatum fuisse corpus dumtaxat aëreum, quod minus tenebricosum est corpore terreno animabus destinato. 3. Sequeretur animam humanam non esse formam corporis, uti revera esse non modo ex can. 6. concilii Bracarensis, sed ex ipsa naturali ratione constat: sed corporis potius ancillam; quum in illud tamquam in carcerem ob patrata scelera detrudatur. Alia plura sequerentur absurda quae legi possunt apud Augustinum lib. 11. de Civ. Dei cap. 23. lib. adv. Priscillianistas cap. 8. et ep. 28. ad Hieron.

CONCLUSIO II.

Etsi anima humana non propagetur semine corporali, tamen an creetur ex nihilo, vel fiat ex traduce prudenter dubitavit S. Augustinus.

Prob. 1. pars prop. I. Anima humana substantia est natura sua spiritualis et cogitans: illudque proprii habet, ut innumeras rerum imagines in se complectatur, interiori lumine quidquid sensus non attingit conspiciat, et invisibilia atque divina percipiat. Substantia autem ejusmodi nequit a corpore originem ducere ac propagari; quum corpus in sui notione nil aliud praeter extensionem motum quietem aliasque sensibiles proprietates complectatur. II. Auctoritate M. Augustini qui lib. 10. de Gen. ad litt.

cap. 12. *De ceterarum*, inquit, *animarum adventu, utrum ex parentibus an desuper sit, vincant qui potuerint: ego adhuc inter utrosque ambigo et moveor, aliquando sic, aliquando autem sic, salvo eo dumtaxat, ut vel corpus esse animam, vel aliquam corpoream qualitatem sive coaptationem, si ita dicenda est, quam Graeci* ἁρμονίαν *vocant, non credam, nec quolibet ista garriente me crediturum esse confidam*.

Prob. altera pars thes. Prudenter de aliqua re dubitat qui nullum certum habet ad eam adstruendam vel denegandam argumentum: S. autem P. Augustinus nullum certum habuit argumentum quo animam ex nihilo creari persuaderetur. Et sane argumenta quae sua aetate a Theologis afferebantur ad demonstrandam animae creationem ex nihilo, haec erant. Primo itaque Victor ad renvincendum animas sic a Deo fieri ut non sint ex propagine, afferebat illud Isaiae cap. 42. v. 5. *Haec dicit Dominus Deus qui fecit caelum et fundavit terram, et quae sunt in ea, qui dat flatum populo super terram, et spiritum calcantibus eam*. 2. Afferebat illud pariter Isaiae cap. 57. v. 16. *Spiritus enim a me exiet, et omnem flatum ego feci*. 3. Citabat illud Zachariae cap. 12. v. 1. *Qui fingit spiritum hominis in ipso*. 4. Illud II. Machabaeorum cap. 7. v. 22. *Filii, nescio quomodo paruistis in ventrem meum. Neque enim ego spiritum et animam donavi vobis, nec singulis vobis vultus et membra formavi: sed Deus qui fecit mundum et omnia quae in eo sunt, fecitque hominum genus, et omnium inquirit actum, et ipse vobis spiritum et animam reddet cum magna misericordia*. 5. Proferebat illud Act. cap. 17. v. 25. *Cum ipse det omnibus vitam et spiritum;* idest, *Det*, *non dedit*, sic arguebat Victor, *ad infinitum et juge tempus revocans, non de praeterito et perfecto pronuntians. Et quod sine cessatione dat, semper dat: sicut semper est ipse qui dat*. 6. Denique producebat illud Gen. cap. 2. v. 23. *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea*, putans Victor si animae ex traduce forent dicere Adam debuisse, *Anima ex anima mea, vel spiritus de spiritu meo, si etiam hoc de illo tractum esset*. Sed haec omnia non invicte probare animas non esse ex traduce sive propagine demonstrat ipsemet S. Doctor lib. 1. De anima et ejus origine cap. 14. et sequentibus, inquiens ad primum: *Sed si anima et spiritus hominis et hic intelligendus est*, (et non potius Spiritus Sanctus,) *sicut non dubitandum est quod eum Deus det; ita quaerendum est adhuc unde det, utrum ex propagine, sicut ipse quidem dat, sed tamen ex propagine dat corporis membra; an vero novum, neque propagatum singulis insufflando distribuat*. Ad secundum reponit: *Quod dictum est*, Omnem flatum ego feci, *de omni anima dictum negari non potest. Sed omne etiam corpus ipse facit: quod autem ex propagine corpus humanum faciat, nullus ambigit. Ac per hoc de anima, cum eam constet ab illo fieri, unde eam faciat, utrum ex propagine sicut corpus, an insufflando sicut primam fecit, adhuc utique requirendum est*. Ad tertium non absimili modo respondet, *Sed unde eum fingat, hoc quaeritur ... utrum* scilicet *nova insufflatione, an tractum ex propagine. Nam et corporalem*

hominis oculum, ipse inquit, *quis nisi Deus fingit? Et puto quod non extra, sed in ipso; et tamen, ut certum est, ex propagine*. Ad quartum haec reponit: *Novimus haec quidem, sed huic quomodo suffragentur ad id quod asserit non videmus. Quis enim Christianorum neget Deum donare hominibus animam et spiritum? Sed eodem modo existimo istum negare non posse, Deum donare hominibus linguam, aurem, manum, pedem, omnesque corporis sensus, et omnium formam naturamque membrorum ... Sed sicut constat ex propagine ab illo haec fieri atque donari: ita quaerendum est etiam, spiritus et anima hominis unde ab illo efficiatur, a quo efficiente donetur, utrum ex parentibus, an ex nihilo*. Ad quintum sic breviter se expedit: *Ipse quippe dat, etiam si de propagine dat*. Ad sextum respondet: *Illi qui propaginem asserunt animarum hinc se putant invictius suam munire sententiam, quia cum scriptum sit, detraxisse Deum costam de latere viri, eamque aedificasse in mulierem non est additum, quod in ejus faciem sufflaverit flatum vitae: ideo, inquiunt, quia jam de viro fuerat animata ... Ad illud vero quod ait Adam*, Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea, *nec ait, spiritus vel anima, de spiritu meo vel de anima mea: sic ab eis responderi potest ... ut a parte totum intelligatur hoc dictum*, os et caro mea; *sed quae animata fuerint, detracta, non mortua*. In lib. 10. de Gen. ad litt. producit alia quaedam testimonia, ut sunt illud Eccl. cap. 12. v. 7. *Et revertatur pulvis in terram suam unde erat, et spiritus redeat ad Deum qui dedit illum*; et illud ad Rom. cap. 5. v. 12. *Per unum hominem* etc. Sed et illa ostendit inter utramque opinionem consistere, nec sententiam de animarum propagine penitus excludere. Ratiocinationes quas ibi affert sanctissimus Pater non valde distant ab his quas supra attulimus; quapropter ab his citandis supersedeo. Fundamenta itaque a Theologis ad demonstrandam animae creationem ex nihilo tempore Augustini afferri solita, non tanti ponderis erant ut certam sententiam illam redderent.

Imo etiam nunc S. P. Augustinus assensum suspenderet suum. *Et tunc tantum gratias ageret cum certum modum proponerent, quo data creatione animarum, peccati originalis propagatio adeo evidenti ratione constaret, ut modus ille a nemine rejici posset*, inquit Card. Norisius in Vindic. cap. 4. par. 3. Nam ea praesertim de caussa dubius erat circa animarum originem S. Doctor, quoniam admissa creatione ex nihilo, difficile admodum adversus Pelagianos originalis peccati demonstrari potest transfusio. Ast non meliorem post Augustinum invenere Theologi modum proximam explicandi caussam originalis peccati, ut sequenti libro videbimus. Deinde alio etiam ex capite non deponeret modo Augustinus dubium suum. Etsi namque nonnulla alia expiscaverint Theologi argumenta ad probandam creationem animarum ex nihilo; ea tamen non melioris sunt notae ac illa quae S. Patris aetate afferri solebant. Et sane. Quoad Scripturas, nunc praeter illa a nobis recitata illud urgeri solet quod habet Apostolus ad Hebr. cap. 12. v. 9. *Patres quidem carnis nostrae eruditores habuimus, et reverebamur eos: non multo magis obtemperabimus Patri spirituum,*

et vivemus ? Verum testimonium hoc minoris potius est aliorum ponderis. Non enim ideo Apostolus Deum patrem spirituum appellat quod continuo animas ereet; alioquin nulla esset inter patrem spiritus et carnis antithesis, quum Deus animae et carnis ex aequo creator sit: sed dicit Deum patrem spirituum, quia ab ipso solo sunt dona Spiritus S. juxta illud Jacobi, *Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est descendens a Patre luminum.*

Afferre solent praeterea Scholastici Traditionem: sed vereor ne magis illa propagini quam creationi faveat animarum. Nam saeculo IV. Rufinus aquilejensis in ep. ad Anastasium testatur coram Deo *se definiti aliquid de hac quaestione non tenere*. S. ipse Hieronymus qui acerrime pro animarum creatione decertabat, in ep. ad Marcellinum non diffitetur fuisse sua aetate hanc *maximam ecclesiasticam quaestionem*. Et apud Augustinum ep. 167, affirmat *occidentalem Ecclesiam solere sentire traducem animarum*. Imo ingenue tandem fassus est dubiam esse hanc quaestionem. Unde ad Augustinum scribens inquit: *Unusquisque in sensu suo abundet*. Saeculo V. Eucherius lugdun. Com. in cap. 3. Gen. ajebat: *Haec quaestio in definiendo difficilis est, quia nihil a sanctis viris vel Scripturarum auctoritate manifestius pronunciatum est*. Eadem habet Pomerius lib. 4 de anima apud Gennadium De viris illust. cap. 98. Saeculo VI. Patres africani in Sardinia relegati de hac quaestione consulti, dubiam illam in ep. Synod. reliquerunt: *Quia*, inquiunt, *sive animae ex propagine veniant sive novae singulis corporibus fiant, quod sanctarum Scripturarum auctoritas non manifeste pronunciat, cum cautela debet inquiri maxime quod sine Fidei discrimine potest a Fidelibus ignorari*. Idipsum tradit Fulgentius lib. 3 De verit. praed. et gratiae cap. 20. et Cassiodorus cap. 14. lib. De anima. Saeculo VII. celebrior adhuc dubitatio de origine animae evasit. Nam Gregorius M. in ep. ad Secundin. *Sed hac de re*, inquit, *dulcissima mihi tua caritas sciat, quia de origine animae inter sanctos Patres requisitio non parva versata est; sed utrum ipsa ab Adamo descenderit, an certe singulis detur, incertum remansit, eamque in hac vita insolubilem fassi sunt esse quaestionem; gravis enim quaestio est, nec valet ab homine comprehendi*. Isidorus hispalensis lib. 2. De Offic. Eccl. cap. 23. inter Fidei regulas recenset *quod incerta sit animae origo*. Mitto Prudentium Iricassinum qui saec. VIII. et IX. floruit, Anselmum, Hugonem a S. Victore, aliosque. Argumento itaque a Traditione deducto S. P. Augustino haud persuaderetur animam absolute creari ex nihilo.

Sed neque dubietatem deponeret si ad theologicam provocaretur rationem: quum non modo sua aetate sed subsequentibus quoque temporibus non defuerint Theologi viri complures qui affirmaverint dari materiam quamdam spiritalem ex qua Angeli et spiritus humani compositi sint. Et quamvis materia isthaec spiritalis inintelligibilis visa sit Augustino, demonstrari potest non repugnare. Qua fronte ergo Moraiuius errasse blaterat Augustinum quod de animae origine dubitaverit? Neque melius

loquutus est Bellarminus lib. 4. De amis. Grat. cap. 2. dicens : *Certe si S. Augustinus nunc inter homines viveret, non solum faveret, sed etiam gratias ageret iis qui nostram hanc sententiam tuerentur*. Gratias utique ageret, si aliquod maximi momenti inventum fuisset a Scholasticis ad id comprobandum argumentum : quod factum non esse ex hactenus disputatis apparet.

COROLLARIUM

Facile est ex dictis colligere hanc de animarum origine quaestionem an ex traduce vel ex nihilo fiant, ad Fidem non pertinere. Nam neque ex Scripturis neque ex Traditione neque ex theologica ratione invicte demonstrari potest animam ex nihilo creari. Ac praeterea si Fidei dogma esset a Deo revelatum, Augustinus, Gregorius, Fulgentius aliique supra commemorati Patres de illa quaestione nusquam tam fidenter elegissent dubitare. Non est ergo audiendus Bellarminus affirmans opinionem de traduce animarum esse exploratum errorem : ad Ecclesiam enim, non ad privatum theologum spectat definire aliquam sententiam esse de Fide. Ast nullam hac in re Ecclesiae definitionem habemus. Castigatius certe loquitur Estius dist. 17. lib. 2. par. 14. ubi docet quaestionem hanc ad Fidem non pertinere : quod multis demonstrat, addita denique Victorini Alphonsi, et S. Thomae auctoritate. Addamus et nos auctoritatem gravissimorum theologorum, Cardinalis Norisii et Jo. Laurentii Berti.

Contraria argumenta solvuntur.

Obj. 1. cont. 1. th. Etsi S. P. Augustinus crediderit animam Adae fuisse ex nihilo conditam, non credidit tamen creatam fuisse statim ac formatum fuit corpus. Nam in lib. 7. de Gen. ad litt. cap. 24. *Credatur ergo*, inquit, *hominem ita factum sexto die, ut corporis quidem humani ratio caussalis in elementis mundi, anima vero jam ipsa crearetur, sicut primitus conditus est dies, et creata lateret in operibus Dei, donec eam suo tempore sufflando, hoc est inspirando, formato ex limo corpori insereret*.

Resp. Haec scripsit S. Pater dubitando, non absolute pronuntiando, ut agentes de simultanea rerum creatione animadvertimus. Augustinianae enim de simultanea creatione sententiae adversari videtur creatio animae primi parentis quae facta non videtur cum ceteris rebus. S. Doctor itaque modum conciliandi haec cum sua sententia quaerens, ait animam Adae debuisse vel latere in seminalibus rationibus materiae, vel in ratione primordiali Angelorum, vel creari cum ceteris rebus ex nihilo et in operibus Dei latere, donec extra sex illos dies humanum corpus de limo terrae formaretur. Primum, ait S. Pater cap. 22. ejusd. libri, dici non potest, quoniam anima spiritualis est. Sed neque dici potest alterum, addit cap. 23. quoniam anima non est filia Angeli. Cap. autem 24. inquit tolerabiliorem esse opinionem affirmantem latuisse animam jam creatam in

operibus Dei antequam formaretur corpus; idque teneri posse, *si nulla Scripturarum auctoritas seu veritatis ratio contradicit*. Ac tandem cap. 27. ita concludit: *Nunc tamen de anima, quam Deus inspiravit homini, sufflando in ejus faciem, nihil confirmo, nisi, quia ex Deo sic est, ut non sit substantia Dei; et sit incorporea* etc. Nonnisi ergo dubitando tradidit Augustinus animam Adami conditam fuisse ante corpus. Ceterum in lib. 12. de C. D. cap. 23. docet animam Adae creatam potius fuisse formato jam corpore; scribit enim: *Et cum virum terreno formasset ex pulvere, eique animam qualem dixi, sive quam jam fecerat sufflando indidisset, sive potius sufflando fecisset* etc.

Obj. 2. cont. eamd. prop. De Salomone Sap. cap. 8. v. 19. et 20. legitur fuisse bonum antequam veniret ad corpus: *Puer eram ingeniosus, et sortitus sum animam bonam, et cum essem magis bonus, veni ad corpus incoinquinatum*: Adeoque animae praeexistunt corporibus.

Respondeo cum Augustino cap. 17. lib. 10. de Gen. ad litt. (si objecta verba accipienda sint de anima Sapientiae Auctoris, et non potius de Domino secundum *humanam, quae a Verbo assumpta est, creaturam*;) ideo dici bonum antequam veniret ad corpus, quia venit vel descendit *a Deo mittente animas*. Vel in eorum sententia qui animas ex traduce creari asserunt, ideo dici bonum, ingeniosum, sortitumque animam bonam, quia bono ex paterno ingenio vel corporali temperamento descendit: quo sensu dicitur venire ad corpus incoinquinatum, videlicet maternum, incoinquinatum a cruore menstruo vel a contaminatione adulterina: Numquam autem juvare causam Origenistarum; quia bonus *utique non differentia morum, quia nullum antea vitae gestae meritum*, ait Augustinus loco citato.

Obj. 3. cont. alt. th. Si anima corporali semine non propagetur, independens erit a corpore, quod dici non potest. Nam ex corporis passionibus dolet anima, et eo pereunte, e vita recedit. II. Anima est forma corporis cum quo unum constituit per se: atque adeo educi debet ex potentia materiae sicut in omnibus aliis accidit materialibus formis. III. Denique anima inducitur in corpus per generationem, nec sine illa est forma corporis: Semen itaque corporeum, non creatio illam producit.

Resp. ad 1. Deum hoc ab initio statuisse ut anima ex nihilo ad informandum corpus crearetur; eaque de caussa animam inter et corpus legem constituit, ut ad corporis motum anima, et ad animae motum corpus moveretur. Hinc anima ab omnibus post Augustinum definitur: *Substantia cogitans regendo corpori accommodata*. Quare anima pendet a corpore non ut existat, sed ut forma sit corporis: ut illud regat, moveat, atque dirigat. Et quoniam inter utramque substantiam naturalis, ut diximus, intercedit societas, ex corporis passionibus dolet anima, et corpore pereunte anima contristatur: tum quia solvitur naturalis nexus: tum maxime quia peccatum contraxit originale.

Ad 2. Ex quo anima sit naturalis forma corporis, minime sequitur educi illam de potentia materiae. Nam anima spiritualis est, non extensa et corporea ut ceterorum sunt formae animantium. Supponenda itaque est

Dei lex quae statuerit, ut spiritualis substantia corpori per generationem formato, ad illud movendum atque regendum infunderetur.

Ad 3. Haec est a Deo sancita lex, ut humano corpori per generationem conflato, anima spiritualis e nihilo tunc educta infunderetur ad illud movendum ac dirigendum. Plura alia objicit hujus furfuris Antonius quidam Roccus in lib. De immort. animae, quae soluta vide apud Laurentium Berti.

Obj. 4. cont. eamd. prop. S. P. Augustinus priorem de origine animarum dubitationem tandem retractavit. Nam in ep. 190. alias 157. ad Optat. quae post libros de Gen. ad litt. scripta est, inquit: *Itemque illi qui propaginem animarum inconsiderata temeritate defendunt* etc. Et paullo supra de Tertulliano qui traducem admittebat animarum loquens, dixerat: *Quo perversius quid dici potest?* II. S. Hieronymus sententiam affirmantem animarum ex nihilo creationem appellat *ecclesiasticum dogma*. III. Leo M. in epist. ad Turib. cap. 10. ita scribit: *Catholica Fides constanter praedicat atque veraciter, quod animae hominum priusquam suis inserantur corporibus non fuere, nec ab ullo incorporentur nisi ab opifice Deo qui ipsarum est creator et corporum*. IV. Idem S. Pontifex in ep. 11. ad Julian. de anima Christi inquit: *Nec alio illi quam ceteris hominibus anima est inspirata principio, quae excelleret non diversitate generis, sed sublimitate virtutis*. Cumque anima Christi condita fuerit ex nihilo, consequitur et reliquas hominum animas e nihilo educi. Possunt et alii Patres praesertim graeci advocari qui animas a Deo creari dissertissime affirmant.

Resp. ad 1. Nonnulli Augustini aetate erant qui non dubitabant, sed absolute definiebant et audacter propugnabant propaginem animarum sententiam illam tamquam certissimam tradentes. Hos reprehendit allatis priori loco verbis S. Doctor dicens: *Ubi res naturaliter obscura nostrum modulum vincit, et aperta divina Scriptura non subvenit, temere hinc aliquid definire humana conjectura praesumit*. Putabant enim illi qui in objectione positi sunt, ut ibi legitur, inter alia testimonia quae suae caussae suffragari arbitrantur, nullum quasi manifestius et expressius pro se posse proferre quam id quod in Genesi scriptum est: *Omnes autem animae, quae introierunt cum Jacob in Ægyptum, qui exierunt de femoribus ejus* etc. Sed hoc testimonium certe quasi tam clarum atque manifestum *enodandae huic quaestioni non sufficeret*, inquit beatissimus Pater, *nec si ita legeretur genere foeminino*, quae *exierunt de femoribus ejus*. Ex quibus apparet illos refutare qui contentiose nimis animarum substinebant propaginem, non illos reprehendere qui cum temperamento aliquo ejusmodi opinionem tuebantur. Nec possumus aliter exponere Augustinum. In ea enim epistola, ut legenti constat, ubique haeret dubius. Pro qua tuenda sententia sufficiant quae hic subnectimus: *Quarum autem rerum atque caussarum*, ipse ait, *consideratione permovear, ut in neutram assertionem meus inclinetur assensus, sed adhuc inter utramque disceptem, nimis longum est in hac epistola expromere*: *nec tam necessarium, ut*

hoc omisso non possit de hac quaestione quod satis est disputari, etsi non ad auferendam cunctationem, certe ad cavendam temeritatem. In aliis autem allatis verbis redarguit Tertullianum affirmantem animam esse corpoream, proindeque semine traduci corporali; unde ait ibidem: *Nam et illi qui animas ex una propagari asserunt, quam Deus primo homini dedit, atque ita eas ex parentibus trahi dicunt, si Tertulliani opinionem sequuntur, profecto eas non spiritus, sed corpora esse contendunt, et corpulentis seminibus oriri: quo perversius quid dici potest?*

Ad 2. Falsum est Hieronymum opinionem de animarum creatione dogma ecclesiasticum appellare. En S. Patris verba in ep. ad Pammach. *An certe (quod ecclesiasticum est) secundum eloquia Salvatoris, Pater meus usque modo operatur, et ego operor: et illud Isaiae, Qui format spiritum hominis in eo: et in Psalmis, Qui fingit per singulos corda hominum, quotidie Deus fabricetur animas* etc. Ex quibus apparet non sententiam de animarum creatione sed Scripturae testimonia appellari a Hieronymo quid ecclesiasticum. Verum Scripturae illa testimonia commode explicari ab Augustino Hieronymus ipse fatetur. Quare idem Hieronymus affirmat Ecclesiasticos Occidentis ut plurimum defendere traducem, et ad Augustinum scribit: *Unusquisque in sensu suo abundet.*

Ad 3. Verba ipsa in argumento laudata satis superque demonstrant Leonem M. sententiam ibi refellere Origenistarum; quum dicat de Fide esse quod *animae hominum priusquam suis insererentur corporibus, non fuerunt*. Subdit praeterea Deum animarum ac corporum ex aequo esse creatorem. Ast vero ex quo sit creator corporum, non consequitur corpora non fieri ex traduce: idipsum ergo dici posset de anima.

Ad 4. Per illa verba, *Nec alio illi quam ceteris hominibus anima est inspirata principio*, S. Pontifex non intelligit caussam animae Christi productivam, quasi velit eodem modo ceterorum animas hominum fieri ac facta fuerit anima Christi: sed significare vult principium durationis, hoc est: quod quemadmodum in reliquis hominibus, ita et in Christo anima coepit esse una cum corpore. Idque apposite ad scopum suum: nam refellit ibi Eutychianos cum Origene delirantes animam Christi extitisse ante corpus. Unde inquit ibidem: *Arbitror enim talia loquentem hoc habere persuasum quod anima quam Salvator assumpsit, prius in caelo sit commorata quam de Maria Virgine nasceretur eamque sibi Verbum copularet.* Quomodo autem defensores propaginis demonstrarent ceterorum hominum animas per traducem fieri, illam vero Christi Domini fuisse ex nihilo conditam, vide apud Augustinum lib. 10. de Gen. ad litt. cap. 20. Quoad reliquos Patres quorum urgeri posset auctoritas, nos non diffitemur totum fere Orientem pro animarum stetisse creatione. Sed quum penes Occidentales communis fuerit sententia de traduce, consequens fit nec Augustinum imprudenter dubitasse, nec ad Fidem spectare an uno vel alio modo credatur: quod ad praesens spectat institutum. Nam ob Scholasticorum auctoritatem non diffiteor probabiliorem esse sententiam de creatione quae modo communis est.

CAPUT IV.

De dotibus ad intellectum voluntatem et corpus hominis innocentis spectantibus.

Non loquimur hic de Gratia, sive habituali sive actuali, qua in prima conditione intellectus ac voluntas Adami fuere adornata; de his enim partim disseruimus agentes de Angelis, et fusius agemus in opusculis nostris de Gratia: loquimur dumtaxat de immunitate tum ab errore, tum a pravis animi passionibus. Quae immunitas si initio fuit in Adamo, non levibus sane praeditus fuit dotibus. Et quoad corporis pertinet dotes, spectamus solummodo illius immortalitatem: atque inquirimus num et quomodo in illo fuerit. Quid autem de his nos sentiamus sequentes aperient propositiones: contra quas nemo mussitare nisi Pelagianus audebit, qui Adamum factum a Deo fuisse docet sicut quilibet nunc nascitur homo. Sit ergo

CONCLUSIO I.

Homo innocens talem habuit scientiam infusam ut errare non potuerit.

Prob. prior th. pars ex Scriptura quae docet hominem innocentem dominium in universam habuisse naturam: *Dominamini piscibus maris et volatilibus caeli, et universis animantibus, quae moventur super terram.* Porro tale dominium scientiam importat rerum omnium infusam. Quomodo enim dominari potuisset rebus quarum naturam non cognovisset? Hinc rebus omnibus corporeis nomen illorum naturam exprimens imposuit.

Prob. alt. pars. Si homo innocens errare potuisset, profecto debuisset errare in iis quae vel sciebat vel ignorabat. In neutris autem errare poterat. Non in iis quae sciebat, quum illa didicerit a Deo fallere et falli nescio. Sed neque in iis quae nesciebat: tum quia quum sapientissimus esset, assensum non poterat praecipitare: tum quoniam decipi non poterat a sensibus qui ipsi subjiciebantur, sicut ipse subditus erat Deo; neque ab hominibus, quia solus erat; non ab Angelis sanctis, ut per se manifestum est; neque tandem a daemone, quum ei notus esset tamquam pater mendacii.

CONCLUSIO II.

In homine innocente non fuerunt neque passiones quae malum poenae aut malum culpae respiciunt.

Prob. prima pars th. Passiones quae malum respiciunt poenae, sunt dolor et timor. Caruit autem innocens homo dolore et timore. Caruit initio timore: dicente M. Augustino lib. 14. de Civ. Dei cap. 10. *Quid autem timere aut dolere poterant illi homines in tantorum tanta afflu-*

entia bonorum , ubi nec mors metuebatur , nec ulla corporis mala valetudo ? Caruit et dolore: quandoquidem nihil *inerat quod carnem animumve hominis feliciter viventis offenderet ... Erat devitatio tranquilla peccati , qua manente nullum omnino aliunde malum , quod contristaret irruebat .*

Prob. altera pars . Passiones quae malum respiciunt culpae , sunt motus concupiscentiae quae est potentiarum animae perturbatio voluntatem ad actum rationi oppositum inclinans : cujus tamen concupiscentiae motus animae potentias perturbantes et voluntatem ad actum rationi oppositum inclinantes in Adamo innocente non erant . Nam si ea inclinatio in eo fuisset , vel ei restitisset vel non . Si hoc , peccasset . Si illud , pugnasset . In Adamo autem innocente neque peccatum fuit neque pugna. Audias Augustinum Operis imperfecti contra Julianum lib. 4. cap. 37. *Haec discordia carnis et spiritus in paradiso , si nemo peccasset , absit ut esse potuerit* . Et lib. 6. cap. 14. *Pax vero , ubi non eas adversantes repugnantesque patiamur , fuit in corpore vitae illius , quam natura vitiata primi hominis praevaricatione perdidimus* . Et paucis interjectis : *Nos autem dicimus tam beatum fuisse illum hominem ante peccatum ... ut ... resistentem sibi carnem nullo certamine pateretur , nec aliquid omnino ex aliqua cupiditate sentiret* , Dum antea dixerat : *Nos enim dicimus in illa beatitudine nullam fuisse cupiditatem, quae resisteret voluntati*. Et lib. 1. cap. 69. jam scripserat : *Quod certamen* (cum vitiis interioribus , propter corpus quod aggravat animam) *utique non fuisset in illo beatae pacis loco ... si nemo peccasset . Non enim corpus mortis hujus ibi esset ... Sed corpus vitae illius , ubi non caro concupisceret adversus spiritum , ut necesse esset spiritui concupiscere adversus carnem ; sed felici utriusque concordia natura laetaretur humana* . Haec sunt se ipsa clarissima. Praeterea ex quo concupiscentia animum perturbans illum ad illicita inclinet , sequitur eamdem concupiscentiam non esse quidem peccatum nisi voluntas assentiatur , esse tamen magnum malum , ut fuse Augustinus contra Julianum demonstrat. In statu autem innocentis naturae nullum esse poterat malum ; quum innocentis naturae auctor Deus fuerit summe bonus .

SCHOLION

De Fide est Adamum innocentem caruisse concupiscentia . Nam Juliano omnium Pelagianorum nomine affirmanti concupiscentiam conditionem esse naturae , adeoque nec Adamum innocentem fuisse ab illa immunem , S. P. Augustinus totius nomine Ecclesiae respondet *: Remanet igitur , ut aut nulla ibi fuerit carnalis concupiscentia , sed ille fuerit vivendi modus , ut omnia necessaria congruis membrorum officiis sine ullius motu libidinis implerentur ... aut , ne nimium videamur offendere homines , qui voluptatem corporis quomodocumque defendunt , ita ibi credatur carnalium sensuum fuisse libidinem , ut omnimodo rationali subdita voluntati , non alias adesset , nisi cum per illam vel saluti esset corporis , vel stirpis propagini consulendum : et tanta adesset , ut nulla ex parte*

mentem supernarum cogitationum delectatione deponeret. Lib. 4. cont. Jul. pelag. cap. 14. Hinc Tridentina synodus sub anathemate definit sess. V. can. 3. concupiscentiam ex peccato esse et ad peccatum inclinare; eoque sensu appellari ab Apostolo peccatum, licet in renatis vere ac proprie peccatum non sit, contra quam sentiant Lutherani.

CONCLUSIO III.

Homo innocens etiam quoad corpus fuit immortalis eaque immortalitas fuit Gratiae beneficium, non naturae conditio.

Prob. prior pars. I. Scripturis Gen. cap. 2. sic Deus inquit ad Adam: *Quocumque die comederis ex eo, morte morieris*; unde si non comedisset, utique mortem non gustasset. Sap. cap. 1. legitur: *Deus mortem non fecit*. Et cap. 2. *Invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum*. Et cohaerenter ad haec scribit Apostolus ad Rom. cap. 5. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors*. Ante peccatum ergo non erat mors. Sed de his sermo redibit paullo post cum de poenis primo peccato debitis agemus, ubi laudata Scripturae testimonia a falsis haereticorum interpretamentis vindicabimus. II. ex Traditione. Concilium Palaestinum adversus Pelagium celebratum hanc illius damnavit propositionem, *Adam mortalem factum, qui sive peccaret, sive non peccaret, moriturus esset*. Quam propositionem etiam Pelagius *in judicio Palaestino ficto corde damnavit*, ut ait Augustinus Op. imperf. cont. Julian. lib. 1. cap. 67. ne anathematis subiret poenam. Sed audiamus iterum Augustinum in lib. 1. De peccat. merit. et remiss. cap. 2. sic alloquentem: *Si non peccasset, Adam, non erat expoliandus corpore*. Et lib. 6. Op. imperf. cont. Julianum cap. 25. *Vos enim dicitis, Sive peccaret, sive non peccaret, moriturus esset: nos autem dicimus, Quandiu non peccaret, moriturus non esset: et si numquam peccasset, mortuus non esset*. Digna sunt etiam ut laudentur quae scribit lib. 1. ejusdem Op. imperf. cap. 67. *Hoc enim sapis, quod Pelagius in judicio Palaestino ficto corde damnavit, Adam scilicet mortalem factum, ita ut sive peccaret, sive non peccaret, moriturus esset. Ac sic resistens his viris, et aliis eorum sociis fidei sanae, tot tantisque doctoribus, cogeris implere paradisum, etiamsi nemo peccasset ... gemitibus languentium, funeribus morientium, moerore lugentium*. Vide et lib. 13. de Civ. Dei cap. 23. Eadem habent concilia Charthaginense V. et Tridentinum.

Prob. altera pars. Quod ex elementis inter se pugnantibus compactum est, natura sua tendit ad dissolutionem: Tale erat corpus Adami innocentis; Ergo tendebat ad dissolutionem ac mortem. E contra vero corpus illud erat immortale, ut hactenus demonstratum est: Adeoque collata est illi immortalitas ex singulari Dei beneficio. II. Explicatur simul ac demonstratur haec propositionis pars verbis M. Augustini, qui in lib. 6. de Gen. ad litt. cap. 25. ita loquitur: *Illud quippe* (corpus) *ante peccatum, et mor-*

tale secundum aliam , et immortale secundum aliam caussam dici poterat : idest mortale , quia poterat mori ; immortale , quia poterat non mori . Aliud est enim non posse mori , sicut quasdam creaturas immortales creavit Deus : aliud est autem posse non mori , secundum quem modum primus creatus est homo immortalis ; quod ei praestabatur de ligno vitae , non de constitutione naturae : a quo ligno separatus est cum peccasset , ut posset mori , qui nisi peccasset posset non mori . Mortalis ergo erat conditione corporis animalis , immortalis autem beneficio Conditoris . Si ergo Adam non peccasset , de ligno vitae comedisset ; atque ita in immortalitate per gratiae beneficium permansisset . *Habebat enim , quantum existimo* (primus homo) *et de lignorum fructibus refectionem contra defectionem , et de ligno vitae stabilitatem contra vetustatem* , ait idem S. Doctor De peccat. mer. et remiss. lib. 1. cap. 3.

COROLLARIUM

Ex quo hominis innocentis corpus fuerit immortale , sua sponte sequitur immune etiam fuisse ab illis corporis miseriis quibus subditur homo peccator . Ut enim corpus immortalitatis donaretur beneficio , necesse fuit ut per singularem Dei munificentiam elementa ad dissolutionem naturaliter tendentia continerentur . Ast istud elementorum aequilibrium , ut ita dicam , secum fert etiam immunitatem ab aegritudine a lassitudine a fame siti ceterisque calamitatibus , ut per se patet . Quare S. P. Augustinus lib. 1. Retract. cap. 11. *Ægritudinem*, inquit , *ita nullam corpora illa* (post Resurrectionem) *patientur , sicut nec ista pati potuissent ante mortem* . Et lib. 9. de Gen. ad litt. cap. 5. *Nondum erat labor ut adjumento indigeret* . Et in 2. de Gen. cont. Manich. cap. 7. *Quid mirum si corpus ... potuit ab omnipotente Artifice tale fieri , ut nulla molestia , nulla indigentia cruciaret hominem ante peccatum , et nulla corruptione tabesceret ?*

Respondetur objectionibus .

Obj. 1. cont. 1. thes. Qui potest ab alio decipi proculdubio potest errare . Primi autem nostri Parentes decipi utique potuerunt . Nam Heva cap. 3. Gen. inquit : *Serpens decepit me* . Et Apostolus in I. ad Tim. cap. 2. *Mulier autem seducta in praevaricatione fuit* . Adam vero de fructu comedit quoniam putavit evasurum se similem Deo credens verbis Serpentis , quae Gen. cap. 3. leguntur : *Scit enim Deus quod in quocumque die comederitis ex eo , aperientur oculi vestri , et eritis sicut dii* : in quo supine erravit .

Resp. Primos nostros Parentes deceptos utique fuisse , sed postquam praecessit in eis peccatum cordis . Quando enim Heva verbis credidit Serpentis , jam in corde divinitatem insolenter affectaverat . Quapropter decepta est non innocens , sed peccatrix . Ad rem Augustinus lib. 11. de Gen. ad litt. cap. 30. *Quando his verbis crederet mulier a bona atque utili re divi-*

nitus se fuisse prohibitos, *nisi jam inesset menti amor ille propriae potestatis*, *et quaedam de se superba praesumptio*, *quae per illam tentationem fuerat convincenda et humilianda?* Adam vero vel eodem modo deceptus fuit, vel potius peccavit *amicali quadam benevolentia*, *qua plerumque fit ut offendatur Deus*, *ne homo ex amico fiat inimicus*, ut capite postremo ejusdem libri inquit Augustinus. Et quemadmodum Aaron et Salomon in idololatriam inciderunt non quod cultu digna idola esse sibi suaderent, sed ille populi importunitate, hic mulierum victus blanditiis; ita peccavit Adam ne contristaret uxorem, ut pariter commentat S. Doctor.

Obj. 2. adv. alt. prop. Concupiscentia nil aliud denique est quam inclinatio ad bonum sensibile: quae indifferens per se est ad bonum et malum, et tunc mala evadit quando limites excedit, ut in appetitu cibi solet evenire. In homine autem innocente non esse non potuit ejusmodi inclinatio.

Resp. Concupiscentia non est mera inclinatio ad bonum sensibile, sed inclinatio inordinans animam et rationem praevertens, per quam tendit homo ad actum rationi oppositum: adeoque in concupiscentia semper est excessus, et in ea ratio mali semper deprehenditur; unde Augustinus lib. 4. Oper. imperf. cont. Julian. cap. 27. *Alii sunt carnis sensus*, *quibus caro praesentia corporalia spiritui quodam modo nuntiat*; *et alii sunt carnalis concupiscentiae motus*, *quibus caro adversus spiritum concupiscens in quaeque illicita atque inhonesta praecipitat*. Et paullo post: *Alia est vis sentiendi*, *aliud vitium concupiscendi*.

Obj. ultimo adv. 3. th. Corpus primorum Parentum conflatum erat ex pugnantibus elementis quae dissolvi exigunt. II. Primi nostri Parentes consenuissent. Senectus autem quid est nisi quaedam prolixitas mortis? III. Nonne Adae corpus percuti poterat fulmine, mergi aquis, molis opprimi subversione? IV. Denique si Adam factus fuisset immortalis, nos quoque post Christi Redemptionem privilegio gauderemus immortalitatis; quoniam inquit Apostolus nos modo vivificari per Christum, sicut olim mortui eramus per Adae delictum. Non gaudemus autem immortalitate. Ergo etc.

Resp. ad 1. Natura sua et ex intrinsecis primorum Parentum corpus, utpote ex elementis inter se pugnantibus compactum, dissolvi exigebat: sed singulari Dei superveniente beneficio amiserunt elementa pugnam, atque in debita steterunt temperie quae mortem arcebat.

Ad 2. Corpus primorum Parentum consenuisset nisi cibus adfuisset qui florem redderet juventutis. Nam lignum vitae quod erat in medio Paradisi, virtutem depellendi senectutem et mortem habebat: tum quia in Scriptura appellatur *lignum vitae*: tum etiam quia Adam post peccatum ejectus fuit de paradiso ne forte mitteret manum suam, et sumeret de ligno vitae et comederet et viveret in aeternum, ut sacra eloquia testantur; unde S. P. Augustinus adv. Jul. lib. 6. cap. 39. *Lignum enim vitae*, ait, *quod in paradiso suo plantavit Deus*, *etiam corpus animale defendebat a morte*, *donec perseverantis obedientiae merito*, *in gloriam spiritalem ... sine morte*

interveniente transiret . Et de Gen. ad litt. lib. 8. cap. 5. *Illud quoque addo , quamquam corporalem cibum , talem tamen illam arborem praestitisse , quo corpus hominis sanitate stabili firmaretur , non sicut ex alio cibo , sed nonnulla inspiratione salubritatis occulta* . Et paucis interjectis , ait per hujus arboris cibum *homini Deum praestitisse ne corpus ejus vel infirmitate vel aetate in deterius mutaretur , aut in occasum etiam laberetur* . Et lib. 1. De peccat. mer. et remis. cap. 3. ait : *Habebat enim , quantum existimo , et de lignorum fructibus refectionem , contra defectionem , et de ligno vitae stabilitatem contra vetustatem* . Et de Civ. Dei lib. 13. cap. 23. *Sed ligno vitae a mortis necessitate prohibebatur , atque in juventutis flore tenebatur* .

Ad 3. Corpus Adae innocentis percuti plane poterat fulmine , mergi aquis etc. nisi singulari Dei beneficio praeservatum fuisset . Verum sicuti per interiorem gratiam primi homines *nullis agitabantur perturbationibus animorum* , ita per gratiam exteriorem *nullis corporum laedebantur incommodis* , ait S. P. de Civ. Dei lib. 14. cap. 10.

Ad ultimum respondet S. P. Augustinus lib. 2. De peccat. mer. et remis. cap. 30. *Illi qui dicunt* , Si primi hominis peccato factum est ut moreremur , Christi adventu fieret ut credentes in eum non moreremur : *et addunt quasi rationem , dicentes* , Neque enim praevaricationis transgressio plus nobis nocuit , quam incarnatio vel redemptio profuit Salvatoris : *cur non potius hoc adtendunt , hoc audiunt , hoc sine dubitatione credunt, quod Apostolus sine ambiguitate locutus est* , Quia per hominem mors , et per hominem resurrectio mortuorum ? Sicut enim in Adam omnes moriuntur , sic et in Christo omnes vivificabuntur . *Neque enim aliunde , quam de corporis resurrectione dicebat* . Et cap. 31. subdit : *Poterat autem* (Deus) *etiam hoc donare credentibus , ut nec istius experirentur corporis mortem : sed si hoc fecisset , carni quaedam felicitas adderetur , minueretur autem fidei fortitudo* .

CAPUT V.

De generis humani propagatione si Adam non peccasset.

S. P. Augustinus in lib. de Bono conjug. cap. 2. inquirens quomodo primorum hominum proles potuerit existere inquit *: Plures enim de hac re sententiae diversaeque extiterunt* : Gregorius certe nyssenus in lib. de hom. Opific. cap. 17. et 18. credidit humanum genus , si Adam in justitia stetisset , propagatum quidem iri , sed absque sexuum maris ac foeminae commixtione , et ratione quadam soli nota Conditori ; creatos autem fuisse primos homines cum discrimine sexuum , quoniam praeviderat Deus illorum peccatum . Hoc idem postea sibi suasit Damascenus lib. 2. de Fide cap. 30. et Anastasius sinaita , et Moses Barcepha in eadem fuere sententia apud Petavium . Ast aliter cum S. P. Augustino sentiendum esse arbitramur ; unde

CONCLUSIO.

Si Adam non peccasset, humanum genus propagatum fuisset per copulam conjugalem.

Prob. 1. ex S. litteris a M. Augustino interpretatis. I. Antequam Adam et Heva peccarent, hanc a Deo acceperunt benedictionem: *Crescite, et multiplicamini*: Ac adeo etiamsi non peccassent filios utique genuissent. Nam inquit Augustinus lib. 2. De pecc. orig. cont. Paelag. et Caelest. *Et illa Dei verba, crescite, et multiplicamini: non est damnandorum praedictio peccatorum, sed foecundatarum benedictio nuptiarum.* Neque responderi potest dictum id fuisse secundum praescientiam. Nam Augustinus lib. 14. de Civ. Dei cap. 23. respondet: *Quisquis autem dicit, coituros, nec generaturos, nisi peccassent, quid dicit, nisi propter numerositatem sanctorum necessarium hominis fuisse peccatum? Si enim non peccando soli remanerent, quia, sicut putant, nisi peccassent, generare non possent; profecto ut non soli duo justi homines possent esse, sed multi, necessarium peccatum fuit.* II. Gen. cap. 2. v. 18. sic inquit Deus: *Faciamus ei* (Adamo) *adjutorium simile sibi.* Ast in nullo alio adjutorium illud consistit nisi in filiorum propagatione, dicente Augustino lib. 9. de Gen. ad litt. cap. 3. *Si autem quaeritur, ad quam rem fieri oportuerit hoc adjutorium, nihil aliud probabiliter occurrit, quam propter filios procreandos, sicut adjutorium semini terra est, ut virgultum ex utroque nascatur.* Et cap. 7. affirmatius ait: *Non itaque video ad quod aliud adjutorium mulier facta sit viro, si generandi caussa subtrahitur.* Si enim alia de caussa faetum ei fuisset adjutorium, alium virum potius quam foeminam ex illius costa produxisset. III. Adam antequam peccaret, visa muliere inquit: *Quamobrem relinquet homo patrem suum, et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una.* Haec exprimunt verum conjugium. *Neque enim de spiritu qui imperat, et carne quae obtemperat; aut de animo rationali qui regit, et irrationali cupiditate quae regitur; aut de virtute contemplativa quae excellit, et de activa quae subditur; aut de intellectu mentis, et sensu corporis: sed aperte de vinculo conjugali, quo invicem sibi uterque sexus obstringitur, Dominus interrogatus utrum liceret quacumque ex caussa dimittere uxorem ... respondit atque ait, Non legistis* etc. Ita S. P. de Civ. Dei lib. 14. cap. 22. Itaque in statu innocentiae vera fuissent connubia; adeoque filiorum propagatio.

Prob. 2. ex SS. PP. De Magni Augustini mente dictum satis. Ambrosius in lib. 2. de Par. *Si igitur*, inquit, *viro culpae auctor est mulier, quemadmodum pro bono videtur adjecta? Verum si consideres quia Deo Universitatis est cura, invenies plus placere Domino debuisse id in quo esset caussa universitatis, quam condemnandum fuisse illud in quo caussa fuisset peccati. Ideo quia ex viro solo non poterat humani esse generis propagatio, pronuntiavit Dominus, non esse bonum hominem esse solum.* Cyrillus alex. lib. 3. cont. Jul. Aug. in eamdem descendit sen-

tentiam. His autem subscribunt omnes Scholastici, Magister, S. Thomas, S. Bonaventura, Ariminensis, Ægidius, alii.

Contraria argumenta refutantur.

Obj. 1. S. P. Augustinus in lib. De vera Relig. cap. 46. et in lib. 1. de Gen. cont. Manich. cap. 19. affirmat copulam carnalem oriri ex peccato, nec futuram fuisse si Adam non deliquisset. II. Et revera, primi nostri Parentes ante peccatum operam gignendis liberis non dederunt. III. Canssa autem quam Augustinus affert cur Adam et Heva ante peccatum non coierint falsa est: quoniam mandatum a Deo acceperant, quando audierunt illum dicentem: *Crescite et multiplicamini*. IV. Filii propter uteri matris incapacitatem nati fuissent infantilibus membris ac exiguo corpore; proindeque subditi fuissent miseriis quibus modo pueri subduntur: quod innocentiae statui repugnat. V. Denique, filiorum procreatio fieri certe non potuisset absque libidine. Libido autem quum sit poena peccati, esse non poterat in statu naturae innocentis.

Resp. ad 1. S. P. Augustinus in lib. 1. Retract. cap. 13. sic primum locum in argumento allatum retractat: *Nondum enim videram fieri potuisse, ut non morituri de non morituris nascerentur, si peccato illo magno non mutaretur in deterius humana natura: ac per hoc si in parentibus et in filiis foecunditas felicitasque mansisset, usque ad certum sanctorum numerum, quem praedestinavit Deus, nascerentur homines, non parentibus successuris morientibus, sed cum viventibus regnaturi. Essent ergo etiam istae cognationes atque affinitates, si nullus delinqueret, nullusque moreretur*. Fert idem judicium de secundo loco eodem in lib. Retract. cap. 10. quod videas.

Ad 2. Augustinus in 9. de Gen. ad litt. cap. 4. hanc instituit quaestionem, *Cur ergo non coierunt, nisi cum exiissent de paradiso?* Respondet autem: *Quia mox creata muliere, priusquam coirent, facta est illa transgressio, cujus merito in mortem destinati, etiam de loco illius felicitatis exierunt ... Potest etiam dici, quia nondum Deus jusserat ut coirent. Cur enim non ad hanc rem divina expectaretur auctoritas, ubi nulla concupiscentia tamquam stimulus inobedientis carnis urgebat? Ideo autem hoc non jusserat Deus, quia secundum suam praescientiam disponebat omnia, in qua et eorum casum proculdubio praesciebat, unde jam mortale genus propagandum esset humanum*.

Ad 3. Juxta S. Patrem expectarunt primi nostri Parentes speciale quoddam a Deo praeceptum, vi cujus operam generationi darent, ad ceterorum differentiam animantium. In illis porro verbis, *Crescite, et multiplicamini*, continetur praeceptum quoddam universale.

Ad 4. S. P. Augustinus duplici modo hoc solvit argumentum De peccat. merit. et remiss. lib. 1. cap. 37. et 38. Primo igitur inquit: *Unde et ejus filios poterat omnipotentia Creatoris mox editos grandes protinus facere*. Secundo reponit: *Sed ut hoc omittam, poterat certe, quod*

multis etiam pecoribus praestitit, quorum pulli quamvis sint parvuli, neque accedentibus corporis incrementis etiam mente proficiant, quoniam rationalem animam non habent, tamen etiam minutissimi et currunt, et matres agnoscunt, nec sugendis uberibus cura et ope admoventur aliena, sed ea ipsi in maternis corporibus loco abdito posita mirabili facilitate noverunt. Contra homini nato nec ad incessum pedes idonei, nec manus saltem ad scalpendum habiles, et nisi ope nutrientis admotis labris papillae uberis ingerantur, nec ubi sint sentiunt, et juxta se jacentibus mammis magis possint esurientes flere, quam sugere. Sed illi parvuli, subdit in Op. imp. cont. Julian. lib. 3. cap. 198. *nec flerent in paradiso, nec muti essent, nec aliquando uti ratione non possent, nec sine usu membrorum infirmi et inertes jacerent, nec morbis affligerentur, nec a bestiis laederentur, nec venenis necarentur, nec aliquo casu vulnerarentur, vel ullo sensu, aut ulla parte corporis privarentur, nec a daemonibus vexarentur, nec surgentes in pueritiam domarentur verberibus, aut erudirentur laboribus, nec ulli eorum tam vano et obtuso nascerentur ingenio, ut nec labore, nec dolore ullo emendarentur; sed excepta propter incapaces uteros matrum sui corporis quantitate, tales omnino qualis Adam factus est, gignerentur.*

Ad ultimum ita S. P. Augustinus lib. 4. adv. Jul. pelag. cap. 5. respondet: *Cur autem non creditis, hominibus in paradiso constitutis ante peccatum divinitus potuisse concedi, ut tranquilla motione et conjunctione vel commixtione membrorum sine ulla libidine filios procrearent; aut in eis saltem libido talis esset, cujus motus nec praecederet, nec excederet voluntatem.*

CAPUT VI.

De peccato primorum Parentum.

Nostri ergo Protoparentes non multo postquam conditi fuerant, legem ipsis a Deo latam transgressi, seipsos universumque humanum genus proprio peccato damnarunt. Multa hic a Theologis ac sacrae Scripturae Tractatoribus quaeri solent. Nos pro instituti nostri ratione pauca attingemus de lege a Deo primis Parentibus lata, de caussa ob quam legem illam fregerunt, deque peccati specie ab ipsis patrati.

CONCLUSIO I.

Lex a Deo primis nostris Parentibus in paradiso lata aequissima fuit.

Prob. 1. Lex a Deo primis nostris Parentibus lata eo tendebat ut hominem probe recteque viveret, unde Tertullianus lib. 2. cont. Marc. cap. 8. inquit: *Neque enim ad vivendum solummodo produxerat hominem, ut non ad recte vivendum, in respectu scilicet Dei legisque ejus. Igitur vi-*

vere quidem ille ipse praestiterat facto in animam vivam ; recte vivere vero demandarat admonito in legis obsequium . Et lib. 2. cont. Jud. singillatim demonstrat in lege Adamo lata omnia inclusa fuisse Decalogi praecepta . Jam vero lex ad recte vivendum instituta nonne aequissima est ?

Prob. 2. Aequissima quoque dicenda lex est quae hominem Creatori suo subditum obedientemque facit : Hujusmodi autem fuit lex Adamo in paradiso lata , dicente M. Augustino lib. 2. De peccat. mer. cap. 21. *Ut ostenderet homini , cui esset sub tali Domino utilissima servitus , quantum esset solius obedientiae bonum , quam solam de famulo exegerat , cui obedire non propter ipsius dominatum , sed propter servientis utilitatem potius expediret ? Ab eo ligno sunt prohibiti , quo si uterentur non prohibiti , nihil mali omnino paterentur : ut quod illo post prohibitionem utentes passi sunt , satis intelligeretur quod eis hoc non intulerit arbor cibo noxio perniciosa , sed tantum obedientia violata* . Et Tract. in ps. 70. *Bona est arbor , nolo tangas . Quare ? Quia dominus sum , et servus es. Haec tota caussa est . Si parva est , dedignaris esse servus . Quid autem tibi expedit , nisi esse sub Domino ? Quomodo eris sub Domino , nisi fueris sub praecepto ?*

CONCLUSIO II.

Daemon fuit caussa extrinseca , lignum vetitum fuit occasio , voluntas primorum Parentum fuit caussa efficiens peccati .

Prob. prior pars. Gen. cap. 3. legitur : *Dixit autem Serpens ad mulierem : Nequaquam morte moriemini* : per quae verba suasit illis ut Dei transgrederentur legem ; atque adeo fuit extrinseca caussa illius peccati : Hinc Sap. 2. v. 24. habetur : *Invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum* . Et Johan. cap. 8. v. 44. *Ille* (daemon) *homicida erat ab initio* .

SCHOLION.

Serpens cujus organo suasor diabolus usus est , verus ac naturalis fuit serpens . Gen. namque cap. 3. disponens Moyses illius deceptionis narrationem inquit : *Sed et serpens erat callidior cunctis animantibus terrae , quae fecerat Dominus Deus* . Rursus Heva a Deo reprehensa quod fructum comedisset , respondit : *Serpens decepit me* . Ac denique in poenam invidiae Deus maledixit Serpenti : *Maledictus es inter omnia animantia , et bestias terrae* , comprehendens scilicet ea maledictione diabolum qui serpentis usus fuerat organo . Atque hinc Apoc. cap. 12. v. 9. diabolus dicitur *Serpens antiquus* . Ad rem Augustinus lib. 11. de Gen. ad litt. cap. 27. *Non est permissus* (doemon) *tentare foeminam nisi per serpentem , nec virum nisi per foeminam , sed in serpente ipse locutus est , utens eo velut organo , movensque ejus naturam eo modo quo mo-*

vere ille, *et moveri illa potuit*, *ad exprimendos verborum sonos et signa corporalia*, *per quae mulier suadentis intelligeret voluntatem*. Non bene ergo Philo judaeus et Origenes cui Cajetanus subscripsit, arbitrantur Serpentis nomine intelligi vel appetitum sensitivum interius titillantem, vel daemonem ipsum nullo externo corpore assumpto tentantem. Errat etiam R. Aben-Ezra existimans Hevam pellectam ad esum fuisse non a daemone per Serpentem, sed a Serpente ipso naturali cui olim facultas esset loquendi.

Prob. pars altera. Gen. cap. 3. Serpens ita alloquitur Hevam: *Cur praecepit vobis Deus ut non comederetis ex omni ligno paradisi? Cui respondit mulier*: *De fructu lignorum*, *quae sunt in paradiso*, *vescimur*: *de fructu vero ligni*, *quod est in medio paradisi*, *praecepit Deus ne comederemus*: *et ne tangeremus illud*, *ne forte moriamur*. *Dixit autem serpens ad mulierem*: *Nequaquam moriemini* etc. Daemon itaque ligno usus est in paradiso constituto tamquam medio ad Hevam seducendam, illaque ex ligno occasionem accepit peccandi.

Prob. 3. pars. Caussa efficiens peccati primorum Parentum fuit vel ignorantia vel concupiscentia vel libera voluntas; neque enim alia fingi potest, nisi dicamus fuisse Deum, quod impium est. Non fuit autem ignorantia vel concupiscentia; quoniam duo haec ante peccatum in Protoparentibus locum non habuerunt: fuit ergo voluntas.

CONCLUSIO III.

Primum Protoparentum peccatum fuit superbia.

Prob. 1. ex Scriptura. Eccli. cap. 10. v. 14. et 15. legitur: *Initium superbiae hominis*, *apostatare a Deo*: *quoniam ab eo*, *qui fecit illum recessit cor ejus*, *quoniam initium omnis peccati est superbia*. Patet praeterea ex ipso Gen. libro ubi Adami et Hevae describitur peccatum: ibi siquidem narratur eos deliquisse quoniam aliquo sensu veram esse credidere Serpentis pollicitationem, *Eritis sicut dii*. Ea vero pollicitatio continet independentiam saltem conditionatam a Deo auctore: et en superbia.

Prob 2. ex Augustino qui lib. 2. de Gen. cont. Manich. cap. 15. scribit: *Hoc est ergo quod persuasum est*, *ut suam potestatem nimis amarent*, *et cum Deo esse pares vellent*, *illa medietate*, *per quam Deo subjecti erant*, *et corpora subjecta habebant*, *tamquam fructu arboris constitutae in medio paradisi*, *male uterentur*, *id est*, *contra legem Dei*: *atque ita quod acceperant amitterent*, *dum id quod non acceperant*, *usurpare voluerunt*. Et lib. 14. de C. D. cap. 13. *In occulto autem*, inquit, *mali esse coeperunt*, *ut in apertam inobedientiam laberentur*. *Non enim ad malum opus perveniretur*, *nisi praecessisset mala voluntas*. *Porro malae voluntatis initium quid potuit esse nisi superbia? Initium enim omnis peccati superbia est*. *Quid est autem superbia*, *nisi perversae celsitudinis appetitus?*

SCHOLION.

Peccatum superbiae primorum Parentum subsequuta sunt illico innumera alia peccata, quorum enumerabimus aliqua. Postquam ergo superbire coeperunt, in peccatum inciderunt inobedientiae; unde Apostolus ad Rom. cap. 5. inquit: *Per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi*. Tum deliquerunt etiam per curiositatem inordinatam appetentes scientiam, atque putantes se boni ac mali consequi posse cognitionem ad Dei imitationem. Etiam peccato se inquinaverunt gulae: *Vidit igitur mulier quod bonum esset lignum ad vescendum ... et tulit de fructu illius, et comedit*. Et Adae dixit Deus: *Quia audisti vocem uxoris tuae, et comedisti de ligno* etc. Sese commacularunt peccato quoque impenitentiae propriam excusantes malitiam. Ac tandem ne singula recenseam, Heva viro suo fuit scandalosa illum pelliciens ad malum; Adam vero nimis erga uxorem suam indulgens, juxta illud Augustini de Civ. Dei lib. 14. cap. 11. *Credendum est, illum virum suae foeminae, uni unum, hominem homini, conjugem conjugi, ad Dei legem transgrediendam, non tamquam verum loquenti credidisse seductum, sed sociali necessitudine paruisse. Non enim frustra dixit Apostolus*, Sed et Adam non est seductus, mulier autem seducta est: *nisi quia illa quod ei serpens locutus est, tamquam verum esset, accepit, ille autem ab unico noluit consortio dirimi, nec in communione peccati*. Haec et alia praeterea in uno illo superbiae scelere latuerunt peccata. Et superbia est illic, quia homo in sua potius esse quam in Dei potestate dilexit. Et sacrilegium, quia Deo non credidit. Et homicidium, quia semetipsum praecipitavit in mortem. Et fornicatio spiritualis, quia integritas mentis humanae serpentina suasione corrupta est. Et furtum, quia cibus prohibitus usurpatus est. Et avaritia, quia plusquam illi sufficere debuit appetivit, Aug. Enc. c. 45.

COROLLARIUM

Quum ergo tot tantisque se commaculaverit Adam sceleribus, quid mirum si nullum licet magnum et horrendum facinus, illi superbiae peccato possit aequari? Optime S. Pater Julianum alloquens in 6. Op. imp. cont. eumd. cap. 22. inquit: *Frustra peccato illius peccata filiorum ejus quamlibet magna et horrenda, vel aequare, vel etiam praeferre conaris. Illius natura quanto magis sublimior stabat, tanto magis graviter concidit*.

CAPUT VII.

De poenis quae Adae subsequutae sunt praevaricationem.

Quis singulas recensere valeat poenas quae Adae subsequutae sunt praevaricationem? Tam grave fuit illud delictum! De tribus dumtaxat iisque praecipuis hoc in capite disseremus, nempe de morte, ignorantia, atque

concupiscentia ; ut ita maximum quod inter utrumque statum, naturae scilicet innocentis et naturae lapsae discrimen intercedit, agnoscere facile valeamus. Et de his quidem nonnulla diximus praecedenti cap. 4. ubi demonstravimus non fuisse in Adamo donec in originali perseveravit justitia, ignorantiam concupiscentiam et mortem. Attamen, non modo propter veteres recentioresque Pelagianos affirmantes tria illa esse conditiones naturae, non poenas peccati; sed etiam propter recentiores quosdam Theologos qui nimium quam par est philosophantes, possibilem sibi fingunt statum purae naturae, de quo capite sequenti fuse disputabimus, de tribus illis peccati Protoparentum consectariis iterum ac paullo accuratius erit agendum.

Sed nonnulla in antecessum sunt breviter adnotanda. Et quoad mortem, aliud est esse *mortale*, aliud esse *moriturum*, et aliud esse *mortuum*. Mortale est quod mori potest. Moriturum quod mori debet. Mortuum quod vita caret. Dum ergo nos dicimus mortem esse poenam peccati, hoc intelligimus; quod homo qui natura sua mortalis erat, hoc est poterat mori, post Adae delictum evasit moriturus, quia in poenam peccati mori debet. Sed recole praecedens cap. 6. Quoad ignorantiam, non eam dicimus poenam peccati qua clarissima summi Veri revelatione homo caret, sed illam qua homo ignorat invitus etiam ea quae ad propriam pertinent vitam. Ac nomine demum concupiscentiae malum quemdam intelligimus habitum impellentem nos ad actus rationi contrarios, quo sensu ab Augustino lib. 1. De Nupt. et concup. cap. 25. dicitur, *Affectio quaedam malae qualitatis*, *sicut languor*, et a Gregorio nostro, *morbida quaedam qualitas:* habetque in se positivum aliquod, et aliquod negativum. In eo videlicet quod concupiscentia dicit motum et impulsum, est quid positivum; in eo autem quod dicit motum et impetum contra rectam rationem, est aliquod privativum.

CONCLUSIO I.

Homo in primi Parentis peccati poenam mori debet.

Prob. 1. ex cap. 2. v. 17. Gen. ubi sic Deus Adamum alloquitur: *In quacumque die comederis ex eo*, *morte morieris*. Quae verba hunc habent sensum: Si peccaveris certissime morieris. Nam ubi nostra Vulgata habet, *Morte morieris*, hebraicus Textus et antiqua Itala legunt, *Moriendo morieris*: Symmachus et Hieronymus, *Mortalis eris*: Targum Jerosolymitanum, *Eris reus mortis*; quae loquendi forma certissimam significat mortem.

Respondent recentiores Pelagiani, Socini nimirum gregales I. laudata in sententia comminatum fuisse Deum mortem animae, ac si dixisset: In quacumque die comederis ex eo, certissime peccabis: quae admonitio necessaria fuit Adamo, quoniam esus illius fructus indifferens erat. II. Mors denunciata est Adamo tamquam terminus ad quem duratura sit poena

pro peccato, non tamquam poena ipsi peccato debita: hoc est, quoniam Adam transgressus est pactum, maledixit Deus terrae in opere suo, volens ut spinas produceret ac tribulos, idque usque ad mortem perduraret: *In sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram de qua sumptus es: quia pulvis es, et in pulverem reverteris*. III. Caussalis haec, *Quia pulvis es*, supponit mortem fuisse homini connaturalem: Ergo etc.

Sed misera haec sunt haereticorum effugia. Et ad 1. ibi sermonem fieri de morte corporis nonnisi caecus non videt. Nam Deus puniens Adamum quod de ligno vetito comedisset, inquit: *Terra es, et in terram ibis*. Nonne hoc de morte corporis intelligitur? Deinde mortem animae comminatus Deus fuerat Adamo quando praeceptum ei dedit dicens, *De ligno autem scientiae boni, et mali ne comedas:* quo lato praecepto esus fructus illius non erat amplius indifferens: proindeque necessaria non erat adnotatio, ut Sociniani contendunt.

Ad 2. Non diffitemur mortem hoc in loco sumi pro termino ad quem peccati poenae sunt duraturae. Sed jam cap. 2. praenuntiaverat homini Deus mortem in admissi sceleris poenam: *In quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris*. Sensus itaque est: Quoniam impositam transgressus es legem certissime morieris, aliasque habebis poenas veluti mortis ipsius praeludia: maledicta enim erit terra in opere tuo, et in labore comedes ex ea etc. idque perdurabit donec in pulverem revertaris.

Ad 3. Non inficiamur mortem fuisse homini connaturalem; neque factus fuit Adam immortalis ex intrinsecis suis ad instar Angelorum: contendimus tamen Adamum qui natura sua dissolvi exigebat, quoniam ex elementis corpus compactum habebat, ex singulari beneficio a Conditore suo accepisse posse non mori, quatenus dedit ei de ligno vitae *Ne corpus ejus vel infirmitate vel aetate in deterius mutaretur, aut in occasum etiam laberetur*, ut ait Augustinus lib. 8. de Gen. ad litt. cap. 5. Recole etiam quae scribit S. Pater lib. 13. de Civ. Dei cap. 20. et 23. nec non et alia quae lib. 2. De peccat. mer. et remiss. cap. 21. et quae lib. 6. Op. imp. cont. Julian. cap. 31. et 39. Quapropter dicens Deus homini, *Quoniam pulvis es, et in pulverem reverteris*, idem est ac si dixisset: In poena peccati non comedes amplius de ligno vitae quod tibi stabilitatem tribuat contra vetustatem. Atque ea de caussa ejecit illum de paradiso *ne forte mitteret manum suam, et sumeret etiam de ligno vitae, et comederet, et viveret in aeternum*.

Prob. 2. ex cap. 2. lib. Sap. v. 23. *Quoniam Deus creavit hominem inexterminabilem, et ad imaginem similitudinis suae fecit illum. Invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum*. Graeca autem hujus loci sic reddi possunt: *Quoniam Deus creavit hominem ad incorruptibilitatem* etc. ut posset non corrumpi et non mori. Diabolus ergo per peccatum caussa fuit mortis.

Respondet Socinus Auctorem Sap. non de communi morte quae est conditio naturae, sed de morte immatura et violenta loqui; hortatur enim homines ne corporis mortem accersant: *Nolite zelare mortem ... Impii autem*

manibus, *et verbis accersierunt illam : et aestimantes illam amicam defluxerunt*, ait idem Auctor cap. 1. Quapropter dum cap. 2. addit, *Deus creavit hominem inexterminabilem, et ad imaginem similitudinis suae fecit illum. Invidia autem diaboli* etc. sensus illorum verborum est: Multi sibi mortem conscierunt. Unde statim sacer Auctor subdit: *Imitantur autem illum* (diabolum,) *qui sunt ex parte illius*.

Concedo Socinianis agiographum Scriptorem loqui eo in loco de morte violenta quam multi perditissimi homines vel verbis vel manibus aestimantes amicam sibi conscierunt: sed quaero ab eis. Unde mortem addidicerunt, *Quoniam Deus mortem non fecit*, *nec laetatur in perditione vivorum :* imo, *Creavit hominem inexterminabilem ?* Profecto ex invidia diaboli qui Protoparentibus suasit ut de fructu vetito comederent. Sed in quo diabolum imitantur illi ? In hoc: quod sicut ille aeternam sibi, ita isti sibi temporalem consciscunt mortem. Quod si de morte quam impii proximo machinantur, quem sensum capitis secundi verba magis praesferre videntur, velis accipere; eatenus diabolum imitantur: quia sicut ille suasione perversa perdidit Adam ejusque posteros; ita isti vel ferro vel venenis aliisque adminiculis interimunt proximum suum, invidentque ita diebus aliorum.

Prob. 3. Apostolus ad Rom. cap. 5. v. 12. *Per unum hominem*, inquit, *peccatum in hunc mundum intravit*, *et per peccatum mors : et ita in omnes homines mors pertransiit*, *in quo omnes peccaverunt*. Et cap. 8. v. 10. *Corpus mortuum est propter peccatum*, *spiritus vero vivit propter justificationem*. Et in I. ad Cor. cap. 15. v. 21. *Per hominem mors*, *et per hominem resurrectio mortuorum. Et sicut in Adam omnes moriuntur ; ita et in Christo omnes vivificabuntur*.

Veteres Pelagiani dicebant loqui ibi Apostolum de morte animae quae invasit homines Adamum imitantes. II. Recentiores autem ajunt Apostolum antithesim instituere inter corpus Adami corpusque nostrum post resurrectionem. Cumque corpus nostrum futurum sit post resurrectionem immortale; sequitur corpus Adami fuisse mortale. III. Et revera addit Socinus, corpus Adami innocentis juxta Apostolum corpus erat animale: adeoque moriturum; dicente ibidem Apostolo corpus animale esse vile infirmum terrenum. *Primus homo de terra terrenus* etc.

Veteres autem ac recentiores Pelagiani decipiuntur. Ad 1. Mors animae nil aliud est nisi peccatum. Apostolus vero inter peccatum et mortem distinguit luculentissime. Deinde antithesim instituit inter mortem et resurrectionem. Cumque resurrectio de qua Apostolus loquitur resurrectio sit corporis, sequitur et mortem esse mortem corporis, non animae.

Ad 2. En discrimen inter corpus nostrum post resurrectionem et corpus Adami innocentis. Corpus nostrum post resurrectionem ita erit immortale ut mori non possit; unde inquit ibidem Apostolus: *Surget corpus spiritale*. Corpus vero Adami innocentis sic immortale erat ut posset non mori: unde in se et ex intrinsecis suis erat mortale, non autem moriturum ex singulari Dei privilegio: *Illud quippe ante peccatum*, *et mortale*

secundum aliam, et immortale secundum aliam caussam dici poterat: idest mortale, quia poterat mori; immortale, quia poterat non mori, inquit Augustinus de Gen. ad litt. lib. 6. cap. 25.

Ad 3. Ex quo Adae corpus esset animale, erat sane mortale sensu saepe exposito; ast non erat moriturum: sed ligno vitae a mortis necessitate prohibebatur, atque in juventutis flore detinebatur: et ideo non spiritale sed animale fuisse non dubium est; nequaquam tamen moriturum, nisi in Dei praedicentis minantisque sententiam delinquendo incidisset.

CONCLUSIO II.

Ignorantia in qua nunc homo versatur, poena peccati est.

Prob. argumento ex Augustino deducto. Quod in se malum est, quum esse nequeat ex institutione naturae, *Deus enim vidit cuncta, quae fecerat, et erant valde bona*, si illud vitari non potest est poena peccati: Ast ejusmodi est ignorantia cum qua homo nunc nascitur. Nam 1. per eam aberramus a lege et in innumera incidimus mala; unde David Dominum deprecabatur ne ignorantias reminisceretur suas. Et S. P. Augustinus in lib. 1. ad Bonif. cap. 3. scribit omne peccatum fieri, *vel ignorantia veritatis, vel delectatione iniquitatis, vel utroque malo et caecitatis et infirmitatis*. Et in 1. Retract. cap. 9. *Ad quam miseriam*, inquit, *justae damnationis pertinet ignorantia et difficultas, quam patitur omnis homo ab exordio nativitatis suae*. 2. Ad ignorantiam non minus ac concupiscentiam amovendam necessaria est gratia Salvatoris; imo illius munus est mentem illuminare ut ignorantia minuatur, et ad carnalem deprimendam cupiditatem cordi charitatem inspirare; unde S. P. Augustinus lib. 2. De peccat. mer. cap. 17. ait: *Ignorantia igitur et infirmitas vitia sunt, quae impediunt voluntatem, ne moveatur ad faciendum opus bonum, vel ab opere malo abstinendum. Ut autem innotescat quod latebat, et suave fiat quod non delectabat, gratiae Dei est, quae hominum adjuvat voluntates*.

CONCLUSIO III.

Concupiscentia quoque est poena peccati.

Prob. 1. Scripturis. Johan. cap. 2. v. 16. ep. I. haec habentur: *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitae: quae non est ex Patre, sed ex mundo est. Et mundus transit, et concupiscentia ejus*. Ad Rom. cap. 7. v. 23. Paulus scribit: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae, et captivantem me in lege peccati, quae est in membris meis*. Ad Gal. cap. 5. v. 17. idem Apostolus inquit: *Caro concupiscit adversus spiritum: spiritus autem adversus carnem: haec enim sibi invicem adversantur: ut non quaecumque vultis, illa faciatis*. Jacobus in sua ep.

cap. 1. v. 14. *Concupiscentia*, inquit, *cum conceperit*, *parit peccatum*. Sane: quod non ex Deo sed ex mundo cum quo transit, est; quod legi mentis repugnat et hominem in lege peccati captivat; quod ita concupiscit adversus spiritum ut non quaecumque vult homo faciat; quod denique peccatum fit si ei assentiatur, quis dubitare potest malum esse et poenam peccati? Talis porro est concupiscentia, ut ex allatis textibus patet.

Respondebat Julianus duo in concupiscentia esse distinguenda; naturalem videlicet appetitum, ac excessum ejus. De excessu, non de naturali appetitu, ajebat, loquuntur laudatis in locis Scripturae.

Verum Juliani sophisma optime solvitur ab Augustino innumeris in locis, ac in 4. praecipue Op. imp. cont. eumd. cap. 41. *Ecce enim Deum dicis in homine modum instituisse libidini: cur in eo modo non stat, in quo est divinitus instituta, sed eum, nisi coerceatur, egreditur? Quomodo ergo bonum dicitur, quae urget et impellit hominem facere malum, si ei non resistatur?* Et rursus: *Ut non fiat malum excedendi, resistendum est malo concupiscendi. Duo ergo mala sunt, quorum unum habemus, alterum facimus, si ei non resistimus quod habemus*. Ac denique ne singula exscribam, lib. 6. adv. eumdem Julian. pelag. cap. 13. *Quomodo autem*, inquit, *Johanni Apostolo obtemperamus, si concupiscentiam carnis diligimus? Respondebis*, Non est ipsa quam laudo? *Et quae illa est quam Johannes dicit a Patre non esse?* Luxuria, *inquies*. *Sed luxuriosi non erimus, nisi istam quam laudas concupiscentiam diligamus. Ac per hoc, nolite diligere carnis concupiscentiam, cum dicebat luxuriosos nos esse nolebat. Ab hac igitur abs te laudata carnis concupiscentia diligenda prohibemur, quando a luxuria prohibemur: haec autem quam diligere prohibemur, non est a Patre: haec igitur concupiscentia quam laudas, non est a Patre*.

Prob. 2. Augustinianis argumentis. Sit primum. Duo Dei dona inter se non pugnant, imo sese invicem fovent atque perficiunt: Continentia et concupiscentia inter se pugnant: Ergo vel continentia vel coucupiscentia non est Dei donum. Id dici de continentia nequit quam ipsi Pelagiani Dei donum esse fatentur: remanet igitur ut a Deo non sit concupiscentia; ac proinde mala sit ac poena peccati. *Duo enim bona quae a Patre sunt, inter se pugnare non possunt: pugnat autem inter se continentia et concupiscentia: quid horum a Patre magis velis responde. Video quas patiaris angustias: faves quidem concupiscentiae, sed erubescis continentiae*. Sit alterum. Quidquid est a Deo non est materia pudoris: *vidit enim Deus cuncta, quae fecerat, et erant valde bona*. Concupiscentia vero est materia pudoris. Postquam enim primi nostri Parentes peccarunt, pudenda texerunt quoniam inobedientia membra senserunt. *Quid enim potuit Deus facere, quod ejus praedicatorem pudeat dicere?* ait S. Pater lib. 2. De Nupt. et conc. cap. 9. Et cap. 5. dixerat: *De hac* (concupiscentia) *erubuerunt etiam qui primi pudenda texerunt quae prius pudenda non fuerunt, sed tamquam Dei opera praedicanda atque glorianda. Tunc ergo texerunt, quando erubuerunt: tunc autem erubuerunt, quando post*

inobedientiam suam inobedientia membra senserunt. Tertium argumentum. Id per se malum est et non a Deo, quod cum vincit, vincit diabolus; cum vincitur, diabolus vincitur. Talis porro est concupiscentia. *Quando libido vincit, vincit et diabolus: quando libido vincitur, et diabolus vincitur. Quem ergo vincit libido, et a quo vincitur, hostis est ejus: cum quo autem vincit, et vincitur, auctor est ejus*. Lib. 5. cont. Jul. pelag. cap. 7.

Respondent nonnulli Recentiores concupiscentiam esse quidem donum Dei, sed cum aliqua imperfectione; omne enim creatum imperfectum est. Continentia porro, addunt, non pugnat cum substantia concupiscentiae, sed cum ejus imperfectionibus. Hae sunt materia pudoris. Hae cum vincunt, vincit diabolus. Ex quo sequitur non concupiscentiam, sed imperfectionem illius esse malam; sicuti ex quo voluntas ob sui imperfectionem sit caussa peccati, non sequitur malam esse et vitium naturae. II. Et revera in conjugatis quoniam concupiscentia modum habet, mala non est; alioquin damnandae forent nuptiae.

Sed haec est Pelagianorum crambes alio modo recocta. Concupiscentia enim est habitus quidam vitiosus et affectio malae qualitatis sicut languor, in se aliquod positivum habens et aliquod privativum: in utroque autem mala est ac vitium. Nam allicit movet impellitque voluntatem ad actum rectae rationi oppositum: Ideoque mala est. Et quoniam ad instar habitus se habet, vitium est. Reperitur autem in omnibus et singulis: ergo est vitium naturae per peccatum corruptae. Esse porro concupiscentiam in positivo ac privativo malam demonstrat Augustinus hoc argumento. Si concupiscentia aliquo sensu et seorsim considerata ab imperfectionibus, ut adversarii loquuntur, esset virtus et passio naturalis, aliquos bonos produceret motus, ut in aliis naturalibus accidit passionibus. Jamvero nullos bonos motus habet concupiscentia. *Quid enim agit in carne sanctorum continentium ista concupiscentia, nisi peccandi desideria? ... Neque enim saltem connubii desiderium in illa continentiae professione potest esse non malum. Quid ergo illic agit, ubi malum est quidquid agit; ac si ei consentiatur, et peragit? Quid ibi agit haec concupiscentia, ubi nihil boni concupiscitur ex illa? Quid ibi agit libido, ubi nihil boni libebit ex illa?* lib. 4. cont. Julian. pelag. cap. 2. Ex quo patet responsio ad exemplum ex voluntate desumptum: haec namque innumeros elicit bonos actus et laudabiles in ordine naturali, quod dici de concupiscentia nequit; unde hanc malam, illam bonam esse cognoscimus.

Ad 2. Etiam in conjugatis concupiscentia mala est; impellit enim eos ad illicita, excitat in foeminas praegnantes et ad omne libidinosum opus. Quod si conjugati concupiscentia bene utantur, bonum non ab ipsa concupiscentia, sed a conjugatis provenit. Unde S. Pater lib. 4. adv. Jul. pelag. cap. 2. *Pudicitia conjugalis inhiantem concupiscentiam sive de illicito sive de licito percipere voluptatem, fraenat ab illicito, permittit ad licitum: hoc est, bonum, non tamen ejus, sed bene utentis bonum est. Quod autem ipsa concupiscentia facit, sive ad licitum sive ad illi-*

citum indifferenter ardescere, utique malum est. Hoc itaque malo bene utitur pudicitia conjugalis.

COROLLARIUM

Ex his apparet quam inscite et insolenter nonnulli affirmaverint Augustinum concupiscentiam naturae vitium atque defectum ex originali ortum peccato appellando, excessisse. Nam S. Doctor id non solum asseruit sed argumentis invictis demonstravit, ut ex paucis a me allatis luculentissime patet.

CAPUT VIII.

An possibilis sit status purae naturae.

Magnam aggredimur controversiam, an videlicet possibilis sit status purae naturae quae Theologorum animos dudum dissociare coepit: quae licet prima fronte quod hypothetica sit parvi videatur momenti, quoniam tamen ex hypothetico statu ad statum realem transitum nonnulli fecere, non est omnino spernenda. Sed antequam ad rem descendamus, quid *purae naturae* nomine intelligatur exponendum est. Pura ergo natura juxta omnium Theologorum acceptionem ea est, quae nihil aliud nisi proprietates mere naturales habet: quae nimirum non habeat neque gratiam aut aliud supernaturale donum neque vitium morale; habeat tamen naturales aut corporis aut animi defectus qui ab anima et corporis constitutione profluant, ut sunt certa ignorantia fames sitis mors et cetera ejusmodi. Inquirunt itaque Theologi an Deus in hujusmodi statu hominem creare potuerit. Affirmativam olim tenebant opinionem omnes ferme Lojolitae theologi, quibus hac in re adhaeserunt etiam Thomistae praeclarissimi plures, inter quos Gonet et Estius. In negativam autem abiere sententiam Gregorius ariminensis, Argentinas, Norisius, Piette, Gavardi, Belletti, Lafosse, Cleanerts, Pauwens, uno verbo Augustiniani omnes, quibuscum aliarum scholarum bene multi faciunt, quorum unius meminisse sufficiat, piissimi nempe atque doctissimi Contensonii. His et nos utroque pollice subscribimus, absque ulla haesitatione pronuntiantes repugnare Deo hominem condere in statu purae naturae.

Quod antequam argumentis confirmare incipiamus, animadvertimus non loqui nos de potentia Dei absoluta. Si namque Deus alterius ordinis hominem produceret, non dubitamus quin posset illi suae gratiae donum denegare. Sed loquimur de potentia, ut inquiunt, ordinaria. Supposito nempe quod hominem ad imaginem ac similitudinem suam condiderit, quum ratio imaginis ordinationem importet ad Deum ipsum intuitive videndum tamquam ad ultimum finem, quem absque gratiae auxilio assequi non valet, tenebatur Deus aliquo titulo supernaturalis gratiae ornamento illum fulcire. Dixi, *aliquo titulo*: hoc est, *non propter exigentiam rei creatae, sed propter decentiam Creatoris*, ut verbis utar Eminentissi-

mi Norisii. Non propter rei creatae exigentiam, tum quoniam si de gratia loquamur actuali, nemini dubium quin rationalis creatura potuerit absque tali ornamento creari; unde non infimae notae Theologi tenent Adamo ipsi non fuisse ab initio eam gratiam collatam: tum etiam quoniam si sermo sit de gratia habituali, homo in se et in genere speciei suae consideratus non exigit nisi intellectum et voluntatem: sed propter decentiam Creatoris, et quoniam *in natura hominis ante peccatum pacem decebat esse non bellum*, ait S. P. Augustinus lib. 3. cont. Julian. pelag. cap. 11. et quoniam dedecet summam Creatoris bonitatem ut homini ad imaginem et similitudinem suam, nimirum propter suipsius intuitivam visionem condito, necessaria desint media ad illam obtinendam. His explicatis sit

CONCLUSIO

Impossibilis est status purae naturae.

MOMENTUM I.

Ex appetitu creaturae rationali innato videndi Deum.

Deus rationalem condidit creaturam cum innato desiderio videndi Deum ipsum intuitive tamquam ultimum finem. Nam facta est creatura rationalis ad imaginem Dei, juxta illud Gen. cap. 1. *Faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nostram*. Hanc Dei imaginem in homine splendentem consistere praesertim in naturali hominis ratione, fuse probavimus in hujus libri cap. 2. et confirmatur ab Augustino Tract. 3. in Johan. his verbis: *Non distas a pecore, nisi intellectu ... Unde ergo meliores? Ex imagine Dei. Ubi imago Dei? In mente, in intellectu*. Jamvero ex quo ob Dei imaginem quam homo in seipso gestat sit rationis particeps, Deo ipsi conjunctissimus est, illumque vel ex ingenita quadam idea vel ex rebus creatis, non modo existere sed esse summum atque incommutabile bonum facile percipit: si enim totum id praestare rationalis creatura potest post admissum peccatum; quanto magis in statu in quo nullum esse peccatum supponimus? Quare S. Pater in lib. 83. QQ. Q. 51. *Cum homo*, inquit, *possit particeps esse Sapientiae secundum interiorem hominem, secundum ipsum ita est ad imaginem Dei, ut nulla natura interposita formetur; et ideo nihil sit Deo conjunctius*. Et paullo post scribit: *Iste spiritus ad imaginem Dei nullo dubitante factus accipitur, in quo est intelligentia veritatis: haeret enim veritati nulla interposita creatura*. Hinc nullibi quietus est vel esse potest donec illa visione fruatur ad quam naturaliter vehementerque tendit, juxta illud Augustini lib. 1. Conf. cap. 1. *Inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te*. Ast vero divinam dedecet bonitatem si permittat hominem naturaliter appetere et quidem vehementissime intuitivam Auctoris sui visionem, et carere supernaturali ad illam consequendam auxilio. Ex una siquidem

parte appeteret tamquam ultimum finem aeternam felicitatem, ex altera vero ob gratiae defectum adipisci illam non posset; atque adeo desiderio suo fraudatus maxima angeretur poena ac miser esset: Qui enim appetit quod adipisci non potest, cruciatur, ut Augustinus inquit de Morib. eccl. cap. 3. Repugnat autem hominem innocentem et absque peccato miserum esse; *Neque enim sub Deo justo miser esse quisquam nisi mereatur potest*, ut scribit Augustinus multis in locis. Uude idem S. Doctor Pelagianos delirantes nasci infantes in statu purae naturae, absque gratia nempe et absque culpa, et nihilominus ob baptismi carentiam a regno excludi caelorum, acriter redarguit, quod Deum qui tot imagines suas miseras esse sineret absque peccato, facerent injustum: *Quid igitur*, inquit lib. 6. adv. Jul. pelag. cap. 10. *eum offenderunt, quos pariter innocentes, mundos, a se ad imaginem suam creatos, innumerabiles ab isto munere alienat, nec eorum voluntatem hujus ineffabilis praevenit beneficii largitate, separans tot imagines suas a regno suo? Si hoc eis non erit malum, non ergo amabunt regnum Dei tot innocentes imagines Dei. Si autem amabunt, et tantum amabunt, quantum innocentes amare debent regnum ejus, a quo ad ipsius imaginem creantur, nihilne mali de hac ipsa separatione patientur?* Eadem saepe repetit S. Doctor in lib. 3. cont. Jul. cap. 12. et 5. lib. 5. cap. 64. lib. 2. Op. imp. et lib. 1. De peccat. mer. cap. 30. Persuasum ergo fuit Augustino divinam non decere bonitatem atque justitiam ut rationali creaturae ad Dei imaginem factae, adeoque naturaliter ipsius visionem appetenti gratiae denegetur auxilium ad illam consequendam necessarium: atque idcirco ex quo Deus hominem ad imaginem suam condendo illum ad suipsius ordinaverit visionem tamquam ad ultimum finem, sequitur impossibilem esse statum purae naturae.

Confirmant quae hactenus dicta sunt tria Theologiae lumina Augustinus, Thomas, et Ægidius romanus. Et Augustinus quidem lib. 4. adv. Jul. pelag. cap. 3. ita scribit: Bonum *dicis* hominum naturam, quae gratiae, opitulationem meretur. *Quod gratanter audirem si hoc propterea quia rationalis creatura est diceres: neque enim gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum lapidibus aut lignis pecoribusve praestatur: sed quia imago Dei est, meretur hanc gratiam; non tamen ut ejus bona voluntas possit praecedere praeter gratiam, ne vel ipsa prior det, ut retribuatur illi, ac sic gratia jam non sit gratia, dum non datur gratuita, si redditur debita*.

S. autem Thomas in 2. dist. 3. q. 1. a. 1. inquit: *Oportuit naturam hominis taliter institui, ut non solum haberet illud quod sibi ex principiis naturalibus debebatur, sed etiam aliquid ultra per quod facile in finem perveniret: et quia ultimo fini amore inhaerere non poterat nec ad ipsum tenendum pervenire, nisi per supernam partem suam quae est mens et intellectus seu ratio, in qua imago Dei insignita est; ideo ut illa pars in Deum tenderet, subjectae sunt vires inferiores*. Quibus in verbis sedulo inter hominem secundum principia sua naturalia conside-

ratum, et prout est imago Dei distinguit. Et ideo dum Q. 4. De malo art. 1. ad 14. affirmat *quod carentia divinae visionis competeret homini, qui in solis naturalibus esset etiam sine peccato: Et quod sic carentia divinae visionis non est poena, sed defectus consequens omnem naturam creatam, quia nulla creatura ex suis naturalibus potest pervenire ad visionem divinam:* dum, inquam, haec scribit, considerat hominem absolute in se ac in genere speciei suae, non quatenus est ad imaginem Dei creatus et prout superiori subest providentiae *quae singulis perfectionibus congrua perfectibilia coaptavit, et superiorem naturam inferiori conjunxit ut ei dominaretur*. Secundum enim hanc considerationem in 4. cont. Gent. cap. 52. ait *mortem, concupiscentiam, et ejusmodi defectus esse poenales*. Ægidius tandem rom. in 2. dist. 30. Q. 1. art. 1. ita loquitur: *Cogimur dicere fuisse quamdam opportunitatem et quamdam necessitatem et quoddam debitum quod natura humana in sui institutione fuerit cum quodam dono supernaturali et gratuito. Sed hujusmodi necessitas non potest esse absolute et simpliciter, quia tunc gratia non esset gratia*. His itaque muniti praesidiis fidenter asserimus debitam homini ex decentia Creatoris esse supernaturalem gratiam: atque adeo impossibilem esse statum purae naturae.

Respondent adversae sententiae patroni falsum esse rationalem creaturam naturaliter appetere visionem Dei intuitivam. I. Enim, inquiunt, appetitus innatus tendit in objectum homini connaturale. Visio autem Dei intuitiva est ordinis supernaturalis. Hinc homo naturaliter tendit ad beatitudinem quidem, sed in communi non in particulari. II. Eo ipso quod appetitus innatus est omnem praecedere debet cognitionem, ad differentiam appetitus eliciti qui a cognitione procedit. Porro visio Dei intuitiva nequit desiderari quin prius cognoscatur. III. Dato etiam quod desiderium videndi Deum a cognitione proficiscatur ac elicitus sit, in statu purae naturae esset desiderium inefficax nullam ei afferens poenam qui ea careret. Nam duplex est appetitus elicitus; alter efficax, inefficax alter. Primus est quoties praesto sint media ad consequendum quod appetitur; secundus vero si media aut in appetentis potestate non sint, aut deliberata rejiciantur voluntate, ut si quis desideraret semper vivere. Hujus generis esset desiderium videndi Deum in statu purae naturae. Hinc Augustinus lib. 13. de Trin. cap. 4. et sequentibus, ad quaestionem cur cum capessendae atque retinendae beatitudinis voluntas una sit omnium, existat adhuc de ipsa beatitudine tanta varietas atque diversitas voluntatum; et alii in voluptate corporis ut Epicurus; alii in virtutibus animi ut Zeno; alii in utraque, et alii atque alii alibi atque alibi illam reponunt; ad hanc quaestionem respondet evenire id ex Fidei defectu quae sola proponit homini ultimum finem esse beatitudinem aeternam quae in Dei visione consistit. Atque ita homo in puris naturalibus per Augustinum cupit esse beatus beatitudine in communi; a Fide autem illuminatus tendit in Deum.

Verum non haec talia sunt ut a praeconcepta opinione nos recedere cogant. Atque ad 1. respondeo cum Bellarmino, qui licet status purae na-

turae admittat possibilitatem, negare tamen non audet Dei visionem esse finem hominis naturalem. In lib. quippe De grat. primi hominis cap. 8. ad 13. objectionem, *Æterna beatitudo finis est hominis naturalis, ut S. Thomas docet* 1. p. q. 12. art. etc. ita scriptum reliquit: *Respondeo, beatitudinem finem hominis naturalem esse quoad appetitum, non quoad consecutionem. Neque est aut novum aut hominis natura indignum, ut naturaliter appetat quod nonnisi supernaturali auxilio consequi valeat. Non est, inquam, novum; siquidem animae hominum solutae corporibus naturalem habent ordinem et propensionem ad corpora quorum formae fuerunt, nec tamen iterum conjungi corporibus sine supernaturali auxilio poterunt. Non est autem natura hominis indignum, sed contra potius ad maximam ejus pertinet dignitatem quod ad subliniorem finem condita sit, quam ut cum solis naturae suae viribus attingere possit*. Hactenus Bellarminus qui doctrinam hanc mutuo accepit a Scoto ejusque schola in qua sententia de innato intuitivae visionis appetitu communis est, ut constat legenti Scotum ipsum Q. 1. Prol. et Mastrium Disp. 6. de Vis. Dei Q. 2. Et jure quidem ita sentiunt Scotistae. Nam ideo homo intuitivam appetit visionem, quoniam imago Dei est. Ast imago est Dei natura sua: appetitus itaque ille est naturalis. Quod vero addunt, hominem naturaliter tendere ad beatitudinem non in particulari sed in communi, falsum omnino est; objectum quippe creatae voluntatis esse debet quid physicum et reale, non abstractum et metaphysicum ut est beatitudo in communi.

Ad 2. Appetitus est desiderium; desiderium est animi pondus; omne animi pondus est amor; omnis amor praesupponit cognitionem: itaque quivis appetitus sive innatus sit sive elicitus praesupponit cognitionem. Hinc Augustinus lib. 13. de Trin. cap. 4. de beatitudine inquit: *Quomodo igitur ferventissime amant omnes, quod non omnes sciunt? Quis potest amare quod nescit?* Et lib. 8. cap. 4. *Quis diligit quod ignorat?*

Ad 3. Falsum est quoque appetitum hominis videndi Deum esse inefficacem nullamque poenam ei afferre qui illa carere debet visione. Nam *perire a regno Dei, exsulare a civitate Dei, alienari a vita Dei, carere tam magna multitudine dulcedinis Dei ... tam grandis est poena, ut ei nulla possint tormenta quae novimus comparari, si illa sit aeterna*, ait Augustinus Enchir. cap. 112. Allatum autem exemplum de eo qui semper vivere desiderat, ad rem minime facit: ideo namque desiderium aut semper vivendi aut immensam congregandi thesaurorum copiam aliarumque hujus generis rerum si frustretur animum non torquet, quoniam creata haec atque fluxa non sunt ultimus hominis finis ut visio Dei intuitiva, sed media dumtaxat quae diligi aut non diligi possunt. S. autem P. Augustinus laudato in argumento loco de statu loquitur naturae lapsae in quo quum ignorantia vigeat et concupiscentia, omnia erroribus aerumnisque sunt plena: atque idcirco unus in voluptate corporis, alius in virtute animi, alius in utraque, et alius atque alius alibi atque alibi ultimum finem collocat: quam ob rem in exemplum assumit, ut vidimus, Zenonem, Epi-

curum, Stoicos etc. In statu autem purae naturae esset naturalis cognitio Dei naturalisque ad illius visionem propensio.

MOMENTUM II.

Ex praecepto diligendi Deum.

Deus nullo modo neque ut auctor gratiae neque ut auctor naturae absque supernaturalis gratiae adjutorio diligi potest. Nam Paulus ad Rom. cap. 5. scribit: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis*. Et Arauxicana synodus can. 25. *Prorsus Dei donum est diligere Deum*. Et Augustinus lib. 4. cont. Jul. cap. 3. *Amor autem Dei quo pervenitur ad Deum, non est nisi a Deo.* Sed de hoc argumento fusius pertractabimus in libris de Gratia. Porro creatura rationalis in statu purae naturae teneretur diligere Deum; urgeret enim ipsi maximum illud legis naturae praeceptum, *Diliges Dominum Deum tuum* etc. Ac per hoc teneretur Deus rationali creaturae gratiam conferre ut posset illud implere.

Respondent adversarii I. Ad Deum ut auctorem gratiae diligendum necessarium quidem est supernaturale auxilium, non autem ad illum amandum ut auctorem naturae. Laudata autem testimonia loquuntur de necessitate gratiae ad diligendum Deum ut auctorem non naturae sed gratiae. II. Dato etiam quod ad Deum ut auctorem naturae diligendum necessaria foret gratia, id in praesenti utique statu in quo contaminata sunt omnia, non in statu purae naturae ubi nullum esset vitium, verificaretur.

Verum unica eaque brevissima responsione dimittimus adversarios; nam accuratius ac fusius, ut diximus, de his a nobis est pertractandum. Qui Deum sive in hoc statu sive in hypothesi purae naturae ut naturae ejusdem auctorem absque supernaturali adjutorio diligeret, consequeretur nec ne vitam aeternam? Si non consequeretur: ergo qui primum maximumque adimplevisset in lege mandatum ex quo universa lex pendet et Prophetae, in aeternum damnaretur; neque enim inter vitam et damnationem aeternam datur medius locus. Si autem consequeretur: ergo sine gratia aeternam acquireret vitam, quod est absurdum.

MOMENTUM III.

Ex perduelli concupiscentia.

In hypothesi status purae naturae nasceretur homo rebelli concupiscentia obnoxius: Ast Deus nequit hominem cum perduelli creare concupiscentia; aut si conderet, supernaturalem gratiam ne ab ea vinceretur elargiri teneretur. Et revera concupiscentia quam nunc experimur perduellis ac lacertosa, per se mala est, ut supra demonstravimus. Quod autem est per se malum numquid Deum habere potest auctorem? Hinc Fulgen-

tius in ep. De bono conjug. cap. 3. inquit: *In illis namque bonis quae fecit Deus, invenitur casta copulatio uxoris et viri, in quibus Dei operibus libido non potest inveniri: nec aliquando justitiae congruit, quae non hominibus ex dono Conditoris, sed peccatoribus ex vitio primae praevaricationis accessit*. Et Pomerius lib. 3. De vita contem. cap. 2. *Piis*, inquit, *conatibus nostris resistit ipsa concupiscentia vitiosa non naturalis, sed nostrae naturae indita poenaliter et inserta, quae peccato facta est, et peccatum si vicerit facit*. Et Tridentina synodus docet ab Apostolo appellari concupiscentiam peccatum, *quia ex peccato est, et ad peccatum inclinat*. Quod si Deus hominem cum concupiscentia conderet teneretur, ut dixi, illi impertiri gratiam: quod verbis Bellarmini lib. De grat. primi hominis cap. 7. demonstro. *Vel homini creato in puris naturalibus Deus praeberet auxilium quo posset concupiscentiam coercere aut certe cupiditatibus ejus non consentire, vel non praeberet. Si praeberet, non necessario homo concupiscentiae cederet. Si non praeberet, cederet quidem, sed non sua culpa cederet, et proinde non peccaret. Atque hoc ipsum his verbis S. Augustinus scribit in lib. De Cor. et Gr. cap. 11. Si autem hoc adjutorium vel Angelo vel homini cum primum facti sunt, defuisset; quoniam non talis eorum natura facta erat, ut sine divino adjutorio posset manere si vellet, non utique sua culpa cecidissent: adjutorium quippe defuisset, sine quo manere non possent*. Bellarmini verbis concludere argumentum volui ut calumniatorum comprimatur audacia.

Sed respondent adversarii I. Concupiscentiam esse propensionem ad bonum sensibile ac inclinare ad peccatum ob hominis infirmitatem; unde concupiscentia, inquiunt, mala est per accidens, non natura sua secundum quam est a Deo. II. Dici etiam potest malum, sed physicum ob elementorum pugnam, non morale. Non repugnat autem ut a Deo sit quidquid non est malum morale. III. Nonne concupiscentia remanet in justis hominibus usque ad agonem juxta concilium Tridentinum? Non igitur mala est ita ut non possit esse a Deo. IV. Addit Estius: In statu purae naturae esset quidem concupiscentia, sed ad nutum rationis.

Verum primum ita solvit Augustinus lib. 4. cont. Jul. cap. 14. *Vivacitas sentiendi est, qua magis alius, alius minus in ipsis corporalibus rebus pro earum modo atque natura quod verum est percipit, atque id a falso magis minusve discernit. Utilitas sentiendi est, per quam corporis vitaeque quam gerimus, ad aliquid approbandum vel improbandum, sumendum vel rejiciendum, appetendum vitandumque consulimus. Necessitas sentiendi est, quando sensibus nostris etiam quae nolumus ingeruntur. Libido autem sentiendi est ... quae nos ad sentiendum, sive consentientes mente, sive repugnantes, appetitu carnalis voluptatis impellit*. Haec postrema est natura concupiscentiae de qua loquimur: quae praeter propensionem ad bonum sensibile importat etiam impulsum ad actum cui mens repugnet illamque antevertat. Ast vero ubi impulsus est ad actum menti contrarium, ibi certe est bellum; ubi bellum, ibi malum: adeoque concupiscentia quae in statu purae naturae admittitur, esset malum cujus nequit auctor esse Deus.

Ad 2. Concupiscentia vel hominem inclinat ad malum, vel indifferens est flectitque hominem ad licitum ex aequo ac illicitum. Verum utroque modo considerata malum est morale. Malum, inquam, est morale priori modo spectata. *Neque enim nulla est iniquitas cum in uno homine, vel superiora inferioribus turpiter serviunt, vel inferiora superioribus contumaciter reluctantur, etiam si vincere non sinantur*, ait S. P. Augustinus adv. Jul. lib. 6. cap. 19. Sed malum morale est, licet indifferens esset ad licitam vel illicitam voluptatem. Nam ut Augustinus eod. lib. cap. 16. scribit: *Si autem, ut aliquo loco significasti*, placet tibi secta Dinomachi, honestatem voluptatemque conjungens; *quod philosophi quoque hujus mundi qui honestiores videbantur, Scyllaeum bonum esse dixerunt, ex humana scilicet natura belluinaque compactum: Si hoc ergo monstrum tua opinione sectaris; satis est nobis quod confitearis aliam esse illicitam, aliam licitam voluptatem. Ac per hoc mala est concupiscentia quae indifferenter utrumque appetit, nisi ab illicita voluptate licita voluptate fraenetur.*

Ad 3. Quamvis concupiscentia post baptismum non sit peccatum, a reatu quippe per Sacramentum solvitur, ut Tridentina synodus adversus Novatores definivit; in se tamen ac natura sua mala est quia est ex peccato, ad peccatum inclinat, et si motus ejus voluntas sequatur fit vere peccatum. Repugnat autem quod a Deo sit quod est ex peccato et ad peccatum natura sua inclinat.

Ad 4. Admisso etiam Estii systemate, necessaria creaturae rationali foret gratia. Nam concupiscentia quam sibi fingit Estius, esset propensio ad objecta secundum sensum delectabilia; unde Angelicus Doctor in 2. dist. 30. q. 2. a. 1. ad 4. *Vis concupiscibilis*, inquit, *naturale habet hoc, ut in delectabile secundum sensum tendat*. Ast vero si gratia deesset, propensio isthaec non posset rationis non excutere jugum; sicque in objecta rationi contraria absque culpa ferretur, quod repugnat.

MOMENTUM IV.

Ex morte cui homo in statu purae naturae subditus esset.

Homo in statu purae naturae juxta adversariorum sententiam, utpote ex pugnantibus elementis ad dissolutionem natura sua tendentibus constans, subditus esset morte, animae videlicet a corpore separationi: At dedecet Deum hominem natura sua morti obnoxium condere, nec illi donum aliquod ad continenda in temperie elementa ne ad dissolutionem tenderent superaddere. Quod patet I. omnibus argumentis quibus praecedenti cap. 8. probavimus mortem esse poenam peccati. II. Auctoritate et ratione M. Augustini qui lib. 6. Op. imp. num. 39. ita scribit: *Numquid ideo moriturus erat Adam, etiamsi non peccasset, quia in corpore animali, non spiritali, erat factus? Prorsus erras, si propterea etc. Lignum enim vitae, quod in paradiso suo plantavit Deus, etiam corpus animale de-*

fendebat a morte, donec perseverantis obedientiae merito, in gloriam spiritalem, quam resurgentes habituri sunt justi, sine morte interveniente transiret. Justum enim erat, ut imago Dei nullo fuscata et obsoleta peccato, tali insereretur corpori, quamvis de terrena materia creato atque formato, ut ei de ligno vitae subministrata vivendi stabilitas permaneret; ac viveret interim per animam viventem, quam nulla ab illo necessitas separaret; atque inde, propter obedientiam custoditam, ad vivificantem spiritum perveniret, ita ut non ei subtraheretur haec vita minor, ubi et mori et non mori posset, sed illa amplior adderetur, ubi vivere sine ullius ligni beneficio, morique non posset. Hactenus Augustinus: quibus in verbis satis declarat non decere Deum homini natura sua mortali donum quo fieret immortalis denegare. Neque vero dici potest loqui S. Doctorem de Adamo supernaturali gratia fulcito: nam ait justum fuisse ut Adamo daretur immortalitas quoniam homo erat ad imaginem Dei conditus. Imago autem Dei in ratione consistit. III. Anima quum a Deo creetur ut sit forma corporis, est enim substantia cogitans regendo corpori accomodata ut Augustinus inquit, ita naturaliter, adeoque necessario corporis desiderat unionem: ut ab eo separata, in statu sit violento, ac proinde patiatur. Hinc Ambrosius, Augustinus, Bernardus non dubitant affirmare animas a corporibus separatas planeque purgatas intuitiva quidem frui Dei visione, completam tamen beatitudinem usque ad extremum judicii diem retardari ab innato appetitu quo in corpus feruntur, cujus desiderant unionem. Ast sub cura omnipotentis et justi Dei cujus non est iniquum judicium, ut inquit Augustinus; nec lactari potest in perditione virorum, ut Sapientiae Auctor affirmat, nemo pati potest nisi mereatur: ac per hoc Dei dedecet providentiam non addere naturae donum incorruptionis. Adeo Angelico Doctori persuasum erat separationem animae a corpore poenam esse, ut inde corporum demonstraverit resurrectionem. Legite in 4. cont. Gent. cap. 79.

CAPUT POSTREMUM

In quo calunniae refutantur adversariorum.

Obj. 1. Sententia Theologorum impossibilitatem status purae naturae adstruentium expresse damnata est a summis Pontificibus Pio V. et Gregorio XIII. qui sequentes proscripserunt Michaelis Baji propositiones, nempe 27. *Integritas primae creationis non fuit indebita humanae naturae exaltatio, sed naturalis ejusdem conditio*. Et 55. *Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur*. Et 78. *Immortalitas primi hominis non erat gratiae beneficium, sed naturalis conditio*. Et 79. *Falsa est Doctorum sententia primum hominem potuisse a Deo creari et institui sine justitia originali*. Neque enim defensores impossibilitatis status purae naturae aliud affirmant nisi debitam esse homini gratiam; non posse a Deo creari hominem concupiscentiae ac morti

subjectum qualis nunc nascitur, ac hominis immortalitatem naturalem esse conditionem.

Resp. Ut manifestum fiat quam imperite, ne dicam inique, odioso Bajanismi nomine traducant nos adversarii, non meis, non Theologorum nostrorum, sed illorum qui status purae naturae defendunt possibilitatem, ad argumentum solvendum utar verbis. Gonet ergo in Disp. *De statu purae naturae* art. 1. sect. 3. ita scribit: *Hanc assertionem possibilis est status purae naturae, Bellarminus, Suarez, et Antijansenius ex eo probant quod contraria, inquiunt, sententia sit a Pio V. in Bulla contra Michaelem Bajum reprobata. Verum licet inter damnatos Baji articulos* 26. *sic se habeat:* Integritas primae creationis non fuit indebita humanae naturae exaltatio, sed naturalis ejus conditio. *Et* 52. Deus non potuisset ab initio creare hominem qualis nunc nascitur; *inde tamen concludi non potest efficaciter, opinionem quae impossibilitatem status naturae purae praecise quantum ad donum integritatis adstruit in hac Bulla, fuisse damnatam; sed tantum aliam quae praeterea negat, sine gratia sanctificante quae absolute justum et rectum constituit, hominem condi a Deo potuisse. Hoc enim, ut recte observat Estius, intentum erat Baji in citatis articulis: ita ut* 26. *intelligeretur ab eo de integritate, ut comprehendit gratiam habitualem absolute justificantem; et* 32. *de homine nascente modo cum privatione talis gratiae. Unde per hanc Bullam nulla quidem cadit censura in opinionem Estii; sed eam Jansenius et Henricus nullatenus evadere possunt, cum asserant hominem ante peccatum non potuisse produci sine gratia sanctificante et immortalitatis dono: haec enim doctrina expresse in Bulla proscribitur, ut art. ant. quoad gratiam sanctificantem ostendimus. Quantum vero ad immortalitatis donum patet ex art.* 74. *Baji, qui sic habet: Immortalitas primi hominis non erat gratiae beneficium, sed naturalis conditio*. Haec Gonet. Estius autem ab eo citatus in 2. dist. 25. de sensu Baji articuli 28. loquens, inquit: *Ibi praecipue agit de gratia quae nimirum absolute justum et rectum hominem constituit. Idem patet ex articulis* 21. 23. *et* 24. *praecedentibus qui cum isto sunt ejusdem argumenti, et loquuntur tantum de dono gratiae adoptantis homines in filios Dei. Denique id liquet ex declaratione Facultatis lovaniensis theologicae in scripto quodam super dictis articulis edito*. Imo vel ipse Suarez qui hisce damnatis articulis abutitur contra nostram sententiam Proleg. 6. de Grat. cap. 2. illarum damnatum propositionum sensum exponens docet Bajum in septem prioribus articulis supponere vitam aeternam esse Angelo ac homini connaturalem et debitam viribus naturae: bonumque opus a natura innocente procedens esse per se vitae aeternae meritorium, non secus ac peccatum naturaliter meretur poenam: atque idcirco in Angelis sanctis gloriam esse mercedem dumtaxat, non gratiam: quod de homine quoque affirmat si perseverasset, cui, subdit Bajus juxta expositionem Suarez, promissio vitae si legem servasset, ex lege debebatur naturae non gratiae. Post haec e vestigio subdit: *Et huc spectat quod dicit in* 22. *exaltationem ad consor-*

tium divinae naturae fuisse debitam integritati primae conditionis; *ac proinde naturalem dicendam esse*, *non supernaturalem*. Et post pauca: *Atque hinc ortae sunt assertiones 22. et 24. in quibus dicitur dona integritatis naturae non fuisse supernaturalia*, *sed naturae debita*; *et 25. in qua tamquam absurda rejicitur sententia Catholicorum docens primum hominem fuisse exaltatum donis supernaturalis gratiae*. *Et hanc sententiam repetit in 27. et in plura capita sui libri* etc. Eadem scribunt Bellarminus lib. 1. De gr. primi hominis cap. 1. et 5. Turrianus in Tract. de err. Baji cap. 1. v. 1. Vasquez 1. 2. disp. 195. cap. 4. Qua fronte ergo Bajanismi nota insimulare audent adversarii Theologos illos catholicos qui in sensu superiori cap. exposito impossibilitatem defendunt status purae naturae? Itaque doctrina nostra ab ea per summos Pontifices in Bajo damnata longissime differt. Is enim asseruit 1. integritatem primae creationis, hoc est gratiam habitualem initio homini collatam, indebitam non fuisse in rigore justitiae humanae naturae exaltationem, sed conditionem ejus naturalem. Nos e contra fatemur integritatem illam sumptam pro gratia sive habituali sive actuali, fuisse donum Dei gratuitum naturae sive Angelicae sive humanae superadditum, quamvis arbitremur actualem aliquam gratiam debitam fuisse homini ad imaginem Dei condito ex mera ipsius Dei decentia. 2. Affirmavit ille Deum talem non potuisse condere hominem qualis nunc nascitur, expoliatum nempe habituali gratia, et rebelli concupiscentiae quae sit formaliter peccatum, subjectum. Affirmamus nos potuisse utique Deum hominem qualis nunc nascitur creare, absque gratia nempe habituali; neque propterea negamus potuisse hominem cum rebelli concupiscentia condere, quod haec sit formaliter peccatum: sed quatenus ex peccato est et ad peccatum inclinat. 3. Tradidit Bajus immortalitatem primi hominis uti et justitiam et integritatem et alia dona fuisse conditiones humanae naturae debitas eique proportionatas, ita ut illorum carentia donorum in homine lapso sit privatio naturalium bonorum. Ubi autem umquam Augustiniana schola haec admisit portenta? 4. Denique redarguit ille Theologos asserentes potuisse Deum primum condere hominem absque originali justitia, hoc est absque gratia habituali: quum Augustiniana schola defendat nullo titulo talem gratiam debitam primis nostris fuisse Parentibus. Conticescant ergo adversarii finemque faciant Augustinianam scholam errorum a Romanis Pontificibus damnatorum insimulandi. Vide Norisium nostrum Vindiciar. cap. 3. par. 2. et Laurentium Berti Aug. Syst. vind. Dissert. 2. cap. 1.

Obj. 2. S. P. Augustinus lib. 1. Retract. cap. 9. haec habet quae statum purae naturae admittere videntur: *Quamvis ignorantia et difficultas* (hoc est concupiscentia) *etiamsi essent homini primordia naturalia*; *nec sic culpandus*, *sed laudandus esset Deus*, *sicut in eodem tertio libro* (De lib. arb. cap. 20.) *disputavimus*. Si S. Doctor admittit ignorantiam et concupiscentiam esse posse conditiones naturae, nonne possibilem esse admittit statum purae naturae? II. Neque Augustinenses respondeant haec dixisse Augustinum in sententia Manichaeorum: nam id reve-

ra affirmavit in propria sententia. In eodem quippe 3. lib. De lib. arb. cap. citato 20. ita scribit: *Si ergo* (anima) *altera esse coepit, non solum ante peccatum, sed ante omnem vitam suam, qualis alia post vitam culpabilem facta est, non parvum bonum habet, unde Conditori suo gratias agat: quia ipse ortus ejus et inchoatio quovis perfecto corpore est melior. Non enim mediocria bona sunt, non solum quod anima est, qua natura jam omne corpus praecedit, sed etiam quod facultatem habet, ut adjuvante Creatore seipsam excolat, et pio studio possit omnes adquirere et capere virtutes, per quas a difficultate crucian!e et ab ignorantia caecante liberetur.* III. Nec quemquam movere debet quod S. Pater gratiam commemoret Conditoris. Nam intelligit per eam, gratiam quamdam ordinis naturalis: tum quia non meminit gratiae supernaturalis: tum maxime quia e vestigio subdit: *Non enim parum est accepisse naturale judicium, quo sapientiam praeponat errori, et quietem difficultati, ut ad haec non nascendo, sed studendo perveniat.* En gratia Conditoris, juxta Augustinum, *naturale* nempe *judicium*. Quum ergo anima in puris naturalibus exercitio virtutis pioque studio difficultatem et ignorantiam vincere possit, quae duo in homine sint ante culpabilem vitam; jam nemo non videt concupiscentiam et ignorantiam per Augustinum esse posse primordia naturae. IV. Quod vero per auxilium Conditoris gratiam intelligat ordinis naturalis seu naturale judicium ad ignorantiam et difficultatem vincendam, patet ex eodem lib. cap. 23. ubi docet hominem tali gratia exornatum opera illa posse patrare quae meritoria non sint nec aeternae salutis neque gehennae; hoc est, quae nec recte facta sint neque peccata; ait siquidem: *Non enim metuendum est, ne vita esse potuerit media quaedam inter recte factum atque peccatum, et sententia judicis media esse non possit inter praemium atque supplicium.*

Resp. ad 1. Statum purae naturae possibilem agnoscit Augustinus in Manichaeorum, non in propria sententia. Sciendum quippe est integrum 3. librum De lib. arb. editum ab Augustino fuisse adversus Manichaeos. In hoc autem S. Pater et Manichaei conveniebant, quod concupiscentia et ignorantia per se mala sint. In eo autem dissociabantur, quod S. Doctor vellet duo illa mala non substantiam aliquam neque vero peccatum esse, sed peccati poenas ab originali culpa profluentes; Manichaei vero contenderent ignorantiam et difficultatem malam esse substantiam conditionesque naturae sine quibus impossibile sit hominem nasci. Ita Augustinus ipse rem narrat Juliano in 5. Op. imp. cap. 30. Manichaei interim ex falso illo principio inferebant supremam dari mali caussam a suprema caussa boni diversam, hoc argumento: Nequit homo sine concupiscentia et ignorantia nasci, sunt enim haec duo primordia seu conditiones naturae: atque adeo ignorantia et concupiscentia sunt mala quaedam substantia. Sed mala substantia caussam supponit supremam a qua producatur: Datur igitur suprema malorum caussa effectrix a caussa bonorum diversa. *Eo modo volentes*, inquit Augustinus De dono persev. cap. 11. *secundum suae impietatis errorem* (*Manichaei enim sunt,*) *immutabilem quamdam*

et Deo coaeternam introducere naturam mali. Quid ad haec S. Pater? Non poterat adversus eos demonstrare illa duo mala poenas esse originalis peccati, quod dari negabant. *Quae disputatio contra Manichaeos habenda est, qui non accipiunt scripturas sanctas veteris Instrumenti, in quibus peccatum originale narratur; et quidquid inde in litteris apostolicis legitur, detestabili impudentia immissum fuisse contendunt, tamquam non fuerit ab Apostolis dictum*, ait ibidem cap. 11. et lib. 1. Retract. cap. 9. En ergo quomodo pessimos refellit haereticos: Anima hominis vel fit ex traduce, vel ante corpus existens a Deo in corpus mittitur, vel in corpus sua sponte dilabitur, vel una cum corpore a Deo creatur; neque enim alia excogitari potest hypothesis: Si anima fit ex traduce, ignorantia et difficultas sunt non a Deo malo quem vos fingitis, neque a Deo bono: sed a vitiata propagine. Si antequam in corpus veniret jam existebat, in altera profecto vita peccavit, atque in admissi sceleris poenam ignorantiam contraxit et concupiscentiam. Si sponte ad corpus dilabitur, a propria sua voluntate duo illa mala proveniunt. Quod si tandem velitis animam a Deo creari et in corpus infundi, non proinde culpandus, sed laudandus esset Deus bonus animae conditor: tum quia nulla Dei culpa esset facere quod aliter fieri non potest: tum etiam quia Deus gratiae suae auxilium ad illa duo mala vincenda praeberet. Ex his apparet hypothesim de qua loquitur Augustinus allatis in argumento verbis, 1. esse hypothesim Manichaeorum, non suam. 2. Non esse hypothesim status purae naturae, quum in illa agnoscat Dei conditoris animae gratiam. Unde optime S. Pater lib. De dono persev. cap. 12. scribit: *Quia contra quos mea dirigebatur intentio*, (in tertio videlicet libro de lib. arb.) *sic mihi visi sunt refellendi, ut sive poena esset, peccati originalis in parvulis, quod veritas habet; sive non esset, quod nonnulli errantes opinantur; nullo modo tamen quam Manichaeorum error inducit, duarum naturarum, boni scilicet et mali permixtio crederetur*. Ceterum ubi S. Doctor de ignorantia ac difficultate loquitur adversus Pelagianos, semper constanterque docet duo illa poenas esse originalis peccati. Vide quae capite praecedenti diximus.

Ad 2. etiam in lib. 3. De lib. arb. cap. 20. admittit Augustinus in homine ante culpabilem vitam ignorantiam et concupiscentiam non in propria, sed in Manichaeorum sententia: secus monstruosam et contra sua principia fingeret hypothesim. Supponit enim ante omne peccatum dari in homine ignorantiam excaecantem et cruciantem concupiscentiam, ut in homine post culpabilem vitam; nunc autem quis dixerit haec in propria sententia affirmare Augustinum? Augustinum, inquam, qui eodem in lib. cap. 18. scripserat: *Nam sunt re vera omni peccanti animae duo ista poenalia ignorantia et difficultas. Ex ignorantia dehonestat error, ex difficultate cruciatus affligit. Sed approbare falsa pro veris, ut erret invitus, et resistente atque torquente dolore carnalis vinculi, non posse a libidinosis operibus temperare, non est natura instituti hominis, sed poena damnati*. Deinde in homine in quo juxta Manichaeos ignorantiam excae-

cantem et cruciantem supponit concupiscentiam, supponit quoque Creatoris adjutorium ad animum excolendum exercendasque virtutes. Ubi est ergo status purae naturae in quo nulla esset gratia Conditoris? Sensus ergo testimonii in argumento laudati est, quod etiamsi excaecans ignorantia et lacertosa libido quas nunc in poenam peccati experimur, essent primordia naturae, non proinde culpandus sed laudandus esset Deus conditor animae: quoniam ex una parte anima haberet non modo existentiam quae in se bona est, sed et spiritalem naturam omni perfecto corpore longe praestantiorem; ex altera vero inesset ei facultas ut adjuvante per gratiam suam Conditore tales exerceret virtutes quibus ignorantiam et concupiscentiam posset superare.

Ad 3. dico S. Patrem per gratiam Creatoris eo loci naturale intelligere judicium a supernaturali auxilio fulguritum 1. Quoniam in omnibus scriptis suis adversus Pelagianos ex ignorantia excaecante atque rebelli concupiscentia necessitatem infert gratiae efficacis: ac propterea in ejus sententia auxilium non sufficit Creatoris naturale ad illo duo mala vincenda. 2. Quoniam cum consimile argumentum objicerent ei Pelagiani, in lib. De dono persev. cap. 11. et 12. respondet ita se loquutum fuisse adversus Manichaeos Scripturae V. T. negantes auctoritatem. 3. Quoniam ita responsionem suam contra Pelagianos concludit: *Frustra itaque mihi de illius libri mei vetustate praescribitur, ne agam caussam sicut debeo agere parvulorum, et inde gratiam Dei non secundum merita hominum dari, perspicuae veritatis luce convincam*. Ideo autem supernaturalis gratiae non meminit, quoniam non de necessitate gratiae contra Pelagianos, sed de natura mali adversus Manichaeos in libris de libero arbitrio disputabat.

Ad 4. Argumentum hoc eadem superius allata responsione diluitur; loquitur scilicet S. Pater in hypothesi Manichaeorum qui ex miseriis quibus subduntur in hac vita pueri, inferebant puerorum substantiam malam esse et a malo principio creatam. Cumque inter cetera asseverarent pueros praematura morte correptos in extrema judicii die non esse ante judicis tribunal sistendos, quoniam nihil boni vel mali fecerunt, ex eorum principiis ita respondet S. Doctor: Per vos vita puerorum media esse potest inter bonum ac malum: ergo etiam judicis sententia media esse poterit inter electos et reprobos; atque idcirco ex parvulorum judicio inferre non cogimur summum malorum principium. Sed de hac Manichaeorum hypothesi sermo redibit libro sequenti. Interim petimus ab adversariis an homo ille cujus media vita sit inter recte factum et peccatum, ex Augustino teneretur in eo statu necne diligere Deum? Teneretur plane. Vel igitur Deum diligeret, vel non diligeret. Si primum: praemium; si alterum: poenam promereretur. Adeoque non esset in statu purae naturae.

Obj. 3. Gratia non est debita naturae; alioquin gratia non esset gratia. Igitur sine illa condi potuit humana natura; ac proinde creari poterit homo in statu purae naturae.

Resp. Gratiam Redemptoris non esse quidem debitam humanae naturae; sed non idcirco humanae naturae debita non est, si non ex rigore

justitiae saltem ex Dei condecentia, gratia Conditoris. In hoc enim status naturae lapsae atque naturae innocentis conveniunt, quod in utroque gratia donum Dei est supernaturale, non conditio naturae. In eo autem duo illi status discriminantur, quod gratia Salvatoris nullo prorsus titulo debita sit in statu naturae lapsae; gratia autem Conditoris in statu naturae ante peccatum titulo vel decentiae vel providentiae debita esset non creaturae, sed Deo; hoc est, Deus sibi ipsi debitor erat gratiam homini nulla culpa reo conferendi. Cujus discriminis ratio est quoniam homo in statu naturae per peccatum corruptae omne penitus jus sive proximum sive remotum ad intuitivam Dei visionem per culpam amiserit; in statu autem naturae innocentis homo in se et absolute consideratus jus non quidem proximum sed remotum habuerit ad aeternam beatitudinem, quoniam a Deo conditus fuerat ad imaginem suam. Hinc S. P. Augustinus in lib. De corr. et grat. cap. 11. affirmare non dubitat quod si Adamo Dei gratia defuisset, utique non sua culpa cecidisset.

Obj. ultimo. Si Deus naturalem appetitum homini ad intuitivam sui visionem indidisset, naturalia media ad illum explendum debuisset ei suppeditare: Ast media ad beatitudinem consequendam sunt supernaturalia: Corruunt ergo argumenta ex insito illo humanae naturae appetitu.

Resp. cum Dominico Soto lib. 1. De nat. et grat. cap. 4. *Ad hoc facile respondetur magis exinde effulgere celsitudinem humanae naturae, quod cum nulla esse possit natura creata quae ulla sit proportione ad assequendam facultatem illamquae exsuperat omnem sensum; nihilo secius angelica et humana ad imaginem Dei conditae illum haberent pro fine ultimo, et ubi natura deficiebat, illic praesto esset nobis Deus paratissimus subvenire, nisi nos ipsi renueremus*. In hoc ergo magis clucet humanae naturae perfectio, ut suapte natura tendat ad finem illum ad quem assequendum propriae non suppetant vires: atque idcirco finis ille sit supernaturalis quoad consecutionem et media quibus comparari debeat; naturalis autem quoad appetitum ac propensionem qua in talem tendimus finem, ut superius ajebat Bellarminus. Cetera quae vel ex Augustino vel ex ratione objiccre contrariae sententiae patroni consueverunt, quamvis difficilia prima fronte videantur, facillimam habent ex dictis solutionem. Atque celebris de possibilitate status purae naturae controversia ita se habet. Celebrem eam dixi, quoniam talem eam reddidere nonnulli Theologi auctoritate magis quam pondere rationum. Ceterum in Augustini scriptis adversus superbissimos Pelagianos nil luculentius quam divinam dedecere bonitatem et providentiam ut hominem ad imaginem suam condat, eique supernaturale non conferat adjutorium ad beatificam visionem propter quam conditus est (fecit enim Deus hominem propter semetipsum:) consequendam. Quid quaeso quod magis faveat Pelagianorum systemati excogitare poterant neoterici quidam Theologi quam possibilem adstruere statum purae naturae? Sed ad reliqua properemus.

Explicit Liber XXI.

INSTITUTIONUM THEOLOGICARUM

LIBER XXII.

QUI EST DE PECCATO ORIGINALI.

Primum Protoparentum delictum quod, ut antecedenti libro diximus, fuit superbia, plura alia secum trahens peccata non ipsos solos in barathrum conjecit miseriarum, sed ad posteros eorum modo nobis imperceptibili seminali generatione pertransiens omnes ac singulos ita labefactavit ut servi peccati evaserint atque diaboli: a quo captivi adhuc ad ipsius voluntatem detinerentur, nisi Deus O. M. misericordia erga humanum genus commotus, ad vincula illa solvenda humanamque resarciendam naturam Filium suum Unigenitum misisset in mundum. Hinc quamvis Theologi fere omnes iis quae ad primum hominem sive in statu naturae innocentis sive in statu naturae lapsae consideratum spectant explicatis, statim ad ea exponenda quae ad humanae Redemptionis pertinent oeconomiam, gressum facere soleant; nos tamen animadvertentes singulare supremi Numinis erga creaturam suam beneficium magis apparere si statum summae infelicitatis in quem per infandum illud facinus prolapsa fuerat describamus, de peccato illo primitus humanam inficiente naturam quod originale appellatur, tum de Redemptione in culpae illius remedium instituta disserere constituimus. Ita enim immensa charitas qua nos ante mundi constitutionem Deus dilexit magis elucescet; sicuti magis splendet lux opposita tenebris.

CAPUT I.

Peccatum originale ab Adam in posteros ejus transfundi sacris Scripturis veteris Testamenti demonstratur.

Tametsi a primis Ecclesiae saeculis numquam fere inter Christianos scelestissimi viri defuerint qui originale peccatum in Adae posteros transfundi perfricta fronte negaverint, haeresis nihilominus illa quae ejusmodi propugnat commentum, nomen a promotore Pelagio sortita est, ut Augustinus noster innumeris in locis et in libro praesertim De haeres. num. 88. testatur. Et revera quando primitus a discipulis Carpocratis et subinde ab Origene tradita fuit, paucos admodum nacta est sectatores. At statim ac Caelestius atque Pelagius post Theodorum mopsuestenum et Rufinum aquilejensem in vulgus eam spargere coeperunt, mirum profecto est quot repererit defensores non in Pelagianis modo atque Caelestianis, sed et in Armenis, Albigensibus, Beguardis, ac Beguinis, et postremis temporibus in Socinianis. Contra veteres ergo recentioresque Pelagianos sit

bus circumcisione illa corporis auferendum est, *nullatenus perveniret*. In peccati itaque remedium instituta fuit circumcisio. Ac ideo si pueri circumcidendi erant et actuale peccatum non habebant, habebant procul-dubio originale.

Ut monumenti hujus vim eludant adversarii multa in oppositum adducere solent. Et I. inquiunt allatum Gen. testimonium non de parvulis, sed de adultis circumcisionem negligentibus esse intelligendum: tum quia in hebraico Textu et in nostra latina Vulgata non habetur, *die octava*: tum etiam quia in hebraica veritate ubi nos legimus, *Masculus*, occurrit זכר, *Zachàr*, vox virum denotans adultum. II. Ajunt alii non probari ex hoc testimonio originalis culpae transfusionem, quoniam ea verba, *Pactum meum irritum fecit*, de lege Abrahamo, non Adamo lata debet intelligi. Ita Nicolaus l'Hermenier. III. Addunt comma illud, *delebitur anima illa de populo suo*, non aeternam significare mortem sed temporalem, vel terrenam haereditatem, vel sortem populi Dei.

Sed nullius ponderis sunt haec. Atque ad 1. etsi verba illa, *die octavo*, in hebraico Textu et in nostra Vulgata desiderentur, habentur tamen in Versione Septuaginta interpretum et in codice Samaritano, ut supra monuimus; ac praeterea in nostra Vulgata et in hebraico subintelliguntur ex praecedenti versiculo 12. ubi legitur: *Infans octo dierum circumcidetur in vobis*, *omne masculinum in generationibus vestris tam vernaculus*, *quam emptitius circumcidetur*, *et quicumque non fuerit de stirpe vestra*. Quoad vocem זכר, *Zachàr*, falsum est significare illam semper virum adultum, quum de puero legatur pluribus in locis et praesertim Exo. 13. v. 12. et Jerem. 20. v. 15. Profecto זכר, *Zachàr*, juxta nominis etymologiam proprie significat filium ad patris servandam memoriam natum, a quavis abstrahendo aetate: ut autem dignoscatur an de infantulo vel viro grandaevo sumi debeat attendendus est sensus. Cumque in nostro textu de masculo octo dierum sermo fiat, sequitur vocem illam de puerulo, non de adulto esse intelligendam.

Ad 2. Miror Nicolai l'Hermenier nimiam confidentiam. Fatetur is Augustinum saepissime contra Pelagianos testimonium illud pro adstruendo originalis peccati dogmate usurpasse, et tamen nihil roboris in eo esse ad originalis peccati existentiam adstruendam, quum ibi, inquit, sermo fiat de lege circumcisionis; quasi id perspicax Augustini ingenium non praeviderit. Praevidit utique; et nihilominus ex eo testimonio catholicum adstruit originalis culpae dogma. En S. Doctoris verba lib. 16. de Civ. Dei cap. 27. ad quem locum provocat l'Hermenier. *Si enim dixisset*, *Quia hoc testamentum meum dissipavit*; *non nisi de ista circumcisione intelligi cogeret*: *nunc vero*, *quoniam non expressit*, *cujusmodi testamentum parvulus dissipaverit*, *liberum est intelligere de illo testamento dictum*, *cujus dissipatio pertinere possit ad parvulum*. Nequibat parvulus dissipare legem circumcisionis. Intelligi ergo debet testimonium de lege in paradiso lata Adamo. Quod si concedamus dicta esse verba illa de circumcisione, Augustini argumentum in suo robore nihilominus remanet. Nam nisi in

puero octo dierum macula extitisset originalis peccati, puniri ob neglectam circumcisionem aeterna morte non potuisset, quum reus esse non posset negligentiae; unde S. Doctor ita ibidem prosequitur: *Si autem quisquam hoc nonnisi de ista circumcisione dictum esse contendit, quod in ea testamentum Dei, quoniam non est circumcisus, dissipaverit parvulus: quaerat locutionis aliquem modum, quo non absurde possit intelligi, ideo dissipasse testamentum, quia licet non ab illo, tamen in illo est dissipatum. Verum sic quoque animadvertendum est, nulla in se negligentia sua injuste interire incircumcisi animam parvuli, nisi originalis obligatione peccati*. Quod autem addit l' Hermenier universam obstare Augustino traditionem, falsissimum esse ostendemus in libris de Sacramentis.

Ad 3. Phrasim illam, *delebitur anima* etc. aeternam significare perditionem demonstratum est cum Augustino paullo ante. Sed dato etiam quod illa verba poenam aliquam denotarent temporalem; semper tamen in suo robore consisteret Augustini argumentum. Etenim *Innocens natus, quid meruerat, ut anima ejus de populo suo periret, nisi circumcisio subveniret? Noli evagari per multa obscura, perplexa, superflua: ad hoc unum apertum, simplex, necessariumque responde*, ait Augustinus Julianum adloquens in 3. contra ipsum cap. 18.

MOMENTUM II.

In lib. Job. cap. 14. v. 4. juxta nostram latinam Vulgatam legitur: *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu qui solus es?* Juxta vero Septuaginta interpretes, τίς γάρ καθαρός ἔσται ἀπό ῥύπου, ἀλλ' οὐδείς, ἐάν καί μία ἡμέρα ὁ βίος αὐτοῦ ἐπί τῆς γῆς, *Quis enim mundus erit a sorde? Nec unus, si et una dies vita ejus in terra.* Sane infans cujus est unius diei vita super terram, immundus propter actualem culpam dici non potest: immundus nihilominus a Jobo dicitur: Habet itaque immunditiam originalem. Optime Olimpiodorus in Catena graecor. PP. *Quorsum plura de homine dicenda sunt, quandoquidem ipsa hominis generatio sine illuvie et peccato non existat? Unde fit, ut infantes ad eluendam sordem quam ex Adami transgressione contraxerunt baptizentur*. Et S. P. Augustinus lib. 20. de Civ. Dei cap. 26. *Ceterum*, inquit, *ex quo commissa praevaricationis caussa inde* (primi Parentes) *dimissi sunt, atque humana in eis natura damnata est, excepto uno Mediatore, et post lavacrum regenerationis quibusque adhuc parvulis*, Nemo mundus a sorde, *sicut scriptum est*, nec infans cujus est vita unius diei super terram.

Nec audiendi sunt Sociniani dicentes loqui Jobum de sordibus infantilium pannorum. Nam de sorde illa loquitur quam nemo nisi Deus mundare potest: adeoque quae spiritalis est et peccatum. De sorde illa loquitur quam omnes nemine excepto infantes contrahunt: quod nequit de involucrorum dici immunditia. Sed ridenda potius quam ratiocinatione solvenda haec sunt.

MOMENTUM III.

Regius Psaltes psalm. 50. v. 7. ad Dominum conversus inquit: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum : et in peccatis concepit me mater mea*. Quod David de seipso inquit, id de singulis plane intelligi debet hominibus; neque enim peculiaris aliqua ratio pro Davide militat quae in quovis homine non reperiatur, praesertim cum ex legitimo honestoque parentum natus fuerit conjugio. Ast nihilominus affirmat se natum fuisse in peccato. Cur ergo idipsum non affirmabimus de reliquis hominibus? *Numquid David*, ait Augustinus in ps. 50. *de adulterio natus erat, de Jesse viro justo et conjuge ipsius? Quid est quod se dicit in iniquitate conceptum, nisi quia trahitur iniquitas ex Adam?*

Veteres recentioresque Pelagiani ut allati vim argumenti eludant ajunt loqui Davidem de peccatis vel suorum parentum, vel ab ipso propria voluntate patratis: non enim, inquiunt, David ait, *In iniquitate et in peccato*, sed, *In iniquitatibus et peccatis*, se fuisse conceptum. Porro originale peccatum unum est, neque in plurali numero potest enunciari.

Sed ejusmodi puerilia commenta nihil Pelagianorum caussam juvant. Primo non loquitur de peccatis parentum: tum quia ex legitimo conjugio justisque parentibus ortus est, ut mox cum Augustino observavimus: tum etiam quia propriam coram Deo prodidisset caussam, si aliena peccata ad veniam pro homicidio ac adulterio obtinendam adduxisset. Deinde neque loquitur de actualibus a se patratis peccatis; quum in iis conceptus non esset. Numquid conceperat eum mater sua cum Bersabeae adulterio et homicidio Uriae? Sed inquis: cur ait, in iniquitatibus et peccatis? Respondet tibi S. P. Augustinus in Enchir. cap. 46. *Neque hic dixit, in iniquitate vel peccato, cum et hoc recte dici posset: sed iniquitates et peccata dicere maluit. Quia et in illo uno, quod in omnes homines pertransiit, atque tam magnum est, ut eo mutaretur et converteretur in necessitatem mortis humana natura, reperiuntur, sicut supra disserui, plura peccata*. Neque novum est ut in Scriptura multitudinis numerus pro singulari usurpetur: quod fuit etiam ab Augustino observatum cap. 46. ejusdem libri. *Cum vero et illud originale unum plurali numero significatur, quando dicimus in remissionem peccatorum baptizari parvulos, nec dicimus in remissionem peccati; illa est e contrario locutio, qua per pluralem significatur numerus singularis. Sicut in Evangelio Herode mortuo dictum est*: Mortui sunt enim qui quaerebant animam pueri: *non dictum est, mortuus est*. Quid demum? Desiderant adversarii ut peccatum singulari numero in allato textu legatur? Ita habetur in Textu hebraico: *Ecce in iniquitate formatus sum, et in peccato calefecit me mater mea*.

MOMENTUM IV.

In lib. Sap. cap. 12. v. 10. ita legitur: *Non ignoras quoniam nequam est natio eorum, et naturalis malitia ipsorum, et quoniam non poterat*

mutari cogitatio illorum in perpetuum : semen enim erat maledictum ab initio. Malitia naturalis, semen maledictum, quid aliud sunt nisi originale peccatum? Neque enim malitia peccati actualis a semine est et a natura. Quum itaque in hominibus singulis malitia sit naturalis et semen ab initio maledictum, in singulis hominibus viget originale peccatum.

MOMENTUM V.

Eccli. cap. 40. v. 1. habetur: *Occupatio magna creata est omnibus hominibus, et jugum grave super filios Adam, a die exitus de ventre matris eorum, usque in diem sepulturae, in matrem omnium*. Si omnes filii Adam ab initio usque ad vitae finem jugum grave super humeros ferunt quoniam cum magna creati sunt occupatione, jam culpam ab utero matris contraxerunt; nemo enim sub Deo justo judice pati potest nisi mereatur. Ad rem S. Pater lib. 2. adv. Julian. cap. 1. *Nec iniquus est Deus, cum de peccatis sive originalibus sive propriis digna retribuit: magisque iniquus aut infirmus ostenditur, si jugum grave super filios Adam, a die sicut scriptum est, nativitatis eorum usque ad diem sepulturae in matrem omnium, sub quo jugo imago ejus adteritur, aut ipse nullo vel originali vel proprio praecedente peccato, aut quilibet alius ipso imponit invito*.

Unica ex V. T. dissolvitur objectio. Ezechielis cap. 18. v. 20. legitur non portaturum filium iniquitatem patris: *Anima, quae peccaverit, ipsa morietur: filius non portabit iniquitatem patris, et pater non portabit iniquitatem filii: justitia justi super eum erit, et impietas impii erit super eum*. At iniquitas patris quae juxta Catholicos portatur a filio, est originale peccatum.

Respondeo I. Si argumentum hoc subsisteret, demonstraret in N. T. dumtaxat originale non existere peccatum, quum ibi Propheta legis gratiae tempora praenuntiet; non demonstraret autem originale non dari peccatum. II. Ait Propheta non portaturum amplius filium iniquitatem patris actualem quoad culpam et poenam, non vero non portaturum iniquitatem originalem. Et loqui Prophetam de peccato dumtaxat actuali vel ex eo patet quod dicat, eodem modo non portaturum filium iniquitatem patris quomodo promittit non portaturum patrem iniquitatem filii: quod nonnisi de actuali culpa potest intelligi. Ut autem Prophetae mentem assequamur sciendum est hunc viguisse in veteri lege morem, ut actualia quaedam scelera a parentibus perpetrata transirent quoad poenam in filios; hoc est puniebantur in filiis filiorum usque ad tertiam et quartam generationem: quod filiorum Heli aliorumque plurium exemplo patet; unde vulgare invaluit penes Judaeos proloquium, *Patres nostri manducaverunt uvam acerbam, et dentes filiorum obstupescunt*. Imo patrum quoque justitia quoad praemium transibat aliquando in filios, quemadmodum de Salomone legimus: quocum licet impio misericordiam fecit Deus propter David patris sui justitiam. Ezechiel ergo prostratos erigere volens Judaeorum animos

praedicit illis futurum tempus, novi videlicet Testamenti, in quo filius non portabit amplius iniquitatem patris: sed tum justitia justi tum impii impietas super eum erit. Hinc Augustinus lib. 3. Op. imp. adv. Jul. cap. 38. *Haec per Ezechielem Prophetam*, inquit, *promissio est novi Testamenti, quam non intelligis, ubi Deus regeneratos a generatis, si jam in majoribus aetatibus sunt, secundum propria facta discernit.*

CAPUT II.

Peccati originalis transfusio in posteros Adae demonstratur testimoniis N. T.

MOMENTUM I.

Apostolus in ep. ad Rom. cap. 5. v. 12. ita scribit: *Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Et in ep. ad Cor. I. cap. 15. *Per hominem mors*, inquit, *et per hominem resurrectio mortuorum. Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur.* Quae praeclara testimonia hoc suppeditant argumentum: Si peccatum originale daretur, illud esset quod per Adam transiisset in posteros, quod esset caussa mortis, quodque in omnes ac singulos pertransisset: Affirmat autem Apostolus revera dari ejusmodi peccatum: Ergo etc.

Pelagiani ad vim eludendam argumenti plura respondent. Et I. Apostolum eo loci affirmare per unum hominem peccatum in hunc mundum intrasse, quod Adam primus fuerit qui peccavit: atque idcirco modo omnes qui peccant actualiter imitantur Adamum. Neque nomine mortis, inquiunt, mors intelligenda venit corporalis, bene vero mors animae seu spiritualis. II. Ratio cur Catholici ad originale peccatum Apostoli verba detorquent, est quoniam inquit ille omnes in Adam peccasse. Ast τὸ *omnes*, in apostolica sententia sumi debet quidem universaliter, sed universalitate, ut inquiunt, accommoda, non absoluta et rigorosa, quod infrequens non est in sacris litteris, ita ut sensus sit: *Omnes qui peccant, in Adam peccant eum imitando.* Nam dum citata ad Cor. ep. inquit Apostolus, *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur*, numquid vox illa, *omnes*, universalitatem significat absolutam? Minime. Alioquin omnes ac singuli homines in Christo justificarentur. Similiter ubi inquit Apostolus: *Omnes in Adam moriuntur*, sumi debet illud, *omnes*, pro universalitate quadam accommoda et attemperata, non absoluta et rigorosa. III. Practerca, Filii nascuntur ab Adamo simul et Heva; quare si daretur peccatum quod per generationem trajicitur, non per unum hominem sed per virum simul ac mulierem peccatum in mundum intrasse Apostolus dixisset. IV. Et revera intelligendam esse apostolicam sententiam de peccato imitationis, non de peccato originis demonstrare contendit Cle-

ricus post Erasmum ex eo quod minime legi debeat ut latinus Interpres vertit, *In quo omnes peccaverunt* : sed, *quia*, vel, *eo quod* omnes peccaverunt. Nam ubi latine habetur, *In quo*, graece legitur ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον. Verum ἐφ' ᾧ, non, *in quo*, sed, *quia*, *quatenus*, *eo quod*, significat; particula enim ἐπὶ, jungitur hic dativo casui. Porro ea particula dativo casui juncta significat quidem vel *supra*, vel *auctoritate* et *nomine*, vel *caussam*, et *eminentiam*; numquam autem significat *In*. Haec illi.

In quibus regerendis a veritate aberrant quam longissime. Incipiamus a primo. Non Adam primus omnium extitit peccator, sed diabolus quem Adam ipse peccando imitatus est, ut S. P. Augustinus lib. 2. De nupt. et conc. cap. 17. et lib. 2. Op. imperf. cont. Julian. cap. 49. et sequentibus observat. Et ne reponant haeretici loqui Apostolum de primo peccatore inter homines, ante Adamum jam peccaverat Heva; nosque peccando non minus Adamum quam Hevam imitamur. *Numquid enim Evam*, inquit magnus Augustinus lib. 2. Op. imp. adv. Jul. cap. 56. *non imitantur peccantes, aut peccatum generis humani non magis ex ipsa sumpsit initium? A muliere initium factum est peccati, et propter illam, sicut scriptum est, morimur omnes. Cur ergo non vis adtendere, propterea potius Apostolum unum dixisse hominem, per quem peccatum intravit in mundum, quia non imitationem, sed generationem volebat intelligi? Sicut enim a muliere initium peccati fuit, sic initium generationis a viro est: prior enim vir seminat, ut foemina pariat*. 2. Ait Apostolus: *In quo omnes peccaverunt*. Omnes: proindeque etiam infantes qui certe non peccant Adamum imitando. 3. Juxta Apostolum ibidem eodem modo intravit per Adamum in mundum peccatum, quo in mundum intravit justitia per Christum: Ast nos justificamur per Christum per realem veramque justitiae communicationem non eum imitando: Atque adeo juxta allata verba non Adamum imitando, sed per culpae transfusionem sumus peccatores. *Sicut non imitantur Christum parvuli, quia nondum possunt, et tamen ad ejus gratiam spiritalem pertinere possunt: ita sine imitatione primi hominis, contagione tamen ex ipso carnalis generationis, obstricti sunt:* Ita adv. Julian. lib. 6. cap. 24. ratiocinatur Augustinus. 4. Hi omnes in Adamum peccant qui moriuntur: moriuntur autem illi etiam qui nequeunt Adamum imitari, nempe parvuli. 5. Neque mortis nomine laudato in loco mors intelligi potest spiritalis, nimirum animae: tum quia ineptus esset loquutionis modus, quum mors spiritalis seu animae nil aliud sit nisi peccatum, adeoque sensus esset, Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum peccatum: tum etiam quia eodem v. 14. expresse legitur mortem regnasse etiam in parvulos, qui spiritaliter per peccatum imitationis certe non moriuntur: tum denique quia in citata ep. ad Cor. antithesim inter Adam auctorem mortis et Christum auctorem vitae Paulus instituit: Ast Christus eo loci, quum sermo de corporum resurrectione fiat, dicitur auctor vitae corporalis: Ergo Adam auctor est mortis corporalis. *Sola mors ibi per hominem facta commemorata est, non etiam peccatum; quia non agebatur de justitia, quae contraria est pec-*

cato, sed de corporis resurrectione, quae contraria est corporis morti, inquit Augustinus De peccat. mer. et remiss. lib. 1. cap. 8.

Ad 2. facilis est solutio. Nam 1. τὸ *omnes*, in apostolico textu sumi vere et proprie debet universaliter de omnibus nemine excepto, quia omnes nemine excepto moriuntur. Eodem quoque sensu vox illa accipienda est in I. ad Cor. quum in secundo antithesis membro loquatur Apostolus de corporum resurrectione. Sicut ergo omnes nemine prorsus excepto in novissimo die cum propriis corporibus resurgent, ita omnes nemine excepto corporaliter moriuntur. 2. Etiamsi vox illa, *omnes*, sumatur universaliter universalitate accommoda, nihilominus viget adhuc in suo robore argumentum; sensusque erit: *Non quia omnes homines justificantur in Christo; sed quia omnes qui justificantur, non aliter possunt justificari quam in Christo ... Omnes ergo ad mortem per Adam, omnes ad vitam per Christum. Quia sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur: id est, ex prima origine generis humani nemo ad mortem nisi per Adam, et nemo per Adam nisi ad mortem: et nemo ad vitam nisi per Christum, et nemo per Christum nisi ad vitam*. Sic disputat Augustinus cont. Julian. lib. 6. cap. 24.

Ad 3. Inepta prorsus consequutio. Ideo enim dictum est, per unum hominem non per duos, *Quia non a foemina concipiente et pariente, sed a viro seminante est generationis exordium; aut quia jam non sunt duo, quando per coitum una fit caro*, respondet S. Doctor Op. imp. cont. Julian. lib. 2. cap. 83.

Ad 4. Minus caute haec dicta sunt ab Erasmo, insolentissime autem a Jo. Clerico sub ementito nomine Phereponi: qui non alio fine has urget grammaticales ineptias nisi ad creandam Augustino Patrum doctissimo invidiam. Itaque falsum est particulam, ἐφ' ᾧ, in Paulino textu significare, *eo quod*, vel *quia*: sed verti revera debet cum vulgato nostro Interprete, *in quo*. 1. Quoniam latinae nostrae Vulgatae fidem negare non possumus nisi ex gravissima caussa quae hic non habetur. 2. Quoniam ita legerunt praeter Augustinum Auctor Hom. de Adamo et Heva Chrysostomo tributae, Theodoretus in psal. 1. Auctor de Vita contemplat. lib. 3. cap. 11. Concilia Carthaginense et Arauxican. II. can. 2. aliique veteres. 3. Quoniam eamdem sequuti sunt lectionem Protestantium doctissimi, Johan. Gerardus Vossius De haer. pel. lib. 1. p. 1. thes. 2. Grotius in ep. ad Rom. Cappellus, Clarius, Zegerus, Waltonus, Imidius, et ne singulos recenseam, Theodorus Beza in notis ad N. T. cujus verba digna sunt ut recitentur quum Erasmi commentum plane eliminent. *In quo homine*, ἐφ' ᾧ, *idest* ἐν ᾧ, *videlicet uno illo homine, ut humani generis stirpe. Fuit enim omnino afferenda ratio, cur ab uno homine peccatum et mors in omnes homines pervaserit: nec alia afferri potest ratio: quod tamen perspicuitatis caussa exprimere non dubitavi. Novum autem non est, ut* ἐπὶ *pro* ἐν *accipiatur, quamvis repugnante Erasmo, ut Marci 2. 4. ad Hebr. 9. 17. et passim apud idoneos etiam Auctores. Et cum* ἁμαρτία *Graecis sit foeminini generis, non potest stare eorum sententia qui relativum* quo

volunt referri ad peccatum. Erasmus quatenus, *vel per* hoc quod, *ut mordicus teneat errorem quem semel ex Origene arripuit, haec nimirum ad imitationis peccata pertinere: nempe, ut simili quoque ratione (quod recte prorsus damnavit Augustinus adversus Pelagianos) in altera collationis parte statuatur nos per Christum sola quoque imitatione, non autem per ipsius spiritum* ἀναγίνεσθαι *incipere bene velle, ac bene facere. Sic enim statuendum esset, ut sibi constaret antithesis. En quid sit a scopo aberrare, et errorem pertinacius tueri.* Habes ex his responsionem ad argumcutum, et ab Erasmo ac Pherepono meritam confutationem. 4. Perinde est si legatur, *in quo*, ac si legatur, *quatenus*, vel *eo quod*. Hac enim admissa lectione ex Pauli verbis originalis peccati transfusio sic demonstratur: Apostolus docet omnes homines mori, *eo quod* omnes peccaverunt. Moriuntur etiam infantuli: Hi ergo quoque peccaverunt. Sed non actualiter: Ergo originaliter.

MOMENTUM II.

Christus Dominus mortuus est pro omnibus ac singulis hominibus nequidem parvulis ipsis exceptis; quod nec Pelagiani diffitentur quum nimis aperte id in novo legatur Testamento ac praesertim in Paulinis epistolis. Ad Rom. enim cap. 5. v. 9. *Christus*, inquit, *pro nobis mortuus est*. In II. ad Cor. cap. 5. v. 14. *Unus pro omnibus mortuus est ... pro omnibus mortuus est Christus*; sicque innumeris in locis in quibus Christus Redemptor appellatur universalis et omnium Salvator. Ast vero Christus mortuus non est nisi pro peccatoribus, dicente Apostolo ad Rom. citato cap. 5. v. 8. *Commendat autem charitatem suam Deus in nobis: quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus, Christus pro nobis mortuus est*. Et paullo supra dixerat: *Christus, cum adhuc infirmi essemus, secundum tempus, pro impiis mortuus est*. Et in proxime laudata ep. II. ad Cor. integer textus sic habet: *Charitas enim Christi urget nos aestimantes hoc, quoniam si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt*. Quibus in verbis mortuorum nomine non corporali vita functos, sed peccatores proculdubio intelligit, juxta illud ejusdem Apostoli ad Colos. cap. 2. v. 13. *Et vos cum mortui essetis in delictis ... convivificavit cum illo, donans vobis omnia delicta, delens quod adversum nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, et ipsum tulit de medio, affigens illud Cruci*. Hinc S. P. Augustinus cont. Julian. lib. 6. cap. 9. ad illa quae excerpta sunt ex II. ad Cor. cap. 5. v. 14. ait: *Nega igitur Christum etiam pro parvulis mortuum, ut eximas eos de numero mortuorum, hoc est, de contagio peccatorum*. Qui fieri potest, *inquis*, ut res arbitrii conditioni seminum misceatur? *Si fieri non posset, non esset unde parvulos nondum de corpore egressos mortuos diceremus. Quia si Christus et pro ipsis mortuus est, ergo et ipsi mortui sunt*. Et cap. 4. ejusdem libri jam scripserat: *Quapropter si nullum trahunt peccatum parvuli, non sunt mortui. Si non sunt mor-*

tui, *non est mortuus pro iis*, *qui non est mortuus nisi pro mortuis*. *Tu autem jam in primo tuo libro contra nos clamans*, *dixisti* Christum etiam pro parvulis mortuum. *Nullo modo igitur negare permitteris eos trahere originale peccatum*. *Nam mortui unde*, *si non inde*; *aut propter quam mortem parvulorum mortuus est*, *qui non est mortuus nisi pro mortuis*? Quid plura? Nonne Christus sanguinem fudisse testatur *in remissionem peccatorum*: se venisse quaerere, *non justos sed peccatores*, et *salvum facere quod perierat*? Dubitari itaque non potest quin Christus passus ac mortuus sit tantum pro peccatoribus. Ast mortuus est ac sanguinem fudit etiam pro parvulis, ut Pelagiani ipsi fatentur: igitur et parvuli sunt peccatores. *Tu vero dicis illum sanguinem*, *etiam pro parvulis fundi*; *et negas eis per illum ulla peccata dimitti*? Concludit argumentum S. Augustinus.

Neque regerant recentiores eum antiquis Pelagianis Christum non pro peccatoribus tantum, sed etiam pro justis inter quos adnumerant parvulos mortuum esse. Hanc objectionem perfecte elidit S. P. Augustinus lib. 6. cont. Jul. cap. 4. Primo enim Juliano respondet: *Nusquam legis in divinis auctoritatibus*, *mortuum scilicet esse Christum etiam pro eis qui nullum habuerunt omnino peccatum*: Secundo haec alia subdit: *Sed attende quam validis testimoniis urgearis*. *Tu dicis etiam pro peccatoribus mortuum*: *ego dico non nisi pro peccatoribus mortuum*; *ita ut respondere cogaris*, *si nullo peccato parvuli obstricti sunt*, *non esse pro parvulis mortuum*. *Dicit enim ad Corinthios*: *Quoniam unus pro omnibus mortuus est*; *ergo omnes mortui sunt*, *et pro omnibus mortuus est*. *Nullo modo hic negare permitteris non nisi pro his qui mortui sunt*, *mortuum fuisse Jesum*. Ac paullo infra: *Ac per hoc unus*, *inquit*, *pro omnibus mortuus est*, *ergo omnes mortui sunt*: *ostendens fieri non potuisse ut moreretur nisi pro mortuis*. *Ex hoc enim probavit omnes mortuos esse*, *quia pro omnibus mortuus est unus*. Tertio idem S. Pater serm. 174. de verbis Apostoli cap. 6. observat Christum dici et esse Jesum et Redemptorem parvulorum. Porro, inquit, quomodo pueros salvat et redimit si per peccatum non perierunt nec daemonis facti sunt captivi? *Qui dicit infantilem aetatem non habere quod salvet Jesus*, *omnibus fidelibus infantibus Christum negat esse Jesum*. *Qui dicit*, *inquam*, *infantilem aetatem non habere quod salvet Jesus in ea*, *nihil aliud dicit quam Christum Dominum fidelibus infantibus*, *id est in Christo baptizatis infantibus non esse Jesum*. *Jesus enim quid est*? *Interpretatur Jesus*, *Salvator*; *Salvator est Jesus*. *Quos non salvat*, *non habendo quod in eis salvet*, *non est illis Jesus*. *Jam si corda vestra tolerant*, *aliquibus baptizatis Christum non esse Jesum*, *nescio utrum fides vestra in regula sana possit agnosci* etc. Habet consimilia lib. 2. De nupt. et conc. capite postremo et saepe cont. Julian. Quare parvuli pro quibus mortuus est Jesus sunt plane peccatores.

Paulus in ep. ad Rom. cap. 6. v. 3. *Quicumque*, ait, *baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus*. Parvuli autem necessario baptizari in Christo Jesu debent, ipsis fatentibus Pelagianis; atque adeo in ipsius morte baptizantur. Ast vero quid est in Christi morte baptizari, nisi baptizari in remissionem peccatorum? Sicuti enim Christus mortuus est peccato cujus similitudinem in carne gerebat; ita et qui baptizatur mori peccato debet. Quare parvuli qui baptizantur peccatum habent originale cui moriantur. Rursus Johan. cap. 3. v. 5. Christus Dominus inquit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei;* unde si parvuli ex hac vita sine baptismo decedant non intrabunt in regnum caelorum. Verum qui in regnum Dei non intrat, quo abit nisi in mortem aeternam? Nemo autem in mortem abire potest aeternam nisi reus sit alicujus peccati; quum sub Deo justo judice nemo pati nisi mereatur potest; unde pueri illi rei aliqua culpa sunt quae nequit esse nisi originalis.

Duplici via huic occurrunt argumento Pelagiani I. Baptismum non semper in remissionem peccatorum conferri; sed aliquando ut homo adoptetur in filium Dei: atque ita accidit in puerulis. II. Distinguendum esse, ajunt, inter regnum caelorum et vitam aeternam. Parvulos autem baptizari ut haeredes fiant regni caelorum. Quod si ex hac vita absque baptismo decedant abeunt in vitam aeternam quo nemo ingredi potest si aliquod habeat peccatum.

Verum mera sunt haec effugia. Atque ad 1. decipiuntur apertissime haeretici dicentes baptismum non semper in remissionem conferri peccatorum. Nam quicumque baptizantur Sacramentum percipiunt per quod salvantur redimuntur liberantur abluuntur exorcizantur: quod supponit ante baptismum fuisse sub peccato venumdatos, a quo liberandi erant, redimendi salvandi. Unde Augustinus lib. 3. adv. Jul. cap. 3. ita illum alloquitur: *Non eos dicitis non debere baptizari; sed pro magnitudine sapientiae vestrae, res mirabiles dicitis: In Sacramento Salvatoris baptizantur, sed non salvantur; redimuntur, sed non liberantur; lavantur, sed non abluuntur; exorcizantur et exsufflantur, sed a potestate diaboli non eruuntur. Haec sunt sententiarum portenta vestrarum*. Denique nonne parvuli in Christi morte baptizantur? Proculdubio, quia id affirmat Apostolus. *Si ergo peccato non moriuntur parvuli*, ait Augustinus lib. 6. adv. Jul. cap. 4. *procul dubio in Christi morte non baptizantur. Si in Christi morte non baptizantur, non in Christo baptizantur. Quicumque enim baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus. In Christo autem baptizantur, peccato ergo moriuntur. Cui peccato quaeso te, nisi quod originale traxerunt?*

Ad 2. In sanctis Scripturis nullibi prorsus vita aeterna a regno caelorum distinguitur, ut ad calcem hujus libri fuse probabimus. Interim illud dumtaxat scire sufficiat, quod in fine mundi Christus electis suis di-

cet : *Venite ... possidete paratum vobis Regnum*. Et rursus: *Ibunt Justi in vitam aeternam*. En vita aeterna unum idemque cum regno caelorum. Bene Augustinus serm. 294. De bapt. parvulor. alias 14. de verb. Apost. cap. 2. et 3. inquit : *Ergo est vita aeterna extra regnum caelorum? Primus hic error est aversandus ab auribus, extirpandus a mentibus. Hoc novum in Ecclesia, prius inauditum est, esse vitam aeternam praeter regnum caelorum, esse salutem aeternam praeter regnum Dei.*

Nonnulla Scripturae testimonia quae Adversariis specie tenus favere videntur explicantur.

Obj. 2. Apostolus in eadem ep. ad Rom. quam Catholici tanti faciunt, apertissime tradit Adae peccatum non pervasisse ad omnes. Nam cap. 5. v. 15. postquam dixerat Adae peccatum in mundum intrasse, ita subdit: *Multo magis gratia Dei, et donum in gratia unius hominis Jesu Christi in plures abundavit*. Quamvis hic tradat Apostolus magis abundasse gratiam quam delictum, certum est tamen gratiam Christi in omnes non abundasse: Multo itaque minus abundavit Adae delictum. II. Neque dicant Catholici loqui Apostolum de ubertate donorum: nam loquitur revera de numero filiorum Adae in quos delictum abundavit; inquit enim in eodem versiculo, *multos*, non *omnes* in Adam periisse. *Sed non sicut delictum, ita et donum; si enim unius delicto multi mortui sunt.* III. Et contortam quidem citatis Apostoli verbis tradunt Catholici expositionem, dum inquiunt *multorum* nomine intelligere Paulum *omnes* in antecedentibus commemoratos. Nam e contra vox *omnes* in antecedentibus ponitur ab Apostolo pro multis; ita quippe cap. 5. v. 18. scribit: *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem: sic et per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitae*. Ubi cum sermo fit de hominibus qui justificantur, vocem, *omnes*, sumit certe pro *multis*, quia non omnes justificantur.

Resp. ad 1. Gratia Dei per Apostolum in plures abundavit quoad ubertatem donorum, non quoad numerum filiorum Adae quibus aut obfuit peccatum aut gratia profuit: quoniam non instituit Paulus comparationem inter numerum hominum qui per Adam pereunt, et numerum hominum qui per Christum salvantur, sed inter ubertatem donorum quae gratia Christi attulit, et copiam malorum quae in mundum invexit Adae delictum. Hinc Augustinus lib. 2. Op. imp. cap. 142. *Non dixit Apostolus Paulus, multo in plures abundasse beneficia, quam irrepsisse dispendia? Non hoc dixit; prorsus falleris, si ipse non fallis. Multo magis enim abundasse gratiam dixit in multos, non in magis multos; sed magis abundasse. In comparatione namque pereuntium pauci sunt qui salvantur, sine comparatione autem pereuntium et ipsi multi sunt*. Et optime quidem ait Apostolus magis abundasse Christi gratiam quam Adae delictum. Nam hoc attulit nobis mortem temporalem; illa nobis promeruit corporum resurrectionem ac vitam aeternam. Delictum Adae introduxit in mundum

originale peccatum; Christi vero gratia, praeter originale, actualia quoque remittit peccata. Peccatum illud in caussa fuit cur homo gratiam amiserit versatilem; Redemptio autem per Christum, non modo versatilem sed efficacissimam quoque nobis promeruit gratiam, et sic porro de ceteris; unde idem Apostolus v. sequenti scribit: *Judicium ex uno in condemnationem: gratia autem ex multis delictis in justificationem*. Et arabica Versio ita allata in argumento verba recitat: *Abundavit vehementer per gratiam quae unius hominis est Jesu Christi uberrimam in quamplurimos*. Legatur S. Pater loco nuper laudato et De nupt. et conc. lib. 2. cap. 27.

Ad 2. Multorum nomine, ubi Apostolus de iis loquitur qui unius mortui sunt delicto, revera intelligit omnes, non plures in sensu Pelagianorum. Nam 1. non instituit antithesim inter numerum hominum qui pereunt et hominum qui salvantur; quum enim multo minores revera sint qui salvantur quam qui damnantur, falsa penitus esset antithesis. 2. Multos intelligit seu potius supponit esse omnes. Nam paullo ante dixerat: *In omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt*. Moriuntur autem non multi sed vere omnes nec exceptis parvulis qui Adamum peccantem non imitantur. 3. Nec quemquam movere debet quod vocem, *omnes*, hic non usurpet. Nam ut optime Augustinus lib. 6. cont. Jul. cap. 24. inquit: *Cum vero multos*, *quod dixit postea*; *non vis intelligi* omnes, *quod prius dixerat*; ideo existimans dictum fuisse multos, ne omnes intelligerentur: *poteris hoc dicere et de semine Abrahae, cui promissae sunt omnes gentes, non omnes gentes ei fuisse promissas*; *quia dictum est alio loco, Patrem multarum gentium posui te. Est autem sanus intellectus, ideo sic locutam Scripturam, quia possunt esse aliqua omnia, quae non sunt multa: sicut omnia dicimus Evangelia, et tamen brevi numero, idest, quaternario continentur. Et rursus possunt aliqua esse multa, non tamen omnia: sicut multos dicimus credere in Christum, nec tamen omnes credunt*. Et infra concludit: *Per unius inobedientiam peccatores constitutos multos; ipsi sunt multi, qui et omnes*.

Ad 3. Antithesim ibi instituit Apostolus inter condemnationis ac justificationis caput; inter Adamum et Christum, non inter numerum damnatorum et justificatorum. Ita respondet S. Pater in lib. 2. De nupt. et conc. cap. 27. *Omnes autem dixit ad condemnationem per Adam, et omnes ad justificationem per Christum: cum utique non omnes eos qui moriuntur in Adam, transferat Christus ad vitam: sed omnes dixit atque omnes, quia sicut sine Adam nullus ad mortem, ita sine Christo nullus ad vitam. Sicut dicimus de litterarum magistro, si in civitate solus est, omnes iste hic litteras docet, non quia omnes discunt, sed quia nemo nisi ab ipso*.

Obj. 2. Idem Apostolus in laudata ep. ad Rom. cap. 4. v. 15. *Lex enim*, inquit, *iram operatur. Ubi enim non est lex: nec praevaricatio*. Et cap. 7. v. 7. *Peccatum non cognovi, nisi per legem*. Quum itaque parvuli legem nec habeant neque cognoscant, quomodo peccatum

habent? II. Idem in ep. II. ad Cor. cap. 5. v. 10. scribit: *Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum sive malum*. Parvuli antem recens nati nihil propria voluntate peccarunt.

Resp. ad 1. Apostolum laudato in argumento loco non de infantibus loqui nec de quacumque lege, sed de adultis deque lege mosaica. Scopus enim ejus est demonstrare Judaeis justificationem non esse ex mosaica lege quoniam lex iram operatur, ut caput illud legenti patet: additque cap. 7. legem tamen non operari peccatum nisi cognoscatur. Quod si quis adhuc insistat ex generali illa Pauli loquutione sequi pueros recens natos nullam praevaricasse legem, respondeo cum Augustino in ep. ad Hilarium in parvulis praevaricationem esse legis primo Parenti latae, quum ex ejus nascantur semine cum lege mortis atque peccati.

Ad 2. dico 1. Allatum mox argumentum nimis probare; demonstrat quippe parvulos sine baptismo decedentes sistendos non esse ante Judicis supremi tribunal. Unde S. P. Augustinus lib. 6. adv. Jul. cap. 10. inquit: *Quod autem Apostolum dixisse commemoras*, Omnes nos manifestari oportet etc. *quomodo in parvulis accipis? Utrum et ipsi ante tribunal Christi manifestabuntur, an non? Si non manifestabuntur, quid te adjuvat ista sententia, quando ad eos non pertinet, quorum nunc agitur caussa? Si autem manifestabuntur, quomodo reportat eorum quisque quod gessit, qui nihil gessit; nisi quia pertinet ad eos, quod per corda et ora gestantium, sive credunt, sive non credunt?* 2. Dico cum eodem S. Patre sententiam illam dictam ab Apostolo esse de adultis sine parvulorum exclusione: *Propria corporis sui enim dixit, quod ad unumquemque in se ipso jam viventem pertinet*. Ajebam sine exclusione parvulorum: duplici enim modo potest aliquid geri; vel per se, vel per alterum. Parvuli profecto qui damnantur non in se peccarunt sed in altero; sicut qui salvantur non per se crediderunt sed per alterum. Unde Augustinus loco praefato: *Sicut itaque quod credidit*, ait, *pertinet ad eum, ut reportet bonum, hoc est, percipiat Dei regnum: sic ad eum pertinet etiam, si non credidit, ut reportet condemnationis judicium ... Vide ergo*, ita concludit contra Julianum, *quam importune nolis parvulum de alieno peccato non reportare malum, et velis eum de alieno recte facto reportare bonum, non qualecumque, sed Dei regnum. Alienum quippe opus est cum credit per alterum; sicut alienum opus fuit cum peccavit in altero*. Nihil ergo in sacris sive V. sive N. T. litteris invenire est quod catholico dogmati de originalis transfusione peccati contradicat.

CAPUT III.

An Patrum traditione et ecclesiasticis definitionibus originalis peccati existentia possit demonstrari.

In duas veluti classes Patres qui verba de originali peccato fecerunt

distinguendi sunt. Alii enim post Pelagii et Augustini tempora, alii vero ante illorum aetatem floruerunt. Necesse non est ut ad praesentem dirimendam controversiam Patrum testimonia afferamus qui post Augustinum scripsere. Nam recentiores Pelagiani ultro fatentur in horum scriptis originalis peccati doctrinam nimis aperte tradi, et quidem tamquam Fidei dogma praecipuum: sed consueta eorum impudentia affirmant fuisse in hoc adstruendo deceptos novamque invexisse in Ecclesiam sententiam ante Augustini tempora penitus inauditam. In quo mirifice illorum exprimunt antesignanos veteres Pelagianos qui apud eumdem Augustinum lib. 2. De nupt. et conc. cap. 12. ita loquuntur: *Confitearis ergo necesse est, originale quod finxeras, interiisse peccatum*. Sed recentiores cum veteribus mentiri turpissime satis demonstravit S. Doctor, et nos demonstrabimus cum illo subsequenti in capite, Patrum omnium testimonia qui ab Apostolis ad Pelagium usque vixeruut in medium proponendo: ut cuique ex Pelagianorum grege responderi possit cum Augustino loco proxime laudato: *Non ego finxi originale peccatum, quod catholica fides credidit antiquitus: sed tu qui hoc negas, sine dubio es novus haereticus*. Illud unum interim animadverto, non esse a priscis illis Patribus quorum nomina dabimus, accuratissimas exigendas loquutiones quales in subsequentium Patrum scriptis occurrunt: tum quia non pauci ex illis habebant ut plurimum conciones ad populum quem in Fide probe instructum supponebant: tum etiam quia Pelagianis nondum litigantibus securius in Ecclesia Dei loquebantur.

CONCLUSIO I.

Ex veterum Patrum scriptis invicte demonstrari potest originalis peccati in posteros Adae transfusio.

Prob. illorum Patrum afferendo testimonia. Ignatius martyr in ep. ad Trallian. de peccato omnibus communi loquens vocat illud παλαιὰν δυσσέβειαν, *impietatem ac praevaricationem antiquam*. Justinus in Dial. cum Tryph. scribit Christum non venisse ad Jordanem, *Quod vel baptismi lavatione vel Spiritus in specie columbae adventu opus ei fuerit. Sed humani generis caussa, quod per Adam in mortem et fraudem seductionemque serpentis conciderat*. Et infra: *Unius inobedientiam caussam esse damnationis omnibus qui corporaliter ab eo descendunt*. Plura hujus generis habet in apol. 2. Tatianus in orat. cont. Gent. *Nos propter priscorum hominum inobedientiam Spiritum Dei, perfectam justitiam sanctitatemque amisisse*. Tertullianus lib. de Test. an. cap. 3. affirmat Satanam esse *totius erroris artificem, totius saeculi interpolatorem, per quem homo a primordio circumventus, ut praeceptum Dei excederet, et propterea in mortem datus, exinde totum genus de suo semine infectum suae etiam damnationis traducem fecit*. Et cap. 40. *Omnis anima*, inquit, *eousque in Adam censetur, donec in Christo recenseatur; tamdiu immunda quamdiu recenseatur. Peccatrix autem quia immunda recipiens ignomi-*

niam ex carnis societate. Et de carne Christi cap. 16. *Defendimus*, inquit, *non carnem peccati evacuatam esse in Christo, sed peccatum carnis, non materiam, sed naturam; nec substantiam, sed culpam secundum Apostoli auctoritatem dicentis*: *Evacuavit peccatum in carne*. Docet deinde Christum similitudinem assumpsisse peccatricis carnis, *quod ipsa non peccatrix caro Christi, ejus fuit par, cujus erat peccatum; genere non vitio Adae*. Gregorius nyssenus in ps. cap. 8. ait: *Quemadmodum in Adam omnes morimur; sic et in Christo omnes vivificamur*. Et cap. 16. *Sordes autem hominis peccatum est, quod una cum humana editur natura, quoniam in peccatis concepit me mater mea*. Addo Athanasium Orat. 2. cont. Arian. *Lapso Adamo*, ipse inquit, *in omnes homines peccatum dimanavit*. Nescio num ad originalis peccati adstruendam fidem luculentiora desiderari possint testimonia.

Illorum nunc Patrum laudanda nomina sunt quibus S. P. Augustinus usus est adversus impudentissimum Julianum. Nam quae mox recensuimus, S. Doctor, quod sciam, non commemoravit. Contra Julianum ergo laudat 1. quae scribit Irenaeus lugdunensis episcopus, qui non longe a temporibus Apostolorum fuit, lib. 4. cap. 5. id est, *Non aliter salvari homines ab antiqua serpentis plaga, nisi credant in eum, qui secundum similitudinem carnis peccati in ligno martyrii exaltatus a terra, omnia traxit ad se, et vivificavit mortuos*. Deinde quae scribit lib. 5. cap. 19. *Quemadmodum adstrictum est morti genus humanum per virginem, salvatur per virginem, aequa lance disposita, virginalis inobedientia per virginalem obedientiam. Adhuc enim Protoplasti peccato per correptionem primogeniti emendationem accipiente, serpentis prudentia devicta per simplicitatem columbae, vinculis illis resoluti sumus, per quae alligati eramus morti*. 2. Commendat Cyprianum qui a Fido episcopo consultus an differendum sit infantulo baptisma, respondet: *Si ... a baptismo atque a gratia nemo prohibetur; quanto magis prohiberi non debet infans, qui recens natus nihil peccavit, nisi quod secundum Adam carnaliter natus, contagium mortis antiquae prima nativitate contraxit? Qui ad remissam peccatorum accipiendam hoc ipso facilius accedit, quod illi remittuntur, non propria, sed aliena peccata*. 3. Affert testimonium Reticii augustodunensis in haec verba: *Hanc igitur principalem esse in Ecclesia indulgentiam, neminem praeterit, in qua antiqui criminis omne pondus exponimus, et ignorantiae nostrae facinora prisca delemus, ubi et veterem hominem cum ingenitis sceleribus exuimus*. 4. Et Olimpii episcopi hispani ex quodam sermone, ubi sic legebatur (jamdiu enim Reticitii et Olimpii intercidere scripta): *Si Fides umquam in terris incorrupta mansisset, ac vestigia fixa tenuisset, quae designata deseruit, numquam Protoplasti mortifera transgressione vitium sparsisset in germine, ut peccatum cum homine nasceretur*. 5. Citat deinde Hilarium pictaviensem qui in ps. 118. exponens illa verba: *Vivet anima mea, et laudabit te*, inquit: *Vivere se in hac vita non reputat; quippe qui dixerat, Ecce in iniquitatibus conceptus sum, et in delictis peperit me*

mater mea . Scit sub peccati origine et sub peccati lege esse se natum. Qui et agens de carne Christi exponens quae occurrunt ad Rom. cap. 8. v. 3. ait : *Ergo cum missus est in similitudine carnis peccati , non sicut carnem habuit , ita habuit et peccatum . Sed quia ex peccato omnis caro est , a peccato scilicet Adam parente deducta , in similitudine peccati carnis est missus , existente in eo non peccato , sed peccati carnis similitudine* . 6. Et Ambrosii qui innumeris in locis catholicum de originali peccato dogma tradit et praesertim lib. 1. in Luc. n. 36. in illa verba , *Jordanis conversus est retrorsum* , ait : *Significavit salutaris lavacri futura mysteria , per quae in primordia naturae suae , qui baptizati fuerint parvuli , a malitia reformantur* . Rursus idem ipse in eodem Opere : *Non enim virilis coitus vulvae virginalis secreta reseravit ; sed immaculatum semen inviolabili utero Spiritus sanctus infudit . Solus est enim per omnia ex natis de foemina sanctus Dominus Jesus , qui terrenae contagia corruptelae immaculati partus novitate non senserit* . Itemque in eodem ipso : *Omnes in Adam morimur , quia per unum hominem peccatum intravit in mundum , et per peccatum mors , et ita in omnes homines pertransiit , in quo omnes peccaverunt* . Rursus in Opere ipso , alio loco : *Fuit Adam , et in illo fuimus omnes : periit Adam , et in illo omnes perierunt* . Et in apologia prophetae David cap. 2. *Ante quam nascimur maculamur contagio , et ante usuram lucis , originis ipsius excipimus injuriam , in iniquitate concipimur* . 7. Citat laudatissima Gregorii nazianzeni testimonia inter quae illud principem locum obtinet quod excerpitur ex Oratione in Natalem Christi : *Persuadeat tibi de hoc quoque sermo Christi dicentis , Neminem posse introire in regnum caelorum nisi renatus fuerit ex aqua et Spiritu . Per hunc primae nativitatis maculae purgantur , per quas in iniquitatibus concipimur , et in delictis genuerunt nos matres nostrae* . 8. Recitat quaedam ex Basilio , et praesertim quae habet in serm. de jejunio : *Jejunium in paradiso lege constitutum est . Primum enim mandatum accepit Adam ... Si jejunasset a ligno Eeva , non isto indigeremus jejunio . Non enim opus habent valentes medico , sed male habentes . Ægrotavimus per peccatum , sanemur per poenitentiam ... Maledicta terra spinas et tribulos pariet . Contristari ordinatus es , numquid deliciari ?* Ubi Augustinus ostendit sententiam illam , spinas et tribulos terra pariet tibi , in primum hominem peccatorem prolatam , ad nos etiam pertinere , nosque omnes obnoxios esse peccato qui eidem cernimur obnoxii esse sententiae . 9. Commemorat praeterea Johannis Chrysostomi verba cujus auctoritate Pelagiani abutebantur , quique in ep. ad Olimpiam ita scribit : *Quando enim Adam peccavit illud grande peccatum , et omne genus hominum in commune damnavit , de moerore poenas luebat* . In hom. autem de Lazaro resuscitato : *Flebat* , inquit, *Christus , quod eos qui immortales esse poterant Diabolus fecit esse mortales* . Et hom. 9. in Gen. *Timemus bestias , et pavemus ; non contradico . Et a principatu decidimus ... Ab initio enim non ita res erant dispositae ; sed timebant , et tremebant , et subjiciebantur domino . Et*

quoniam a fiducia decidimus , profecto et ab honore . Et hom. ad Neophyt. tom. 2. Ἔρχεται ἅπαξ ὁ χριστός, εὗρεν ἡμῶν χειρόγραφον πατρῷον, ὅτι ἔγραφεν ὁ Ἀδάμ. Ἐκεῖνος τὴν ἀρχὴν εἰσήγαγεν τοῦ χρέους, ἡμεῖς τὸν δανεισμὸν ηὐξήσαμεν ταῖς μεταγενεστέραις ἁμαρτίαις. Quae verbum e verbo interpretata sic se habent: *Venit semel Christus , invenit nostrum chirographum paternum , quod scripsit Adam . Ille initium induxit debiti , nos foenus auximus posterioribus peccatis* . Et hom. 10. in ep. ad Rom. *Ut cum tibi dixerit Judaeus quomodo unius virtute Christi mundus salvatus est ? possis ei dicere , quemadmodum uno inobediente Adam mundus damnatus est* . 10. Tandem concludit Augustinus SS. PP. agmen ducens auctoritate magni Hieronymi, Julianumque gravissimis hisce alloquens verbis : *His tot ac tantis molibus virorum sanctorum doctorumque vallatus, adhuc* caussam nostram *putabis* nullum assertorem de tanta multitudine invenire potuisse ? *An tantam consensionem sacerdotum catholicorum* , conspirationem *dicturus es* perditorum ? *Nec sanctum Hieronymum , quia presbyter fuit , contemnendum arbitreris , qui Graeco et Latino , insuper et Hebraeo , eruditus eloquio , ex occidentali ad orientalem transiens Ecclesiam , in locis sanctis atque in litteris sacris , usque ad decrepitam vixit aetatem : omnesque vel pene omnes qui ante illum aliquid ex utraque parte orbis de doctrina Ecclesiastica scripserant legit , nec aliam de hac re tenuit prompsitque sententiam . Qui cum exponeret Jonam prophetam , apertissime dixit , quod etiam parvuli peccato offendentis Adam tenerentur obnoxii* . Quae cum ita sint S. P. Augustinus originalis peccati non sibi finxit doctrinam , sed a praecedentium traditione Patrum accepit . Quod ut magis manifestum fiat , sit

CONCLUSIO II.

Catholicum de originalis culpae dogma demonstratur quoque Conciliorum Summorumque Pontificum definitionibus .

Prob. tum Conciliorum tum Summorum Pontificum a quibus pelagiana haeresis hoc in capite damnata est enumeratione . Optime Marius Mercator Common. cap. 3. affirmat quod *Pelagiani non solum imperialibus legibus , sed etiam sacerdotalibus statutis depositi atque exauctorati sunt* . Nam a pelagianae haeresis exordio ad tertium usque generale Concilium Ephesi in causa Nestorii celebratum , hoc est intra novendecim annorum spatium , viginti quatuor enumerantur contra Pelagium atque Caelestium episcopales Synodi : quarum prima celebrata est anno 412. Carthagine ubi Caelestius quod affirmaret *peccatum Adae ipsi soli obfuisse , et non generi humano* , anathematis fulmine percussus est . Altera habita est Diospoli in Ægypto an. 415. in qua licet Pelagius suffuratus sit absolutionem perfricta fronte negans umquam a se tradita fuisse dogmata ibi discussa , qua de caussa Synodus haec miserabilis a Hieronymo appellatur , damnatae nihilominus sunt tamquam haereticae sequentes propositiones : 1. *Quod peccatum Adae ipsum solum laeserit , et non genus humanum* . 2. *Quod in-*

fantes nuper nati in illo statu sint, *in quo Adam fuit ante praevaricationem*. 3. *Quod neque per mortem*, *vel praevaricationem Adae omne genus humanum moriatur*. Tertia coacta fuit iterum Carthagine an. 416. ubi eadem pelagiana doctrina iterum damnata fuit. Tum eodem anno celebratum est concilium Milevitanum, atque Caelestiani damnati quod necessitatem Baptismi ad vitam consequendum aeternam parvulis denegarent. Etiam Constantinopoli iis temporibus Synodus ab Attico habita est contra pestiferum hoc dogma, testibus S. P. Augustino lib. 3. cont. Julian. cap. 1. et Mario Mercatore Common. cap. 2. Idem Marius Mercator cap. 3. fidem facit Theodotum convocasse contra Pelagium Antiochiae Synodum: *Insistentibus accusatoribus*, *posteriore Synodo*, *cui S. M. Theodotus Antiochiae praesedit episcopus*, *atque detectus a sanctis quoque et venerabilibus Jerosolymorum locis est deturbatus*. Anno 418. congregatum est iterum Carthagine totius Africae Concilium quod plenarium a S. Augustino appellatur, in quo octo editi sunt Canones quorum secundus eos damnat qui docent, *parvulos nihil ex Adam trahere originalis peccati*, *quod lavacro regenerationis expietur*. Anno 431. celebratum fuit in caussa Nestorii concilium Ephesinum in quo Patres Pelagianorum Caelestianorumque doctrinam confodiunt, ut ex Synodica quam Concilii Patres ad S. Caelestinum miserunt, luculentissime patet. Denique hunc eumdem de originali peccato errorem proscripsit Arauxicana quoque synodus anno 508. Quare Tridentinum concilium jure meritoque definivit quod *si quis Adae praevaricationem sibi soli*, *et non ejus propagini asserit nocuisse*, *anathema sit*.

Venio modo ad Summorum Pontificum definitiones. Innocentius I. lectis Africanorum contra Pelagianos epistolis, Synodum Romae coegit an. 417. in qua duos haereticorum illorum damnavit errores, unum circa gratiae necessitatem, alterum circa originale peccatum. Zosimus quamvis a Caelestio fuerit aliquando deceptus, ejus tamen artibus detectis non errores modo circa gratiam et originale peccatum, sed illius quoque personam, data ad universi Orbis Episcopos epistola, solemniter damnavit. Bonifacius Augustini scripta contra Pelagianos approbando, ut testatur Prosper adv. Collat. cap. 41. expresse probavit gratiae necessitatem ad bonum agendum, et de originalis culpae transfusione doctrinam. Pluribus epistolis Caelestinus catholicam firmavit de peccato originali sententiam adversus deliramenta Pelagianorum, ut videre est in Comm. Vincentii Lerinensis cap. ultimo, in Prospero adv. Collat. cap. 42. et 43. et idem praestitit Caelestini successor Xystus III. ut patet ex inscriptione lapidis octangularis in Basilica ad Baptisterium. Mitto Leonem, Gelasium, Gregorium, aliosque subsequentes Romanos Antistites quorum Fides de originali peccato manifestissima est; unde colligitur universalem Ecclesiam semper credidisse originale peccatum transfundi in posteros Adae, quod erat demonstrandum.

Explicantur dicta Sanctorum quae contra superius statuta facere videntur.

Obj. I. Justinus martyr existentiam negare videtur originalis peccati. Nam in lib. QQ. ad Orthod. q. 88. praecipuum quo Catholici uti solent argumentum ex V. T. depromptum, *Nemo mundus a sorde, nec infans* etc. non explicat de parvulis, sed pertinere docet ad adultos quorum immunditia sunt, πράξεις ἐκ προαιρέσεως, *opera ex deliberata voluntate patrata*. II. Clemens alexandrinus errores refellens Encratitarum seu Tatianorum et ipse originariam culpam aperte inficiatur. Ajebant enim Encratitae nuptias esse damnandas quoniam per illas traducitur natura polluta, et infantes sub Adae cadunt execrationem juxta illud ps. 50. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum* etc. Clemens e contra illos refellens scribit: *Dicant ergo ubi fornicatus est infans natus, vel quomodo sub Adae cecidit execrationem qui nihil est operatus?* Et paullo post: *Et quando dixit David, In peccatis conceptus sum, et in iniquitatibus concepit me mater mea, dicit prophetice quidem matrem suam, sed Eva fuit mater viventium: et si in peccatis fuit conceptus, sed non ipse in peccato, neque vero ipse peccatum*. Ex quibus apparet negare Clementem quod Encratitae admittebant. Hi autem volebant damnandas esse nuptias quoniam proles ex his nascitur infecta peccato: quod recentiores Catholici tenent. III. Gregorius nyssenus Orat. de infantibus praematura morte abreptis, ita scribit: *Puellus infans, simplex omnisque malitiae expers ... sanctitate quae per purgationem contingit non indigens, quippe qui nec ab initio quidem prorsus in animum morbum admisit*. Si nullum puellus ab initio admisit morbum in animo, ubi est originale peccatum?

Resp. ad 1. Quaestiones ad Orthod. falso adscribi Justino, quum Irenaei, Origenis, ac Manichaeorum qui post illius aetatem vixerunt meminerit, et non raro adhibeat voces τριάδος, προσώπου, ὑποστάσεως quae post illius mortem in usu fuerunt. Quare nullius roboris est scriptoris hujus auctoritas. Deinde auctor illarum QQ. *vitae* nomen quod in Jobi sententia occurrit, non litteraliter sed metaphorice usurpat pro vita in quam ingreditur homo post usum rationis: atque idcirco peccati nomine non originalem, sed actualem intelligit culpam quae scilicet ἐκ προαιρέσεως, καὶ ἐλευθερίας, *ex proposito, et libertate* contrahitur; sensusque verborum ejus est neminem vel unius diei vitam rationalem habentem, esse sine actuali peccato saltem veniali: ad quod demonstrandum testimonium Jobi assumit metaphorico sensu interpretatum; unde Q. 102. auctor idem apertissime agnoscit originale peccatum. Agnoscit enim ibi inter Adam et Christum ἀντίθεσιν, *antithesim*, quam tradit beatissimus Justinus in Dialogo cum Tryphone.

Ad 2. Ut Clementis alexandrini mentem laudatis in argumento verbis expressam probe assequamur, videndum prius est quaenam Encratitarum dogmata fuerint. Hi ergo quum ad Valentinianorum et Marcionitarum fontes turbidas hauserint aquas, asserebant nuptias esse damnandas 1. Quoniam a principio nequam institutas fuisse autumabant. 2. Quoniam pu-

tabant matrimonium esse corruptionem ac stuprum. 3. Quoniam nuptiarum usu animam quae in uno corpore fornicationis culpa se communicaverat, transfundi in aliud corpus existimabant ut novis seipsam coinquinaret sceleribus et immunditiis, admittentes cum Origenistis animarum in altera vita praeexistentiam. Fuisse haec Valentinianorum Marcionitarum Gnosticorumque falsa dogmata ab Encratitis subinde adoptata docent Irenaeus, Tertullianus, aliique Veteres. Quando itaque Clemens negat ex nuptiis sequi peccatum, de peccato proculdubio loquitur in sensu Encratitarum, de peccato videlicet actuali; proindeque cum inquit, *Ubi fornicatus est infans?* negat animam pueri praeextitisse corpori, atque vel in altera vita vel in nuptiarum usu peccasse: aitque nihil actualiter propria voluntate patrasse ut sub Adae incideret execrationem, Adae execrationis nomine culpam intelligens actualem. Et quoniam Encratitae ad actuale peccatum quod dixit David, *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum*, detorquebant; merito Clemens addit Davidem nullum ante nativitatem actuale patrasse peccatum. Nihil igitur de peccato originali Encratitae; nihil idcirco de eodem peccato laudata in sententia Clemens. Imo in postremis illius verbis non obscurum apparet originalis culpae vestigium; ait namque Davidem matris suae nomine prophetice intelligere Hevam. Ad quid Hevae commemoratio ubi sermo fit de peccato per conceptionem, nisi quia *a muliere initium factum est peccati?* Subdit: *Et si in peccatis fuit conceptus, sed non ipse in peccato*: hoc est, habuit quidem David originale peccatum in quo conceptus fuit a matre, minime vero actuale in sensu Encratitarum.

Ad 3. Gregorius laudata in orat. de peccato et morbo et malitia actuali a quo infantes recens natos declarat immunes, non de originali peccato loquitur: quod patet 1. ex ipsius allatis verbis. Quid enim est malitiae esse expertem morbumque in animum non admittere, nisi carere peccato actuali? Quid est non indigere sanctitate per purgationem, nisi sacramento non indigere Poenitentiae? 2. Ex quo sermonem ibi habeat de infantibus baptizatis; protestatur enim se verba non facere de puerulis qui in matrum utero decedunt: sed *de iis qui sunt in aëre*, docetque petere post mortem supernaturalem beatitudinem, ut legenti constat. Nec alio sensu loqui poterat qui Orat. in Nat. Dom. scripsit: *Nunc per totum orbem una voce festum celebrantium clamor exauditur. Per hominem mors, et per hominem salus. Primus in peccatum lapsus est. Jacentem secundus suscitavit. A muliere mulier defensa est. Prima peccato aditum patefacit. Haec ut justitiae peteret aditus ministra fuit ... Illa per lignum induxit peccatum. Haec per lignum gratiam intulit.*

Obj. 2. auctoritatem Basilii et Theodoreti. Ille in lib. de Manichaeis qui jamdiu intercidit, inquit apud Augustinum lib. 1. cont. Julian. cap. 5. *Si autem accessit* (malum,) *et principium accessionis non substantiam habuit, sed voluntatem, facile potest malum a substantia separari, ut et subjecta voluntati substantia munda possit per omnia possideri, ita ut nullius mali vel signa remaneant*. Malum itaque originalis peccati non est

a natura . Ille autem in psal. 50. scribit : *Per haec omnia diximus non peccati naturalem vim esse* . Et lib. 3. haeretic. fabul. cap. 18. *Non enim , ut amentes putant Messaliani , novaculam tantum imitatur Baptismus praecedentia auferens peccata ; hoc enim ex superabundantia largitur . Si enim hoc solum opus erat Baptismi , quorsum infantes baptizamus , qui peccatum nondum gustarunt ?*

Resp. ad 2. Basilium disputare adversus Manichaeos malum generatim sumptum quamdam substantiam autumantes . Ut contrarium Basilius demonstraret ostendit malum separari plane posse a substantia . Unde S. P. Augustinus mentem Basilii aperiens loco supra citato inquit : *Ista ita recte dixit Basilius , ut etiam de ipso malo , quod per Adam intravit in mundum , et per omnes homines pertransiit , bene possit intelligi ; quia et ipsum accessit naturae humanae . Non enim sic erat primitus condita ; et principium accessionis non substantiam habuit , sed voluntatem* .

Ad 2. Theodoretus docet vim peccati naturalem non esse , hoc est , non esse cum hominis natura conjunctam , non vero non esse in singulis hominibus a nativitate . Refellit enim ibi nonnullos damnantes nuptias quod ex iis peccatum sequatur . Atque eo sensu optime inquit vim peccati non esse a natura vel directe a matrimonio ejusque usu .

Ad 3. Theodoretus ubi dicit infantes non gustasse peccatum , loquitur de peccato actuali , non originali : quoniam Messaliani quos ibi perstringit , affirmabant Baptisma institutum a Deo fuisse ad abolenda dumtaxat peccata actualia , originale autem tolli per orationem . Ad haec ergo respondens Theodoretus , inquit : Cur ergo baptizantur infantes , qui peccatum *nondum gustaverunt* ? Intellige actuale de quo Messaliani loquebantur .

Obj. 3. Chrysostomus hom. ad Neophyt. ita scribit : *Hac de caussa et infantes baptizamus , quamvis non sint coinquinati peccato ; nempe ut eis addatur sanctitas , justitia* etc. Chrysostomus ergo affirmat infantes ante Baptismum carere peccato. 2. Hom. 10. in ep. ad Rom. cap. 5. novum quoddam inventasse videtur systema , Adae videlicet peccatum caussam fuisse cur corpora nostra sint facta mortalia : nihil autem posterorum animae obfuisse nisi illis qui Adam peccantem imitantur . Sic enim habet: *Videtur quaestionem non parvam habere quod dictum est , (Ob unius inobedientiam peccatores multos esse constitutos). Sed etsi quis accurate attenderit , et hoc quoque perfacile solvetur , quaenam igitur quaestio fuerit ? Illo enim peccante ac mortali effecto , et qui ex eo orti sunt , eos tales esse nihil absurdum . At ex illius inobedientia alterum peccatorem extitisse , id vero quam obsecro congruentiam , et consequentiam habet ? Invenietur enim nec poenas habere qui talis fuerit , siquidem non ex ipso peccator extiterit . Quid igitur hoc loco verbum hoc peccatores significat ? Mihi videtur tantumdem significare , quantum illud supplicio obnoxii ac mortis rei quod Adam mortuo , omnes sunt mortales effecti*. Tradit itaque Chrysostomus ob Adae inobedientiam neminem constitui peccatorem , sed tantum mortalem . 3. Post allatam sententiam adhuc prosequitur eloquentissimus Doctor dicens a morte et condemnatione per Adam

nihil nocumenti accepisse: *Non solum nihil nocumenti accepimus a morte hujusmodi et condemnatione si sapuerimus, sed mortalis effecti lucrum etiam fecimus*. 6. Demum hom. 39. in ep. ad Cor. ad illa verba: *Et sicut in Adam omnes moriuntur* etc. scribit: *Quid? Omnes ne, dic quaeso, mortui sunt in Adam morte peccati?* Et hom. 24. in ep. ad Eph. *In corpus quidem*, ait, *nostrum cadit corruptio, sed in animam non cadit*. Quid luculentius?

Resp. ad 1. Non de originali peccato verba facit Chrysostomus in hom. ad Neophyt. sed de actuali; quod constat 1. ex quo adhibeat verbum, *habere*, quum in Graeco legatur, διὰ τοῦτο καὶ τὰ παιδία βαπτίζομεν, καίτοι ἁμαρτήματα οὐκ ἔχοντα: quod est latine, *Ideo et infantes baptizamus, quamvis peccata non habentes*. Peccata vero quae habentur, patrata videntur propria voluntate. Ita Juliano objicienti respondet S. P. Augustinus lib. 1. cap. 6. *Vides certe non ab eo dictum esse* parvulos non coinquinatos esse peccato *sive* peccatis; *sed* non habere peccata: *intellige propria, et nulla contentio est. At inquies, cur non ipse addidit propria? Cur putavimus, nisi quia disputans in catholica Ecclesia, non se aliter intelligi arbitrabatur, tali quaestione nullius pulsabatur, vobis nondum litigantibus securius loquebatur?* 2. Quoniam disputat adversus nonnullos affirmantes Baptismum unicum producere effectum, remissionem nimirum actualium peccatorum. Qua de re optime exemplum urget parvulorum, qui licet peccata non habeant actualia, nihilominus baptizantur. 3. Quoniam eadem in hom. nimis diserte admittit originale peccatum, ut ex testimoniis superius allatis luculentissime apparet. Deinde nonnulli sunt Eruditi qui in Chrysostomi codices errorem ab antiquo irrepsisse arbitrantur; ita ut ubi nos legimus, *Infantes baptizamus, quamvis non sint coinquinati peccato*, legendum sit, *Ut non sint coinquinati peccato*: atque ita legitur in Editionibus basileensi an. 1530. et parisiensi an. 1556. Verum quum Augustinus legerit, *Quamvis non sint coinquinati peccato*, dicendum foret in codices incidisse corruptos, quod verisimile non est: adeoque putandum potius basileensem ac parisiensem Editores Chrysostomi textum correxisse.

Ad 2. Ait Chrysostomus neminem peccatorem constitui ob inobedientiam actualem ac personalem Adae, non vero ob inobedientiam originalem. Inquirit namque citata in hom. quid vox illa, *Peccatores*, apud Apostolum significet; an videlicet transfusum in Adae posteros sit ipsum Adami personale delictum, quod multi effutiebant: atque respondet nullam id congruentiam aut consequentiam habere; neque enim poenam mereretur ille cui imputaretur peccatum sibi nullo modo proprium. Et probe quidem, quoniam originale peccatum non est ipsum Adami personale delictum nobis imputatum, ut in subsequentibus ostendemus. Quomodo ergo, ait Chrysostomus, facti sumus per Adam peccatores? Profecto quatenus ab eo contraximus mortem; quae peccatum supponit originale. Hanc autem esse sancti hujus Patris mentem patet 1. Ex quo ibidem scribat absurdum non esse *ut Adamo peccante ac mortali effecto, tales sint etiam qui ex eo orti sunt*, peccatores nempe atque mortales. 2. Ex eo

quod mors a nobis ex Adami culpa contracta etiam quatenus in nobis est, poena ab eo appelletur atque supplicium. Poena enim et supplicium sub Deo justo judice culpam supponunt. 3. Quoniam hom. 11. seq. in cap. 6. ad Rom. docet pervasisse in nos una cum morte ob Adae delictum pravorum affectuum examen, indeque factum esse ut majora nobis promeruerit Christus auxilia: *Una cum morte magnum etiam affectuum veluti examen introierat. Itaque corpus non valde agile erat ad eum cursum, qui ad virtutem fertur: neque enim spiritus aderat qui opem deferret, neque baptisma quod mortificare posset*. Idipsum hom. 12. et 13. repetit ubi sic habet: *Cum enim corpus mortale effectum est, tum denique necessario admisit et concupiscentiam et iracundiam et dolorem et cetera omnia*. Nemo porro dixerit illam pravorum affectuum colluviem originariam non supponere culpam.

Ad 3. Non affirmavit Chrysostomus mortem dumtaxat, non culpam nos ab Adam traxisse: sed mortem ex Adam contractam ejusque condemnationem nihil nobis nocumenti attulisse, quoniam si abundavit delictum, superabundavit et gratia: explicat enim ibi Apostoli textum, *Non sicut delictum, ita et donum*. Illudque animadverto quod non dixit Chrysostomus nihil nos nocumenti accepisse ab Adam, sed nihil nocumenti accepisse nos a morte et condemnatione; ac si dicat: *Etiamsi tot tantaque mala in nos ob Adae culpam derivaverint; nihil tamen habuimus detrimenti, quoniam Christi justitia superabundat*. Unde subdit: *Christi mors plura alia attulit bona. Hinc enim tum Martyrum coronae, tum Apostolorum praemia. Ita Abel justificatus est; ita Abraham* etc. *Si enim voluerimus, non modo mors, sed ne ipse quidem diabolus nocumento esse nobis poterit*. Quibus totus est Chrysostomus ut auditorum animos erigat eosque redarguat quod humanae naturae infirmitatem nimis causentur.

Ad 4. Negat Chrysostomus omnes ob Adae delictum mortuos esse morte peccati irreparabili ac sempiterna, non autem negat omnes mortuos esse morte peccati originalis. Idque exemplis ab eo assumptis patet; prosequitur enim: *Quomodo ergo Noe justus in generatione sua? Quomodo Abraham? Quomodo Job? Quomodo alii omnes? Quid vero dic, rogo, omnes ne vivificabuntur in Christo? Et ubi sunt qui abducuntur in gehennam?* Alterum quod ex eodem S. Doctore opponitur testimonium, catholico de originali peccato dogmati mirum in modum favet. Nam ita se habet integra sententia: *Corruptibile nobis est corpus, sed incorruptibilis anima. Ne itaque et ipsam corrumpamus. Hoc primum peccatum fecit. Quod est autem post lavacrum potest pariter animam corrumpere*. In citandis adversus catholicam sententiam Patrum testimoniis quibus abutuntur haeretici, consulto silentio praeterii Origenem, quoniam doctissimum hunc scriptorem praelusisse Pelagianis pro certo teneo.

Obj. 4. multa latinorum Patrum testimonia. Et I. Verba Tertulliani quae in lib. De Bapt. cap. 8. occurrunt: *Veniant ergo dum adolescunt. Veniant dum discunt, dum quo veniant docentur; fiant Christiani, dum*

Christiani nosse potuerint. Quid festinat innocens aetas ad remissionem peccatorum? Tertullianus itaque credidit infantium aetatem adeo esse innocentem ut Baptismo non egeat ad remissionem peccatorum. II. Idem Tertullianus De resur. carn. cap. 47. describit quidem corporis mortem ob Adae delictum, sed de morte animae nihil penitus dicit. III. Optatus Milevitanus lib. 7. 2. 1. tradit *Non pertinuisse ad Seth filium Adae patris peccatum, quoniam juxta Ezechielem anima quae peccat, sola punietur: quae res jam et antiquis saeculis probata est*. IV. Arnobius junior in ps. 50. illa Davidis verba, *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum*, exponens scribit: *Omne peccatum corde concipitur et ore consumatur. Hic autem qui nascitur sententiam Adae habet, peccatum vero suum non habet*.

Resp. ad 1. Tertullianus infantium aetatem appellat innocentem; hoc est, ab actuali immunem peccato. Patet id primitus ex quo penes Veteres inusitatum non fuerit innocentes dicere pueros solo originali peccato coinquinatos: ducti sunt enim ad id affirmandum Apostoli testimonio qui de Jacob et Esau dicit, *Antequam nihil boni vel mali egissent* etc. Quapropter S. P. Augustinus lib. adv. Julian. 1. cap. 6. consimilem Chrysostomi sententiam exponens inquit: *Unde illos innocentes merito nuncupamus, secundum id quod ait Apostolus nondum natos nihil egisse boni sive mali*. Deinde quoniam eo loci ob oculos habebat Tertullianus Catechumenos adultos quos ad Baptismum hortabatur ex illius materia forma effectibus, ac praesertim ex necessitate. Quapropter sensus testimonii illius est: Properate o Catechumeni ad Baptismum, quoniam actualium rei estis peccatorum. Si differant illum infantes, mirum videri non debet; innocentes enim sunt et ab actuali culpa immunes.

Ad 2. In lib. De resur. carn. non de originali peccato, sed de resurrectione carnis, ut ex titulo libri apparet, contra Marcionitas disputat Tertullianus. Nil ergo mirum si originalis peccati non meminit.

Ad 3. Loquitur Optatus de peccatis actualibus quae non transire docet de patribus ad filios, quemadmodum actualia Adami peccata non spectarunt ad filium illius Seth. Hanc esse mentem Optati ex loci illius argumento patet in quo pertractat de Traditoribus: *Igitur quia tradere*, inquit, *peccatum est; videant parentes vestri quid in judicio Dei respondeant: vestrum tamen, quia aliis temporibus estis, peccatum esse non potest*. Ceterum in lib. 4. n. 6. originale peccatum apertissime agnoscit dicens: *Neminem fugit quod omnis homo qui nascitur, quamvis ex parentibus christianis nascatur, sine spiritu immundo esse non possit, quem necesse sit ante salutare lavacrum ab homine excludi ac separari. Hoc exorcismus operatur per quem spiritus immundus depellitur et in loca deserta fugatur*.

Ad 4. Censent plerique Eruditi post cl. Norisium, Arnobium hunc pelagianum fuisse scriptorem; et merito quidem. Nam Com. in ps. 12. Praedestinationis mysterium funditus evertere conatur dicens; *Numquam probatis Deum per electionem personae unum velle, recusare alium*. Deteriora scribit in ps. 108. et 120. unde auctoritas ejus admittenda non est.

CAPUX IV.

An ex hujus vitae miseriis valide demonstrari possit originale peccatum.

Pelagianorum profligator Augustinus in singulis scriptis suis ad originalis culpae existentiam commonstrandam argumentum saepissime urgebat ex hujus vitae miseriis et calamitatibus deductum, sic fere arguens. Calamitates hujus vitae non aliam habere possunt caussam nisi peccatum: Parvuli subditi sunt calamitatibus: Aliquod igitur habent peccatum. Non actuale cujus capaces non sunt: Ergo originale. Pelagiani e contra ut illud eluderent argumentum respondebant aerumnas atque miserias quibus parvuli subditi sunt, non poenas peccati sed conditiones esse naturae. Commentum hoc fuse refutavimus libro praecedenti ubi de poenis Adami peccato debitis ac de status purae naturae impossibilitate fuse pertractavimus: ad quae loca lectorem remittimus. Nunc demonstrandum breviter est Augustinianum illud argumentum paullo ante prolatum invictissimum esse ad originalis culpae transfusionem demonstrandam.

CONCLUSIO

Ex hujus vitae miseriis optime demonstratur originalis peccati existentia.

Prob. 1. multis momentis. I. Creatura rationalis quae alicui est subdita malo, innocens sane dici non potest. Malum quippe sive culpae sit sive poenae, innocentiam a creatura cui inest prorsus excludit. Et malum quippe culpae eripere a creatura innocentiam quis ambigere potest? Sed neque innocens dici potest creatura quae subdita est malo poenae. Nam etsi malum poenae sit a Deo, juxta illud Augustini in lib. adv. Fortunatum manichaeum Disput. 1. *Cum ergo duo sint genera malorum, peccatum, et poena peccati: peccatum ad Deum non pertinet, poena peccati ad vindicem pertinet*; nihilominus nequit Deus citra injustitiam creaturae infligere poenam, nisi in ea prius praecesserit culpa; unde immediata malorum poenae caussa dicitur ab Apostolo cupiditas, nimirum peccatum: *Si enim radicem omnium malorum quaeris, habes Apostolum dicentem, radicem omnium malorum esse cupiditatem. Radicem radicis quaerere non possum*, ait Augustinus lib. supra citato Disput. 2. Creatura itaque cuilibet subdita malo innocens dici non potest: *Neque enim sub Deo justo miser esse quisquam nisi mereatur potest*, ait S. Pater lib. 1. Op. imp. cont. Julian. cap. 39. Et lib. 3. ejusdem Op. cap. 48. *Nam prorsus quomodo justum ostendatis Deum, non invenitis si et in nascentibus nulla peccata invenit, et eos tamen corruptibili corpore, et tot tantisque insuper calamitatibus aggravat. Non enim numerari possunt mala quae patiuntur infantes, febrem, tussim, scabiem,*

dolores quorumque membrorum , ventris fluxum , lumbricos , et alia innumerabilia ex ipsa carne exsistentia ; et ipsarum curationum quam morborum plura tormenta , et extrinsecus ictus vulnerum , plagas verberum , incursus daemonum : insuper ignorantiam imbecillitatem surditatem caecitatem , aliaque innumera , addit is ipse S. Doctor in magno illo opere repetitis in locis . Sed haec omnia poenae appellantur in sacris litteris . Ita Eccli. cap. 40. *Jugum grave super filios Adam , a die exitus de ventre matris eorum , usque in diem sepulturae* . Et Job cap. 16. *Homo natus de muliere , brevi vivens tempore , repletur multis miseriis* . Et Auctor Sap. *Corpus quod corrumpitur aggravat animam , et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem* . Homo igitur a die nativitatis suae , adeoque puerulus , poenis innumeris subditur quae a Deo justo judice nisi culpa praesupponatur, infligi non possunt . Habent ergo parvuli culpam . Quam nisi originariam ? II. Neque dici potest calamitates has non poenas esse sed conditiones naturae . Nam , ut de morte in primis loquamur , hanc magis horrori esse infantibus nostris quam brutis animantibus quis ignorat ? Quomodo ergo sicut in brutis ita et in hominibus est conditio naturae ? Ad rem Augustinus lib. 4. cont. duas epist. Pelag. cap. 4. *Pelagiani quomodo dicunt* , solam mortem ad nos transisse per Adam ? *Si enim propterea morimur quia ille mortuus est ; ille autem mortuus est , quia peccavit : poenam dicunt transire sine culpa , et innocentes parvulos injusto supplicio puniri , trahendo mortem sine meritis mortis . Quod de uno solo Mediatore Dei et hominum homine Christo Jesu catholica fides novit , qui pro nobis mortem , hoc est , peccati poenam sine peccato subire dignatus est* . III. Quod daemon parvulos aliquando vexet in dubium verti non potest . Quis autem inficiabitur daemonis vexationem maximum esse malum ? Hinc S. Pater lib. 2. Op. imp. cont. Julian. cap. 87. *Quando parvulum spiritus vexat immundus , animamque ejus et corpus affligit , sensus sanitatemque pervertit ; nonne universa ejus , quam Deus instituit , natura turbatur ? nec invenitis omnino tanti hujus mali meritum , negantes originale peccatum* . IV. Pueri aliquando , vel caeci , ut diximus, vel surdi vel fatui nascuntur . Haec mala sunt . Numquid talis a Deo est instituta natura ? Aliquod ergo praecessit peccatum . Ita S. Pater adv. Julian. plurimis in locis . V. Infantes statim ac egrediuntur ex utero matrum a fletu vitam incipiunt , contra quam faciunt bruta animantia . Quid fletus ille significat nisi vitae hujus aerumnas in se malum esse ac poenas peccati non conditiones naturae ? *Oh dementiam singularem ! Hoc disputare est , an insanire ? Cum miseria se natos esse parvuli flendo testantur ... et felices eos dicis* ? Sic exclamat Augustinus lib. 2. Op. imp. cap. 116. Et lib. 3. cap. 77. *Quoniam Dei non est iniquum judicium , ideo in miseria generis humani , quae incipit a fletibus parvulorum , agnoscendum est originale peccatum* . Habes in postremis hisce Augustini verbis omnes humanae vitae calamitates malum esse et originalis peccati effectus , quod erat demonstrandum .

Prob. 2. auctoritate PP. adversus nonnullos Recentiores qui affirmare

non dubitant Augustinum ex hujus vitae miseriis male colligere originale peccatum. Itaque adeo Augustini hoc argumentum Veteribus arrisit ut Ecclesiae doctrinam merito dicere possis. Nam S. Gelasius Rom. Pont. in ep. ad Episcopos picenos contra Senecam pelagianum ita scribit: *Ideo* (homo) *de felicitatis suae claritate seclusus, atque ad spinas et tribulos miseriasque multiplices caelesti voce damnatus est, quia utique poena justi judicii tam gravis et aspera in bono perseveranti nullatenus esset inflicta, et nisi malo non convenienter illata probaretur*. Patres africani in Sardiniam relegati in lib. de Incarn. et Grat. cap. 14. *Pelagiani Deum dicunt injustum in eo quod mori faciat parvulos, quos nulla volunt isti originalis peccati contagione pollutos*. Et infra: *Qua igitur justitia Deus justus infantibus sine peccato nascentibus ingerit poenam, in quibus poenae non invenit caussam*? Synodus arauxicana can. 2. inquit: *Injustitiam Deo dare convincitur, qui mortem quae est poena peccati, sine peccato quod est meritum mortis, ad nos transisse dicit*. S. Prosper cont. Coll. cap. 20. *Nimis enim impium est, hoc de Dei sentire justitia, quod a praevaricatione liberos cum reis voluerit esse damnatos. Patet ergo culpa, ubi non latet poena, et societas peccati convincitur de communione supplicii: ut quod est humanae miseriae, non de institutione Creatoris, sed de retributione sit judicis*. Auctor Hypognosticon lib. 2. *Hac nos poenae sententia colligatos ipsa sibi humana natura per orbem terrarum diffusa testimonium perhibet, dum se paternis cruciatibus sanctae legis testimonio pervidet laborare. Quod qua justitia, si haeredes parentum peccati non sumus, patimur?* S. Anselmus lib. 2. Cur homo Deus cap. 2. *Sapientiae et justitiae repugnat, ut cogerit mortem pati sine culpa, quem justum fecerat ad aeternam beatitudinem*.

Objectiones solvuntur.

Obj. 1. *Posset tamen aliquis dicere* (sic arguunt nonnulli apud S. Thomam in 4. cont. Gent. cap. 52.) *hujusmodi defectus tam corporales quam spirituales non esse poenales, sed naturales defectus ex necessitate materiae consequentes*. II. Hinc non pauci Scholastici tamquam possibilem admittunt statum purae naturae, in quo vitae hujus calamitates essent conditiones naturae. III. Et re quidem vera ideo vitae hujus aerumnae peccatum demonstrant originale, quoniam repugnat contrahi ab homine poenam nisi contrahatur et culpa. Id autem falsum esse suadet Christi Domini exemplum: qui morti doloribus fami siti aliisque humanae vitae calamitatibus subditus fuit, nec ullam tamen habebat culpam. IV. Nec ad argumenti vim eludendam regerere juvat in Christo sic accidisse quoniam non purus homo erat, sed homo hypostatice Deo conjunctus. Nam de caeco nato Johan. cap. 9. v. 2. Christus inquit, *Neque hic peccavit, neque parentes ejus*; et nihilominus caecus natus erat. Quare ex humanae vitae miseriis non recte peccati originalis colligitur propagatio.

Resp. ad 1. cum eodem B. Thoma ibidem divina Providentia suppo-

sita, *quae singulis perfectionibus congrua perfectibilia coaptavit, Deus superiorem naturam inferiori ad hoc conjunxit ut ei dominaretur: et si quod hujus dominii impedimentum ex defectu naturae contingeret, ejus speciali et supernaturali beneficio tolleretur, ut scilicet cum anima naturalis sit altioris naturae quam corpus, tali conditione credatur corpori esse conjuncta quod in corpore aliquid esse non possit contrarium animae per quam corpus vivit ... Sic igitur hujusmodi defectus, quamvis naturales homini videantur absolute considerando humanam naturam ex parte ejus quod est in ea inferius, tamen considerando divinam Providentiam et dignitatem superioris partis humanae naturae ... probari potest hujusmodi defectus esse poenales; et sic colligi potest humanum genus peccato aliquo esse infectum.*

Ad 2. Jam superiori libro probavimus eos qui possibilitatem admittunt status purae naturae a vero longe aberrare. Verum in illorum etiam sententia ex humanae vitae miseriis existentia colligi potest originalis peccati. 1. Quoniam opinionis illius assertores alterius generis sibi fingunt statuuntque ordinem in quo Deus hominem sine gratia conderet et sine vitio. Hujusmodi autem hypothesis locum in praesenti rerum statu non habet: in quo et ipsi fatentur de Fide esse aliquam gratiam contulisse Deum Adamo in prima sui conditione. Quare si mortalis factus est, si ab ignorantiae concuspiscentiae aliarumque miseriarum fluctibus jactatur, accidit id in amissae per peccatum gratiae poenam. 2. Valeret Augustinianum argumentum ex eo etiam quod in statu purae naturae, in illorum sententia qui illum admittunt, humanae vitae calamitates essent quid tamquam conditiones naturae, ast non tales quales nunc experimur. Et I. Daemonum vexatio nullo plane modo locum in eo statu haberet. Quo namque merito jus spiritus nequam acquireret in creaturam, quae absque ulla culpa supponitur? II. Concupiscentia aut nullimode in eo statu esset, ut nonnulli arbitrantur; aut rationem ut alii existimant, non anteverteret. Ast concupiscentia quam nunc experimur adeo pertinax est et lacertosa, ut similem nec bruta animantia experiantur. III. Mors quoque quum saepe saeva sit immatura teterrima, est homini horrori magis quam belluis, ut ipsa docet experientia; proindeque tali morte non morerentur homines in eo statu. IV. Et de ignorantia quid dicam? Nescit in hoc rerum ordine homo quid vitare debeat, quid eligere: et mens humana saepius errat invita, atque in tanta rerum caligine obvolvitur, ut brutorum conditione infelicior sit humana conditio. Tali porro ignorantia non laboraret homo omni prorsus peccato expers qualis in statu purae naturae esset. V. Idem de caecitate dicendum surditate aerumnisque ceteris quae in hoc statu vigent, quaeque nullum locum haberent in conficta illa a recentioribus Scholasticis hypothesi. Quae adeo vera sunt ut prisci Philosophi agnoscentes ex una parte non decere ut Deus O. M. tot miseriis subditum conderet hominem; et ex alia parte ignorantes utpote divina destituti revelatione originale peccatum, vel accusarunt naturam quod a scopo aberraverit, ut Tullius apud Augustinum lib. 4. cont. Julian. cap. 12. fecit; vel e-

xistimarunt animas hominum praeexstisse corporibus atque in altera vita peccasse; vel duo summa excogitavere principia, bonorum unum, alterum malorum. Status ergo purae naturae possibilitas sive admittatur sive negetur, semper in suo robore viget Augustinianum argumentum ex vitae hujus miseriis deductum ad originale peccatum demonstrandum.

Ad 3. respondeo verbis S. Augustini in lib. 1. De peccat. merit. cap. 37. *Dicet aliquis: si haec natura pura non est, sed vitiosae primordia, quia talis non est creatus Adam, cum Christus longe excellentior, et certe sine ullo peccato natus ex Virgine, in hac tamen infirmitate atque aetate creatus apparuit? Huic propositioni respondemus Adam propterea non talem creatum, quia nullius parentis praecedente peccato non est creatus in carne. Nos ideo tales, quia illius praecedente peccato, nati sumus in carne peccati. Christus ideo talis, quia ut de peccato condemnaret peccatum, natus est in similitudine carnis peccati*. Christus ergo non necessitate, sed voluntate humanam assumpsit carnem; neque ex virili semine, sed Spiritus S. est procreatus virtute: erat enim Deus simul et homo. Hinc nullum habuit in carne peccatum, sed habere voluit carnis nostrae miserias necessarium pro infinita sapientia sua existimans assumere ad tollendum peccatum similitudinem carnis peccati.

Ad 4. Christus Dominus loquens in Evangelio de caeco nato excludit quidem ab eo actuale sed non originale peccatum. Discipuli namque Christi V. T. consuetudini innixi quod actualia parentum scelera transirent aliquando ad filios eorum interrogaverunt Magistrum: *Quis peccavit, hic an parentes ejus*, de peccato interrogantes actuali. Quare respondens Christus, *Neque hic peccavit, neque parentes ejus*, et is de peccato respondet actuali, additque: *sed ut manifestarentur opera Dei in illo*, ut videlicet per miraculum quod mox patraturus erat, agnoscerent Judaei se esse Messiam in lege promissum. Hinc S. P. Augustinus lib. 3. cont. Julian. cap. 6. inquit: *Neque enim de innumerabilibus parvulis, qui et in animo et in corpore cum tanta vitiorum varietate nascuntur, hoc dici potest, quod Dominus ait de illo qui caecus natus est, non propter peccatum ipsius, vel parentum id esse factum, sed ut manifestarentur opera Dei in illo. Multi quippe nec sanantur omnino, sed cum eisdem vitiis, sive qualibet aetate, sive in ipsa moriuntur infantia.*

Obj. 2. Si originale peccatum ex parentibus per generationem transfunderetur in posteros, sequeretur nuptias esse damnandas nec a Deo fuisse institutas, quod est absurdissimum. II. Et revera, *Necesse est malum esse, per quod et ex quo malus fructus apparuit, dicente Domino in Evangelio, Ex fructibus suis arbor agnoscitur ... Constat igitur rea esse conjugia, si peccatum inde originale deducitur*. Ita Julianus apud Augustinum lib. 2. De nupt. et conc. cap. 26. III. Diabolus saltem foret dimidiae hominis partis conditor, quod Paterniani ac Venustiani veteres quidam haeretici affirmabant, delirantes hominem a lumbis ad pedes fuisse a diabolo conditum. IV. Quod si non, Deus erit auctor peccati, non parentes; hi quippe auctores sunt corporis filii, non animae quae a Deo

immediate creatur et corpori infunditur. Originale autem peccatum, non in corpore quod est a parentibus, sed in anima quae est a Deo residet; quoniam peccatum cujusvis illud sit speciei, est in voluntate. V. Et revera quod ab origine alicui convenit enti, nonne adscribi illius caussae debet? Peccatum vero de quo disputamus, ab origine convenit animae: atque idcirco Deo qui est animae caussa debet attribui. VI. Etiam ex alio capite Catholici Deum faciunt auctorem peccati. Nam Deus omniscius novit utique animam quam a nihilo educit, si illam inserit corpori, evasuram per originariam culpam servam diaboli; et creat nihilominus et in corpus includit. Sciens itaque et volens facit ut anima contrahat peccatum. VII. Hinc multi inter Catholicos appellare non dubitant originale peccatum cuilibet naturale: Ast natura est a Deo; Volunt ergo a Deo esse etiam peccatum.

Resp. ad 1. Nuptiae essent revera damnandae si institutae per se essent ad producendum peccatum: Ast institutae sunt nuptiae ad generationem qua humani generis fit propagatio. Sequitur inde ex nuptiarum usu originale peccatum; sed dumtaxat per accidens: quod idem valet ac si dicatur nuptias non caussam, sed occasionem esse cur proles scelere nascatur commaculata. Nam si Adam non peccasset, nullo modo ex nuptiis sequutum fuisset peccatum. Verum juvat audire Augustinum ita argumentum istud solventem in lib. 2. De nupt. et conc. cap. 26. *Nuptiae institutae sunt caussa generandi, non peccandi: propter quod illa est a Domino benedictio nuptiarum, Crescite, et multiplicamini, et replete terram. Peccatum autem quod inde a nascentibus trahitur, non ad nuptias pertinet, sed ad malum quod accidit hominibus, quorum conjunctione sunt nuptiae ... Non igitur ab earum institutione, quae benedicta est, ad eas venit: sed ab eo quod ex uno homine peccatum intravit in mundum.*

Ad 2. Respondet idem S. P. ibid. *Quid est ergo, quod ait,* Ex fructibus suis arbor cognoscitur, *quia hoc in Evangelio dixisse Dominum legimus? Numquid inde Dominus loquebatur, et non potius de duabus voluntatibus hominum, bona scilicet et mala, istam bonam, illam malam arborem dicens; quia de bona voluntate opera bona nascuntur, et mala de mala, nec possunt bona de mala, et mala de bona? Quod si nuptias tamquam arborem bonam, secundum istam quam commemoravit evangelicam similitudinem posuerimus: profecto e contrario fornicationem posituri sumus arborem malam. Quamobrem si homo ita dicitur fructus nuptiarum, tamquam bonus ex arbore bona, procul dubio nasci homo de fornicatione non debuit. Mala quippe arbor bonos fructus non facit. Porro si dixerit, non illic arboris loco ponendum esse adulterium, sed naturam potius humanam, de qua nascitur homo: ita etiam hic non erit arbor connubium, sed natura humana, de qua nascitur homo.*

Ad 3. Suppedito responsionem Augustini lib. 5. cont. Julian. cap. 7. *Quod ego in libro meo posui ... longe distat ab istis Paternianis seu Venustianis. Ego enim secundum catholicam fidem, totum hominem, totam scilicet animam totumque corpus ejus Deo summo et vero tribuo*

creatori : diabolum autem dico humanam vel aliquid ejus non creasse, sed vitiasse naturam ... Quod si parum est, ecce damno et anathematizo ea quae Paternianos seu Venustianos sentire dixisti; *addo etiam Manichaeos : utrosque cum ceteris haereticis execror, damno, anathematizo, detestor*. Deus itaque integram humanam creavit naturam; homo autem a diabolo deceptus per liberum suum arbitrium peccavit et seipsum infecit omnesque posteros.

Ad 4. Originaria labes absit ut resideat in anima prout haec a Deo creatur : *Vidit enim Deus cuncta, quae fecerat, et erant valde bona*. Et *nihil odit Deus eorum, quae fecit*. Sed statim ac e nihilo educta a Deo, ob naturalem sibi sancitam legem ut anima creetur ad regendum corpus, in corpus sibi proprium imittitur eique naturali nexu unitur, quae sine macula erat originaria culpa contaminatur. Quomodo autem id eveniat, inferius exponemus ubi de modo quo ab homine originale contrahitur peccatum pertractabimus.

Ad 5. Peccatum de quo modo loquimur, dici potest ab origine convenire animae; sed ab origine unionis suae corpori, non ab origine suae creationis. Etsi enim anima humana uno temporis puncto a Deo creetur et infundatur corpori, distinguendum est nihilominus inter creationem animae illiusque cum corpore conjunctionem. Diversi quippe sunt, per nostrum concipiendi modum, divinae voluntatis actus. Contrahit anima peccatum non quando a Deo ex nihilo educitur, sed quando corpori unitur : sicque caussa proxima peccati erit ipsa conjunctio cum corpore, non ipsius creatio ex nihilo.

Ad 6. Quamvis Deus sapientissimus sciat animam a se creatam evasuram per peccatum diaboli mancipium, non tamen proinde ab ea producenda temperare debet; quoniam prius per nostrum concipiendi modum decrevit condere ex nihilo animas quoties corpora disposita per generationem forent, postea praevidit Adami peccatum. Quum autem Deus immutabilis sit, *Praevaricatio hominum, dispositae a saeculis creationis ordinem turbare non potuit*, ut optime observat Prosper ad 4. Obj. Vincentian.

Ad. 7. Quando Catholici originale peccatum appellant naturale, indicare volunt nasci illud cum pueris; non naturale quasi ad naturam ex sui institutione pertineat.

Obj. 3. cum Juliano apud Augustinum lib. 2. De nupt. et conc. cap. 28. Non peccat iste qui nascitur, non peccat ille qui genuit, non peccat iste qui condidit. Non peccat iste qui nascitur, quoniam usum rationis non habet. Non peccat ille qui genuit, alioquin nuptiae forent damnandae. Non peccat ille qui condidit, quum Deus sanctitas sit per essentiam. Per quas rimas ergo inter tot praesidia innocentiae fingitur ingressus peccati? II. Si dicatur per concupiscentiam, falsum. Nam parentes etiamsi concupiscentiam habeant; si tamen sunt baptizati peccatum non habent. Quomodo ergo possunt illud per concupiscentiam in filios transmittere? III. Praeterea peccatum non ad concupiscentiam pertinet, sed ad voluntatem; non enim est peccatum nisi sit voluntarium. Ast in parvulis peccatum originale liberum non est, quum non sit liberum eis ab illo abstinere. IV.

Neque dicat quis peccasse parvulos in voluntate primi Parentis. Nam voluntas qua Adam peccavit ipsi erat intrinseca, ac proinde posteri ejus ea voluntate peccare non potuerunt; alioquin imputaretur eis alienum peccatum, quod repugnat. V. Praesertim cum peccatum juxta Augustinum sit voluntas retinendi vel consequendi quod justitia vetat et unde liberum est abstinere; potest ne definitio haec peccato aptari originali? Unde in forma: Non est veri nominis peccatum actio a qua liberum non est abstinere: Parvuli liberi non sunt ut ab originali peccato abstineant; Evanescit itaque originale peccatum. VI. Si Catholici dicant liberum fuisse Adam ut ab ea actione abstineret, jam injustum Deum faciunt atque crudelem quasi tot damnet homines qui nihil sunt operati. VII. Et re quidem vera quoniam Deus justus est, malos non damnavit Angelos, nisi quia quisque propria voluntate deliquerat. VIII. Quod si justitia Christi nonnisi credentibus prodest, cur Adae peccatum iis nocere debet qui Adam peccantem propria voluntate imitati non sunt?

Resp. ad 1. cum Augustino: *Quid quaeris latentem rimam cum habeas apertissimam januam? Per unum hominem ait Apostolus; per unius delictum ait Apostolus; per inobedientiam unius hominis ait Apostolus. Quid quaeris amplius? quid quaeris apertius? quid quaeris inculcatius?* Et lib. 3. cont. Julian. cap. 24. Rimam *quaeris* inter tot innocentiae praesidia qua potuerit intrare peccatum: *cum tibi ostendat Apostolus Paulus, non rimam, sed apertissimam januam, dicens, Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines pertransiit?* Addo ex eodem S. Doctore peccare illum qui nascitur; et en quomodo: Peccavit Adam., atque in patrati sceleris poenam contraxit concupiscentiam per quam posteros suos genuit: seminalis autem concupiscentia quae in singulis usque ad agonem remanet, est veluti rheda et vehiculum originalis peccati. De qua re fuse in sequentibus.

Ad 2. Ob eamdem concupiscentiam quae in parentibus etiam baptizatis persistit, filii culpam contrahunt originariam. Nam eam concupiscentiam parentes trajiciunt in filios: quae donec a reatu per Baptisma solvatur, semper peccatum est.

Ad. 3. Ut actio sit peccatum necesse non est ut semper voluntaria sit *actualiter*, sed aliquando peccatum est etiamsi voluntaria sit *originaliter*, sicut accidit in parvulis. *Frustra itaque putas*, ait Augustinus hoc argumentum lib. 3. cont. Julian. cap. 5. solvens, ideo in parvulis non esse delictum, quia sine voluntate, quae in eis nulla est, esse non potest. *Hoc enim recte dicitur propter proprium cujusque peccatum, non propter primi peccati originale contagium: quod si nullum esset, profecto nulli malo parvuli obstricti, nihil mali vel in corpore, vel in anima, sub tanta justi Dei potestate paterentur. Quod tamen et ipsum a mala voluntate primorum hominum sumpsit exordium. Ita nisi voluntas mala, non est cujusquam nulla origo peccati.* Et lib. 2. Op. imp. cap. 3. *Potest autem et hoc recte dici de eodem genere esse, si ad originem re-*

feratur; quia et ipsum ex primi hominis voluntate manavit, quando illius peccatum intravit in mundum, et per omnes homines pertransiit. Et lib. 4. cap. 90. *Quia ad hoc peccati genus ex libera voluntate proventum est, non ejus propria qui nascitur, sed ejus in quo omnes originaliter fuerunt, quando communem naturam mala voluntate vitiavit.*

Ad 4. Prosequitur adhuc Juliani argutiunculas refutare Augustinus; et lib. 6. cont. ips. cap. 10. scribit: *Quod autem dicis*, Alienis peccatis alterum obnoxium non teneri: *interest quatenus recte possit intelligi ... Parentum autem peccata modo quodam dicuntur aliena, et rursus modo quodam reperiuntur et nostra: aliena quippe proprietate sunt actionis, nostra sunt autem contagione propaginis. Quod si falsum esset, profecto grave jugum super filios Adam, a die exitus de ventre matris eorum, nullo modo justum esset.*

Ad 5. respondet Augustinus cujus est definitio in argumento laudata, lib. 1. Op. imp. cap. 44. *Hic peccatum definitum est quod tantummodo peccatum est, non quod etiam poena peccati. De hoc quippe agendum fuit, quando mali origo quaerebatur: quale commissum est a primo homine ante omne hominis malum.* Et cap. 47. *Ipse est Adam*, inquit, *quem nostra illa definitio, quae tibi placuit, intuebatur*. Cap. denique 48. *Non est magnum, quod vides non habere parvulos propriam voluntatem ad eligendum bonum, vel malum. Illud vellem videres, quod vidit qui scribens ad Hebraeos dixit, filium Israel Levi in lumbis Abraham patris sui fuisse, quando est ille decimatus, et ideo etiam istum in illo fuisse decimatum. Ad hoc si haberes oculum Christianum, fide cerneres, si intelligentia non valeres, in lumbis Adam fuisse omnes qui ex illo fuerant per concupiscentiam carnis orituri; quam, post peccatum, quo illi sua nuditas nuntiata est, sensit, adspexit, erubuit, operuit. Unde Ambrosius doctor meus, tui quoque doctoris excellenter ore laudatus ... merito ... dicit ... Fuit Adam, et in illo fuimus omnes; periit Adam, et in illo omnes perierunt.* Quare ad argumentum in forma breviter dico, peccatum nostrum originale fuisse utique liberum in Adamo qui poterat observare vel transgredi sua voluntate legem. Illam tamen elegit infringere; sicque veri nominis patravit peccatum. Nostrae autem voluntates in voluntate Adami, qui caput humanae naturae fuit, continebantur; unde originale quoque peccatum actio est a quo liberum erat abstinere. *Per unius illius voluntatem malam omnes in eo peccaverunt, quando omnes ille unus fuerunt, de quo propterea singuli peccatum originale traxerunt.* Verba sunt S. Patris in 2. De nupt. et conc. cap. 5.

Ad 6. Neque proinde injustum et crudelem Deum facimus; imo Pelagiani potius non satis accuratam de Deo ideam habent docentes Deum creaturis innocentibus grave imponere jugum a die exitus illorum de ventre matris usque ad mortem, et tot innocentes imagines suas excludere post mortem a regno coelorum. *Sed si, quod vis*, (miseria parvulorum) *parva sit poena; et ipsa parva magna est, si nulla culpa est. Hic defende justitiam Dei. Quare vel parva poena infligitur innocenti, in quo*

nullum invenitur omnino peccatum? scribit Augustinus serm. 294. de Bapt. parvulor. alias 14. de verb. Apost. cap. 6. Verum falsum est penitus parvulos nihil operatos fuisse originaliter. Peccatum enim originale est aliquo sensu alienum, quatenus scilicet actualiter peccavit Adam: sed est cujusque hominis proprium, quoniam per seminalem generationem contrahitur. *Peccatis, inquis, alienis*, ita S. Pater lib. 1. Op. imp. cont. Julian. cap. 48. *non utique perire debuerunt. Aliena sunt, sed paterna sunt: ac per hoc jure seminationis atque germinationis et nostra sunt.* Istam quaestionem profundam sentit Augustinus serm. supra citato, et ad ejus fundum rimandum vires suas non esse idoneas fatetur. Quapropter prorumpit in haec verba, *Libet me et hic exclamare quod Paulus*, O altitudo divitiarum! *Parvulus non baptizatus pergit in damnationem: (Apostoli enim verba sunt*, Ex uno in condemnationem:) *non satis invenio dignam caussam, quia non invenio, non quia non est ... Ego prorsus exclamo* etc.

Ad 7. Nulla est Angelos inter et homines instituta comparatio. Non sunt Angeli per generationem quemadmodum homines unus ex alio progeniti.

Ad 8. Augustini verbis quae in lib. 3. cap. 2. occurrunt retorqueo argumentum. *Sicut ergo eorum, per quos parvuli renascuntur, justitiae spiritus trajicit in eos fidem, quam voluntate propria nondum habere potuerunt; sic eorum, per quos nascuntur, caro peccati trajicit in eos noxam, quam nondum vita propria contraxerunt. Et sicut eos vitae spiritus in Christo regenerat fideles; sic eos corpus mortis in Adam genuerat peccatores.* Sed de originalis existentia peccati satis diximus. Pauca nunc addamus de illius essentia.

CAPUT V.

In quo consistat originalis peccati natura.

Quinque circa naturam originalis peccati praecipuae sunt hominum sententiae quarum duae ab haereticis propugnantur, reliquae a Catholicis. I. est Matthaei illyrici Centuriarum magdeburgensium compilatoris, qui affirmare non dubitavit originale peccatum malam quamdam esse substantiam; ita ut eo accedente peccato homo fuerit substantialiter mutatus. II. est reliquorum Protestantium naturam originalis peccati constituentium in concupiscentia per se sumpta, existimantes concupiscentiam non modo malum esse poenae, sed et culpae, etiam post sacramentum Baptismi per quod reatus concupiscentiae conjunctus tegitur dumtaxat et cooperitur, non tollitur vel eradicatur: atque ita originaria culpa, juxta illorum sententiam, semper in anima remanet quamvis non semper imputetur. III. est Alberti Pighii et Ambrosii Catharini qui arbitrantur originale peccatum esse ipsum personale Adami delictum posteris ejus imputatum; eo ferme pacto quo Princeps imputat filiis patris rebellionem. IV. est illorum qui statuunt hu-

jus delicti naturam in sola originalis justitiae privatione. V. defenditur a Gregorio ariminensi docente materiale originalis peccati esse concupiscentiam, formale vero esse ejusdem concupiscentiae reatum, inter concupiscentiam ejusque maculam seu reatum sedulo diligenterque distinguendo: quo sensu peccatum istud definit, *Vitium ex morbida qualitate contractum*. Nos huic Gregorii subscribimus sententiae. Interim sit adversus haereticos

CONCLUSIO I.

Peccatum originale non est mala quaedam substantia, nec sola habitualis concupiscentia in sensu Novatorum.

Prob. 1. thes. pars. I. ex Scripturis. Johan. cap. 1. v. 3. legitur: *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil*. Quae verba significant omnem substantiam esse tamquam a caussa efficiente a Deo: A Deo tamen non est, ipso fatente Illyrico, originale peccatum: Quis dixerit ergo illud esse substantiam? II. Renovat Illyricus Manichaeorum blasphemiam qua mordicus propugnabant malum esse substantiam. Vide quae ex Augustino diximus harum Inst. tom. 2. ubi Manichaeorum portenta refutavimus. III. Ideo arbitratur Illyricus originale peccatum malam esse substantiam, quoniam inscite putat animam hominis legem infringendo fuisse mutatam; et ubi antea erat imago Dei, evasisse post culpam substantialem imaginem daemonis. Ast substantialis isthaec mutatio nonne insanae mentis figmentum est? Anima quippe substantia est spiritualis quae corrumpi essentialiter nequit, quamvis actum voluntatis et intellectus admittere possit mutationem quae, ut per se patet, accidentalis est. IV. Sibi aperte contradicit; sin minus non satis apte mentem aperit suam Illyricus. Nam iu tract. addito disputationi quam cum Victorino Strigetio habuit, ita scribit: *Quamvis autem homo peccato corruptus ejusdem speciei sit physice cujus erat ante corruptionem; tamen secundum optimam partem suae essentiae, ut theologice consideratur, corruptus et mortuus est, sicut corpus senile, tametsi ejusdem speciei cum juvenili*. Homo ergo post peccatum physice idem manet; theologice autem mutatus est. Ast theologica mutatio accidentalis tantum est hominem in sua specie relinquens, non substantialis.

Prob. altera pars. Si originale peccatum in sola consisteret habituali concupiscentia in sensu Protestantium, sequeretur per Baptisma illud nullo modo deleri, sed tegi dumtaxat aut non imputari. Et revera Novatores ex hoc monstruoso principio deducunt Baptismi virtutem comparate ad peccatum in eo tantum consistere ut tegatur et non imputetur. Ast hoc, ut cetera missa faciam, est contra apertissimam mentem Apostoli qui in ep. ad Rom. cap. 8. v. 1. inquit: *Nihil ergo nunc damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu*. Et cap. 5. v. 19. jam dixerat: *Sicut enim per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi, ita et per unius obedientiam justi constituuntur multi*. II. Heterodoxorum sententia refutatur

quoque auctoritate et ratione S. Augustini qui in lib. 1. De nupt. et conc. cap. 23. ita loquitur : *Ipsa concupiscentia jam non est peccatum in regeneratis , quando illi ad illicita opera non consentitur , atque ut ea perpetrent , a regina mente membra non dantur : ut si non fit quod scriptum est* , Non concupiscas ? *fiat saltem quod alibi legitur,* Post concupiscentias tuas non eas : *Sed quia modo quodam loquendi peccatum vocatur , quod et peccato facta est , et peccatum si vicerit facit ; reatus ejus valet in generato : quem reatum Christi gratia per remissionem omnium peccatorum in regenerato , si ad mala opera ei quodam modo jubenti non obediat , valere non sinit . Sic autem vocatur peccatum , quia peccato facta est , cum jam in regeneratis non sit ipsa peccatum* . III. Et ex absurdis quae in Novatorum sententia sequuntur . 1. Si originalis culpae natura in ipsa habituali concupiscentia consistat , quum haec in renatis persistat usque ad agonem , remaneret in illis etiam peccatum . 2. Sequeretur item omnia recte facta baptizatorum ab ipsa concupiscentia infici ac commaculari , si haec peccatum sit originale . 3. Et Christi justitia animam non renovaret, sed ei dumtaxat imputaretur . Quae absurda nihilominus absque ulla haesitatione deglutiunt Protestantes . Hisce nihilominus momentis Tridentini Patres commoti merito hanc edidere sess. 5. definitionem : *Si quis per Domini nostri J. C. gratiam , quae in baptismate confertur , reatum originalis peccati remitti negat , aut etiam asserit , non tolli totum id quod veram , et propriam peccati rationem habet ; sed illud dicit tantum radi , aut non imputari , anathema sit : in renatis enim nihil odit Deus , quia nihil est damnationis iis , qui vere consepulti sunt cum Christo per baptisma in mortem* . Et paullo infra : *Hanc concupiscentiam , quam aliquando Apostolus peccatum appellat , S. Synodus declarat Ecclesiam Catholicam numquam intellexisse peccatum appellari , quod vere et proprie renatis peccatum sit , sed quia ex peccato est , et ad peccatum inclinat* .

CONCLUSIO II.

Originale peccatum non est ipsum in individuo Adami delictum ; neque illius natura in sola consistit originalis justitiae privatione seu carentia in sensu nonnullorum Recentiorum.

Prob. prior pars. I. ex Arauxicano II. concilio , ubi can. 2. sic legitur : *Si quis soli Adae praevaricationem suam , non et ejus propagini asserit nocuisse ; aut certe mortem tantum corporis , quae poena peccati est , non autem et peccatum , quod mors est animae , per unum hominem in omne genus humanum transisse testatur , injustitiam Deo dabit , contradicens Apostolo dicenti , Per unum hominem peccatum intravit in mundum* etc. Non poena itaque dumtaxat juxta Concilium , sed et originalis culpa in omnes et singulos homines pervasit . Personale vero Adami delictum ad omnes et singulos homines quum fuerit propria illius inobe-

dientia non transiit. II. Etiam Tridentinum concilium sess. 5. can. 3. hanc tradit doctrinam definiens originale peccatum esse unicuique proprium: *Peccatum, quod origine unum est, et propagatione, non imitatione transfusum omnibus inest, unicuique proprium*. Ast ipsum Adami personale delictum unicuique dici non potest proprium, unde Pighius in Contr. de pecc. orig. inquit: *Relinquitur ergo unicum esse illud peccatum, ipsius nempe originis nostrae, hoc est Adae, quod sonat vocabulum, et non suum uniuscujusque proprium*. III. Juxta Catharinum et Pighium peccatum originale ita est ipsum in individuo Adami delictum, ut in posteris ejus nonnisi per externam quamdam reperiatur imputationem: Verum hoc falsissimum est, primo quoniam externa illa imputatio peccati dumtaxat poenas non culpam et reatum importat; neque enim culpa quae est voluntatis actus immanens, per extrinsecam denominationem potest in filios transfundi. Deinde, quoniam justitia Christi quae puero in Baptismo confertur, ex anima reatum expellit et omne id quod vere ac proprie rationem habet peccati. Unde quod erat in anima antequam Christi superveniret justitia, non erat aliquid extrinsece imputatum, sed aliquod animae ipsi inhaerens.

Prob. pars altera thes. Privatio originalis justitiae quum sit effectus ac poena peccati originalis, illud profecto supponit, non illius constituit naturam. Et quod originalis justitiae privatio sit effectus ac poena peccati in dubium verti non potest. Nam 1. id apertissime tradunt duo Scholarum lumina S. Thomas et Gregorius ariminensis quorum primus Q. 85. art. 5. ita scribit: *Subtractio originalis justitiae habet rationem poenae, sicut etiam subtractio gratiae*. Alter vero Dist. 11. Q. 2. a. 1. *Originalis justitiae carentiam non dico esse originale peccatum, sed potius effectum originalis peccati; quemadmodum privatio gratiae effectus est actualis peccati mortalis, idest, quemadmodum propter mortale peccatum privatur homo gratia: ita propter originale peccatum non infundit Deus animae originalem justitiam*. 2. Quoniam ideo Deus originali justitia privavit Adamum, quia per inobedientiam divinum transgrediendo mandatum peccavit. 3. Quoniam etiam in humanis subtractio favoris supponit injuriam illatam ei qui favorem contulerat. Quare privatio originalis justitiae quum sit originariae culpae effectus, illam supponit, non in suo esse constituit. II. In quovis peccato, juxta omnium sententiam, sua veluti materia seu substratum et forma, hoc est, malitia quae substrato illi, ut ita dicam, innititur debet inveniri. Sic v. g. in peccato actuali actus humanus est peccati materia, defectus autem debitae rectitudinis est ejusdem peccati formale. Porro si originalis peccati natura in sola consistat originalis justitiae carentia, ubi erit illius materia? Habebitur ad summum illius peccati *formale*, non vero *materiale*; neque enim ex parte hominis substratum, ut ita dicam, habebitur cui originalis justitiae privatio innitatur; praesertim cum ea privatio se teneat ex parte Dei qui homini originalem justitiam subtraxit. III. Si originalis peccati natura in sola consisteret originalis justitiae privatione, peccatum originale mera esset supernaturalium

donorum expoliatio; plerique enim Theologorum quos patimur adversarios, originalis justitiae nomine intelligunt integritatem illam naturae supernaturalem ex qua tamquam ex fonte, et in Adam et in posteros ejus, si Adam non peccasset, profluxisset posse non mori, dominium in proprium appetitum, mentis illustratio, gratia sanctificans ac reliqua bona primo homini in sua conditione a Deo collata. Ast vero originale peccatum non consistit in mera supernaturalium expoliatione donorum, sed dicit praeterea maculam quamdam hominis animae inhaerentem. Hinc justificatio quam per Baptismum accipit generatus, illum de novo generat peccati vetustatem ab anima auferendo illumque novum efficiendo hominem per habitualem charitatem quae non imputatur, sed ipsi animae inhaeret.

CONCLUSIO III.

Peccatum ergo originale quoad materiam, *est concupiscentia, quoad* formam *vero peccati est ejusdem concupiscentiae reatus.*

Prob. 2. S. P. Augustinus tamquam exploratissimam hanc nostram tradit thesim, quod manifestum fit multa illius in medium afferendo loca a nostro Ariminensi primitus in unum collecta. Lib. 2. De peccat. mer. cap. 4. ita loquitur: *Concupiscentia igitur tamquam lex peccati manens in membris corporis mortis hujus, cum parvulis nascitur, in parvulis baptizatis a reatu solvitur, ad agonem relinquitur, ante agonem mortuos nulla damnatione persequitur: parvulos non baptizatos reos innectit, et tamquam irae filios, etiamsi parvuli moriantur, ad condemnationem trahit.* Lib. 1. De nupt. et conc. cap. 23. *Haec concupiscentia quae solo Sacramento regenerationis trajicit in posteros, nisi ab illo et ipsi regeneratione solvantur.* Et cap. 25. ejusd. libri: *Ad haec*, inquit, *respondetur, dimitti concupiscentiam carnis in Baptismo, non ut non sit, sed ut in peccatum non imputetur. Quamvis autem reatu suo jam soluto, manet tamen, donec sanetur omnis infirmitas nostra* etc. Lib. 2. cont. Julian. cap. 10. *Non est hoc malum nuptiarum, sed primorum hominum peccatum, in posteros propagatione trajectum.* Et ne infinitus sim singula exscribendo, lib. 5. adv. eumd. saepe de concupiscentia repetit, *Manet actu, praeterit reatu.* Et in 1. Retract. cap. 15. scribit: *Concupiscentiae reatus in Baptismate solvitur, sed infirmitas manet.* Augustinus itaque dissertissime affirmat concupiscentiam legem esse peccati manentem in corpore, illam ante Baptismum adnexam habere culpam, post Baptismum a culpae reatu solutam manere; expiari quidem per Sacramentum, sed remanere in renatis usque ad agonem; ac denique per illam peccatum trajici in posteros. Sane qui haec affirmat et docet nonne fatetur originalis peccati materiam esse concupiscentiam, formam vero illius reatum? Proculdubio, praesertim si animadvertamus originale esse de genere habitualium.

Prob. 2. auctoritate S. Thomae qui 1. 2. q. 82. a. 3. ita loquitur:

Privatio originalis justitiae per quam voluntas subdebatur Deo, est formale in peccato originali: omnis autem alia inordinatio virium animae se habet in peccato originali sicut quiddam materiale. Inordinatio autem virium animae in hoc praecipue attenditur, quod inordinate convertuntur ad bonum commutabile: quae quidem inordinatio communi nomine appellatur concupiscentia. Et ita peccatum originale materialiter quidem est concupiscentia, formaliter vero est defectus originalis justitiae. Et ne quis opponat S. Thomam interim constituere originalis culpae naturam, saltem *formaliter*, in privatione originalis justitiae; animadverto per defectum originalis justitiae S. Doctorem non intelligere meram supernaturalium expoliationem donorum, sed maculam quamdam animae inhaerentem. Nam ante allatam sententiam haec ille praemiserat: *Oppositorum oppositae sunt caussae; est igitur attendenda caussa originalis peccati ex caussa originalis justitiae quae ei opponitur; tota autem ordinatio originalis justitiae ex hoc est, quod voluntas hominis erat Deo subjecta: quae quidem subjectio primo et principaliter erat per voluntatem, cujus est movere omnes alias partes in finem, ut supra dictum est. Unde ex aversione voluntatis a Deo consecuta est inordinatio in omnibus aliis animae viribus. Sic ergo privatio originalis justitiae*, etc. Ex quibus apparet peccati formale juxta S. Thomam esse primo ac principaliter in voluntate per quod homo sese a Deo avertens expoliari meruit omnibus supernaturalibus bonis.

Prob. 3. Peccatum originale quum natura sua sit habituale, habere debet permanentem materiam etiamsi forma seu reatus transeat: in hoc quippe actuale ab habituali discrepat, quod in illo actus seu materia transit, licet reatus permaneat; in hoc autem etiam remota macula, materia, hoc est prava quaedam affectio et ad pravos actus inclinatio remaneat. Ast nisi essentiam ejus statuamus in concupiscentia tamquam in materia, et in reatu tamquam in forma, habitualis peccati ratio non salvatur; bene vero si id faciamus salvatur. Nam etiamsi per Baptisma solvatur reatus ab anima, remanet tamen usque ad agonem prava affectuum inordinatio quae hominem ad malos actus continuo allicit. Hinc S. Bonaventura 2. sent. dist. 30. art. 2. inquit: *Dum quaeritur quid sit originale peccatum, recte respondetur quod sit concupiscentia immoderata: recte etiam respondetur quod sit debitae justitiae carentia; et in una istarum responsionum clauditur alia, licet una notificet ipsum habituale peccatum ratione ejus quod est in ipso habens modum conversionis, altera vero rationem privationis. Concedendum est igitur sicut rationes ostendunt et Magister dicit in littera, quod originale peccatum est concupiscentia, et haec non quaecumque, sed concupiscentia prout claudit in se debitae justitiae carentiam.*

SCHOLION.

Gregorius ariminensis in 2. sent. D. 30. art. 2. postquam pluribus demonstravit originalis peccati naturam consistere in concupiscentia cum

reatu, tandem concludit concupiscentiam esse *vitium causatum in anima ex vitio carnis, seu quadam morbida qualitate*. Nonnulli Recentiores acriter hac de re Gregorium redarguunt, sed immerito. Nam S. P. Augustinus ab eodem Gregorio citatus lib. 1. De nupt. et conc. cap. 25. scribit: *Non enim* (ista concupiscentia) *substantialiter manet, sicut aliquod corpus aut spiritus; sed affectio est quaedam malae qualitatis sicut languor*. Tum lib. 6. cont. Julian. cap. 18. pluribus disputatis circa affectiones et affectionales qualitates quae Julianus invexerat, iisque facilioribus exemplis illustratis tandem concludit: *Cum itaque dixeris*, affectionalem qualitatem ortam ex majoribus caussis, atque ita inhaerescere, ut aut magnis molitionibus, aut nullis separetur: *quando secundum eam dicitur animus malus, vel potius homo malus; nonne metuis ne voluntas bona aut non ibi esse possit, aut valere nihil possit? Nonne concedis, hominem miserum, quicumque ille sit vel fuerit, certe adversus talem clamasse qualitatem, Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio?* Et paullo infra ait eam qualitatem de parentibus in filios migrare non in substantialem de substantia tamquam de loco in locum, sed, *quodam operante contagio, quod etiam de morbidis parentum corporibus solet evenire nascentibus*. Et in lib. 11. de Gen. ad litt. cap. 32. ait: *Corpus eorum* (Protoparentum) *duxit morbidam et mortiferam qualitatem*. Plena sunt hisce phrasibus S. Doctoris scripta adversus Pelagianos.

Inquirit subinde Gregorius a quo fuerit morbida illa qualitas caussata et primo cujusdam sui temporis doctoris refellit sententiam autumantis fuisse illam in fructu vetito, auctoritate fretus magni Augustini qui in 4. cont. Julian. cap. 13. inquit: *Non in fructu ligni fuit libido, et ideo bonum erat lignum; sed mala est inobedientia libidinis, quae adversus hominis inobedientiam quam in ligno admisit, Deo deserente surrexit. Absit enim ut Deus de ligno bono cuicumque aetati illorum hominum quocumque tempore beneficium tale conferret, ut haberent in membris adversariam contra quam pudicitia dimicaret*. Ac tandem concludit vitiosam illam qualitatem immissam in Protoparentum carnem fuisse, *Flatu ac sibilo illius venenosi serpentis, in quo diabolus illos tentavit*. Quam responsionem falsam esse per se quisque videt. Sed excusatione dignus videtur insignis ille Theologus: tum quia Veterum sequens philosophias arbitrabatur cum reliquis qualitates esse quasdam entitates: tum etiam quia eadem illa ab ipso tradita sententia legitur lib. 4. Hypognosticon ab eo laudato, cujus auctor illa aetate communiter credebatur Augustinus.

CAPUT VI.

Refutantur oppositiones tum Haereticorum tum Scholasticorum contra superius statuta.

Obj. I. adv. 1. prop. Ubi sacra Scriptura de homine loquitur obnoxio peccato, vocabulis fere semper utitur substantiam significantibus. Pu-

ta, appellat originale peccatum, *semen serpentis;* aliquando, *cor induratum;* non raro, *cor lapideum;* quandoque, *hominem terrenum;* et saepe, *veterem hominem*. Peccatum autem nequit esse substantia bona: adeoque est substantia mala. II. Ne autem laudata Scripturae loca in sensu interpretemur metaphorico vetat Apostolus, qui in ep. ad Rom. cap. 6. v. 6. inquit: *Hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati*. Quid clarius? III. Praeterea nonne homo peccando ex imagine Dei fit imago diaboli? Affirmat hoc Augustinus: *Homo peccando diabolo similis factus est*. Ast sicut imago Dei quam homo peccando amittit est substantia, ita imago quam induit diaboli substantia est. IV. Et revera, homo per peccatum substantialem amittit imaginem Dei, et diaboli acquirit substantialem imaginem. Nam Filius est imago Patris: Homo peccando desinit esse filius Dei et evadit filius diaboli, dicente Christo Johan. cap. 8. v. 44. peccatoribus, *Vos ex patre diabolo estis*. Quare incipit esse per peccatum substantialis imago diaboli. V. Numquid nequit diabolus malis artibus suis hominis ita permutare naturam ut haec ex bona mala fiat? *Si potest homo variis artibus, sicut plerumque videmus, substantiam unam in aliam transmutare, ut ex lacte fiat caseus, et ex luto lateres, et ex aliis alia; multo magis id poterit daemon*.

Resp. ad 1. Quum in S. Scriptura de quovis peccato characteres enuncientur denotantes substantiam, si argumentum consisteret, non originale modo, sed et actuale peccatum mala esset substantia: quod est nimis probare, adeoque nihil. Dico itaque voces illas in sacris litteris ad denotandum peccatum usurpatas significantes substantiam, metaphorice plane, non litteraliter esse intelligendas. 1. Quoniam ubicumque Scriptura de homine justificato loquens voces adhibet substantiam denotantes, ut *homo novus*, *homo caelestis* etc. sumuntur ea vocabula metaphorice utique, non litteraliter. Quapropter ubi e contra usurpantur consimiles voces de homine peccatore, non litteraliter, sed metaphorice sunt accipiendae. 2. Loquutiones ipsae satis per se indicant non esse sumendas litteraliter. Neque enim dum homo peccat, evadit revera semen serpentis, aut cor ejus commutatur in lapidem etc. Sensus ergo ejusmodi phrasium est, hominem peccando adeo malitiose se gerere ac si esset a daemone genitus; adeo obfirmate divinae gratiae resistere ac si cor ejus induratum esset atque lapideum, et ita porro de reliquis similibus loquendi formulis.

Ad 2. Etiam in Pauli sententia vox, *corpus*, metaphorice non litteraliter sumenda est; alioquin non solum peccatum esset substantia, sed praeterea esset substantia corporea una cum Christo Cruci affixa. Corpus ergo peccati est peccatorum congeries et massa, quae gratia quam nobis promeruit Christus per Crucem, destruitur atque deletur: unde ait Tertullianus. De resur. carn. cap. 47. *Evacuatur corpus delinquentiae per emendationem vitae, non per interitum substantiae*.

Ad 3. Homo per peccatum non amittit imaginem Dei quoad essentiam, alioquin intelligendi volendique facultatem in quo divinae imaginis natura consistit, per peccatum amitteret: sed imaginis Dei jacturam

facit quoad superadditos characteres, videlicet quoad dona supernaturalia. Unde Cyrillus alexandrinus in cap. 1. Evang. Johan. inquit: *Simul enim et vitam creaturae spiritus indidit, et suos characteres divinitus impressit. Adulterata est illa similitudo Dei concursu peccati, nec jam characteres erant amplius clari et splendidi, sed subobscuri et tenebris involuti*. Hinc imago diaboli quam homo per peccatum acquirit, nequit esse substantia aliqua, quum imago illa in voluntatis consistat inordinatione, hoc est, in aversione a Deo et conversione ad creaturas, quae accidentalia sunt.

Ad 4. Homo per peccatum desinit esse filius Dei per adoptionem ac filius evadit diaboli vel secundum imitationem vel secundum legem peccati. Nam multis modis dicitur quis alterius filius, nempe *natura*, *doctrina*, *imitatione*, *lege seu adoptione* etc. Haec per se manifesta sunt et traduntur ab Augustino in lib. cont. Adiman. cap. 5. ubi consimile Manichaei solvens argumentum scribit: *Tribus modis in Scripturis sanctis filiorum nomen accipitur: uno secundum naturam; quomodo Isaac dicitur filius Abrahae, vel etiam ceteri Judaei qui ex eadem origine veniunt: alio secundum doctrinam, ut filius ejus in ea re quisque appelletur, a quo aliquid didicit; sicut filios suos Apostolus appellat, qui ab illo didicerunt Evangelium: tertio secundum imitationem; sicut filios Abrahae nos vocat Apostolus, qui ejus fidem imitamur*. Et quoniam alia sunt filiorum genera eo in libro ab Augustino non recensita, idem S. Pater in 1. Retract. cap. 22. addit: *Quod dixi, tribus modis in Scripturis sanctis filiorum nomen accipitur: minus considerate dictum est. Et alios enim quosdam modos sine dubio praetermisimus, sicut dicitur filius gehennae, vel filius adoptivus; quae utique non secundum naturam, nec secundum doctrinam, nec secundum imitationem dicuntur*. Itaque homo quovis modo peccando non amittit substantialem Dei filiationem, semper quippe creatura illius est ab eoque dependens, nec proinde substantialis evadit diaboli filius: sed si peccat actualiter, fit diaboli filius secundum doctrinam et secundum imitationem: quo sensu Christus ajebat, *Vos ex patre diabolo estis*; si vero peccet originaliter, evadit filius diaboli secundum legem peccati cui adstringitur contrahendo ab Adamo naturam, quemadmodum qui baptizantur evadunt filii Dei per legem gratiae.

Ad 5. Inter spirituales corporeasque res discrimen intercedit latissimum; non enim illae ut istae partibus constant ut corrumpi valeant et immutari. Deinde falsum est ab homine vel a daemone posse variis artibus substantiam unam etiam corpoream, in aliam transmutari; in allatis quippe exemplis, juxta accuratiores Philosophos, corpus unum non transmutatur in aliud, sed nova dumtaxat ejusdem substantiae superinducitur dispositio.

Obj. 2. adv. alt. thes. Sacrae Scripturae tradunt concupiscentiam non modo natura sua esse malam, sed esse intrinsece peccatum. Nam Gen. cap. 6. v. 5. legitur: *Videns autem Deus quod multa malitia hominum esset in terra, et cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni*

tempore. Et in ep. ad Rom. cap. 3. Apostolus affirmat primitus Judaeos et Graecos fuisse sub peccato: tum id demonstrat ex ps. 13. ubi quae leguntur, de peccato proprie dicto intelligenda sunt. II. Falsum est praeterea concupiscentiam posse etiam per Baptismum a reatu distingui. Nam Paulus in laudata mox ep. cap. 6. v. 12. *Non ergo*, inquit, *regnet peccatum in vestro mortali corpore ut obediatis concupiscentiis vestris*. Et cap. seq. v. 17. *Quod habitat in me peccatum*; nempe concupiscentia. Et v. 23. *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae, et captivantem me in lege peccati, quae est in membris meis*. Et ad Hebr. cap. 12. v. 1. *Deponentes omne pondus, et circumstans nos peccatum*. Quibus in locis aliisque similibus loquitur certe Apostolus de concupiscentia eamque peccatum semper appellat. III. Etiam Augustinus in lib. 1. De nupt. et conc. cap. 25. docet post Baptismum remanere in homine peccatum quod in eo remaneat concupiscentia, sed illud non imputari; ait enim: *Si autem quaeritur, quomodo ista concupiscentia carnis maneat in regenerato, in quo universorum facta est remissio peccatorum ... ad haec respondetur, dimitti concupiscentiam carnis in baptismo, non ut non sit, sed ut in peccatum non imputetur*. Addit subinde reatum concupiscentiae eo modo a concupiscentia ipsa distingui quo reatus adulterii ab actu distinguitur ejusdem adulterii. Ast actus adulterii numquid est aliquando sine peccato? IV. Demum, quum concupiscentia debita careat rectitudine, est procuidubio divinae legi difformis: Verum quod est divinae legi difforme vere ac proprie peccatum est. Unde inquirenti in quo originariae culpae natura sit reponenda, recte respondetur, in sola concupiscentia.

Resp. ad 1. Allatis in argumento priori loco sententiis ac in aliis quae afferri possunt, nil aliud vult Scriptura sancta significare nisi concupiscentiam natura sua antequam a reatu solvatur esse peccatum, hominemque perpetuo ad peccatum allicere et inclinare: quod clarius ex proxime dicendis patebit.

Ad 2. Apostolus concupiscentiam appellat peccatum quod ex peccato sit et ad peccatum inclinet, ac si vincat peccatum sit, non quod sit formaliter peccatum. Explicatio est Augustini qui lib. 1. De nupt. et conc. cap. 23. scribit: *Quia modo quodam loquendi* (concupiscentia) *peccatum vocatur, quod et peccato facta est, et peccatum si vicerit facit*; *reatus ejus valet in generato: quem reatum Christi gratia per remissionem omnium peccatorum in regenerato, si ad mala opera ei quodam modo jubenti non obediat, valere non sinit. Sic autem vocatur peccatum, quia peccato facta est, cum jam in regeneratis non sit ipsa peccatum: sicut vocatur lingua locutio, quam facit lingua; et manus vocatur scriptura, quam facit manus. Itemque sic vocatur peccatum, quia peccatum si vicit facit: sicut vocatur frigus pigrum, non quod a pigris fiat, sed quod pigros faciat*. Quae quidem S. Patris expositio cum allatis Scripturae textibus optime cohaeret. Quid namque cap. 6. ait Apostolus? Ne regnet peccatum in justis, ut obediant concupiscentiae. Homines ergo Dei gratia adjuti cavere possunt peccatum; proindeque distinguitur peccatum a

concupiscentia . Cap. 7. ait in se habitare peccatum . Sed quomodo in se ? Nempe in carne sua , ut e vestigio subdit . Ast proprii nominis peccatum animae non corpori inhaeret ; in corpore quippe habitare potest peccatum sumptum pro caussa peccati . Eodem sensu accipienda sunt quae habet v. 23. In ep. autem ad Hebr. satis indicat se non loqui de peccato proprie dicto , quum dicat illud nos circumstare ; formale autem peccatum intra nos sit animaeque inhaereat .

Ad 3. Cum Augustinus ait concupiscentiam post Baptismum in peccatum non imputari , idem plane est ac si diceret peccatum nullo modo esse . Primo , quoniam allatis in argumento verbis dissertissime tradit Baptismum universa remittere peccata , quod falsum esset si etiam post regenerationis lavacrum concupiscentia quae in homine remanet , adhuc esset formaliter peccatum . Deinde quoniam seq. cap. declarat Baptismum solvere concupiscentiam a reatu . *In eis ergo qui regenerantur in Christo cum remissionem accipiunt prorsus omnium peccatorum , utique necesse est , ut reatus etiam hujus licet adhuc manentis concupiscentiae remittatur , ut in peccatum , sicut dixi , non imputetur* . Vides quid sit peccatum non imputari ; nempe nullo modo esse formaliter peccatum . In altero autem laudato loco totus est S. Pater , ut demonstret concupiscentiam illiusque reatum posse inter se distingui ut inde concludat in renatis manere actu , praeterire autem reatu . Ad quod demonstrandum exemplum ab adulterio assumit in quo actus distinguitur a reatu , quum post patratum adulterium actus transeat , reatus vero maneat donec per indulgentiam remittatur . Qua de re nullum est deductum inde argumentum . Non enim comparatio a S. Doctore instituta in eo consistit , quod sicut actus adulterii reatum semper adnexum habet, ita et sine reatu stare nequeat concupiscentia . Sed audiatur Augustinus loco objecto: *Nam sicut eorum peccatorum quae manere non possunt, quoniam cum fiunt praetereunt , reatus tamen manet , et nisi remittatur, in aeternum manet : sic illius* (concupiscentiae) *quando remittitur, reatus aufert . Hoc est enim , non habere peccatum , reum non esse peccati . Nam si quisquam , verbi gratia , fecerit adulterium , etiamsi numquam deinceps faciat , reus est adulterii, donec reatus ipsius indulgentia remittatur ... Manent ergo , nisi remittantur . Sed quomodo manent , si praeterita sunt ; nisi quia praeterierunt actu , manent reatu ? Sic itaque fieri e contrario potest , ut etiam illud maneat actu , praetereat reatu .*

Ad 4. brevissime . Concupiscentia est divinae legi difformis quatenus affectio est quaedam malae qualitatis inclinans hominem ad peccatum , non quatenus semper culpa est adnexum habens reatum .

Obj. 3. cont. 2. prop. Apostolus saepe affirmat omnes homines esse unius Adami peccato inquinatos . Ad Rom. quippe cap. 5. v. 12. ait *: Per unum hominem ... in quo omnes peccaverunt* . Et infra *: Judicium ex uno in condemnationem* . Et iterum : *Per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi* . Unde originale peccatum videtur ipsum Adami personale delictum . II. Vel saltem erit privatio originalis justitiae . Nam S. P. Augustinus et Concilia Arauxicanum ac Tridentinum aperte tradunt forma-

le peccati mortem esse animae, quae denique nihil aliud est quam privatio originalis justitiae.

Resp. ad 1. Apostolus laudatis in argumento locis recte docet homines inquinatos esse unius Adami peccato, quoniam originalis caussa efficiens peccati fuit proculdubio peccatum Adami. Sed numquid affirmat originale nostrum peccatum esse ipsum personale Adami delictum?

Ad 2. Augustinus atque Concilia per mortem animae intelligunt reatum, hoc est, maculam quamdam animae inhaerentem illamque afficientem, ex qua tamquam effectus ex caussa consequitur originalis justitiae privatio, omnium videlicet expoliatio supernaturalium donorum.

Obj. 4. cont. 3. thes. Concilium Tridentinum sess. 5. can. 5. *Si quis*, inquit, *per Jesu Domini nostri gratiam, quae in Baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit non tolli totum id, quod veram et propriam peccati rationem habet, anathema sit*. Per quam definitionem statuit Concilium Christi Baptisma totum id tollere quod veram habet rationem peccati. Cumque per Baptisma concupiscentia non tollatur, sequitur inde concupiscentiam originalis peccati rationem non constituere. II. Nec dici potest tolli per Baptisma totum quod habet rationem peccati, si remaneat concupiscentia, ablato reatu; remaneret quippe originalis peccati *materiale;* maxime cum Concilium affirmet nihil in renatis remanere peccati. Porro si concupiscentia concurreret ad constituendum peccatum, in renatis remaneret pars essentiae peccati.

Resp. ad 1. per Baptisma non tolli concupiscentiam actu, bene vero tolli reatu. Allatum autem ab adversariis argumentum ad summum demonstraret solam concupiscentiam veram ac propriam non habere rationem peccati: quod nos ultro concedimus, contra quam Lutherani dogmatizent formale originalis peccati in sola concupiscentia reponentes, ita ut nec ante nec post Baptismum a concupiscentia sejungi possit reatus. Adversus quam blasphemiam Tridentina Synodus insurgens definivit anathema esse eum qui affirmat post Baptismum remanere in homine id quod veram ac propriam habet rationem peccati. Quare allata Concilii definitio, non contra catholicam Theologorum sententiam, sed contra pervicaces haereticos lata est. Quod ex ejusd. Concilii hist. a Pallavicino exarata confirmatur, in cujus lib. 7. cap. 8. narratur quod cum in Congregatione die 27. Maji an. 1546. habita, de originalis peccati natura disputaretur, tres in medium propositae fuere sententiae: quarum prima fuit Pelargii episcopi trevirensis reponentis illam in mera originalis justitiae privatione, contra quam surrexit Antonius episcopus canariensis, illamque rejecit: alteram protulit Angelus Paschalis affirmans inordinationem potentiarum quae subjiciuntur arbitrio, esse hujus peccati materiam; inordinationem autem ejusdem arbitrii relate ad Deum esse originariae culpae formam: tertiam demum exposuit Balthassar Eredia propugnas hujus peccati materiam esse concupiscentiam; formam vero esse aversionem a Deo et conversionem ad creaturam. *Atque his*, inquit auctor hist. *communiter assentiebantur*. Nil ergo contra nostram sententiam ex Tridentino colligi potest. Deinde

si Concilii definitio recte attendatur, nostrae sententiae favet potius quam adversetur. En integrum decretum: *Si quis per D. N. J. C. gratiam, quae in Baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit, non tolli totum id, quod verum et propriam peccati rationem habet; sed illud dicit tantum radi, aut non imputari, anathema sit; in renatis enim nihil odit Deus, quia nihil est damnationis iis, qui vere consepulti sunt in Christo per Baptisma in mortem ... Manere autem in renatis concupiscentiam, vel fomitem, haec S. Synodus fatetur, et sancit*. Et paullo infra: *Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, S. Synodus declarat Ecclesiam Catholicam numquam intellexisse peccatum appellari, quod vere et proprie in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est, et ad peccatum inclinat*. Sumptum est hoc decretum ex Augustini lib. 1. De nupt. et conc. cap. 26. cujus verba in superioribus recitavimus. Docet ergo Concilium 1. Totum id quod veram propriamque peccati rationem habet non radi, ut contendebant haeretici, sed tolli penitus per Baptismum ac eradicari. 2. Manere tamen post Baptismum concupiscentiam vel fomitem usque ad agonem. 3. Hanc vero concupiscentiam non esse peccatum, sed sic appellari quia ex peccato est et ad peccatum inclinat. Nonne haec omnia tenet nostra quoque sententia?

Ad 2. Hoc est inter actuale et habituale peccatum discrimen, quod in illo si remaneat materia, totum id remaneat quod veram ac propriam peccati rationem habet, ut in actuali ebrietatis peccato patet; in hoc autem remaneat materia, etiamsi transeat reatus in quo vera ac propria consistit ratio peccati, ut cernere est in habituali vinolentia in qua vera et propria ratio peccati non remanet si soluta sit a reatu per poenitentiam, et nihilominus remanet vinolentiae materia. Porro originale peccatum de genere est habitualium. Nec quidquam officit quod in renatis remaneat materia originalis peccati quae hujus essentiae pars est. Nam si essentiae peccati nomine pura meraque materia intelligatur, dici aliquo modo potest remanere in renatis originalis peccati essentiam. Atque hoc sensu affirmavit id Gregorius ariminensis Dist. 30. a. 4. *Originale peccatum tollitur quantum ad reatum, non tollitur quantum ad essentiam*; ubi opponens reatum essentiae, per essentiam intellexit proculdubio *materiale* peccati. Hinc dici etiam potest remanere post Baptismum partem essentiae peccati, per partem essentiae intelligendo materiale peccati; nec proinde Tridentinae contradicitur definitioni, quoniam in quovis habituali peccato vera propriaque dicta ratio peccati in forma, non in materia consistit.

Obj. ultimo cont. eamd. thes. Quod est effectus ac poena peccati nequit ejusdem peccati esse constitutivum: Norunt omnes concupiscentiam effectum ac poenam esse originalis peccati: Igitur nequit illud in suo esse constituere. II. Peccatum originale idem est in omnibus. Concupiscentia vero non ejusdem est in omnibus roboris. Quare non potest esse illius peccati essentiae pars. III. Anima quae ex hac vita non regenerata recedit

retinet in se utique originale peccatum; et nihilominus non retinet concupiscentiam, quod argumento est hanc partem non habere in constituenda natura originalis peccati.

Resp. ad 1. Concupiscentia est effectus peccati, caussa peccati, et ipsum peccatum. Concupiscentia relate ad inobedientiam Adami considerata est effectus peccati, quoniam in illius poenam praevaricationis immisit Deus in hominem affectuum potentiarumque inordinationem. Eadem concupiscentia quatenus est affectio malae qualitatis sicut languor voluntatem ad illicita trahens, est caussa peccati. Si vero a reatu per Baptisma soluta non sit, est formaliter peccatum. *Et sicut caecitas cordis, quam solus removet illuminator Deus, et peccatum est, quo in Deum non creditur, et poena peccati, qua cor superbum digna animadversione punitur; et caussa peccati cum mali aliquid caeci cordis errore committitur: ita concupiscentia carnis, adversus quam bonus concupiscit spiritus, et peccatum est, quia inest illi inobedientia contra dominatum mentis; et poena peccati est, quia reddita est meritis inobedientis; et caussa peccati est, defectione consentientis vel contagione nascentis*. Ita S. P. Augustinus lib. 5. cont. Julian. cap. 3.

Ad 2. Duplici modo considerari potest concupiscentia; et quatenus est appetitus sensitivus, vivacitas ac motus qui rationi adversatur, et quatenus est affectuum virium et potentiarum animae inordinatio. Priori modo accepta concupiscentia non eadem certe est in omnibus, ut experientia ipsa patet. Ast si consideretur posteriori modo; quum in singulis hominibus inordinationem dicat potentiarum animae, eadem penitus in omnibus est. Cum autem nos affirmamus concupiscentiam esse *materiale* originalis peccati, de concupiscentia loquimur posteriori modo considerata.

Ad 3. In anima a corpore soluta sine Baptismo, quamvis locum non habeat concupiscentia sumpta pro libidine; locum tamen habet utique concupiscentia sumpta pro inordinatione potentiarum animae, quam una cum reatu constituere dicimus essentiam peccati originalis. Concupiscentia vero quae speciali quodam titulo libido appellatur, nequit sine corpore haberi: et haec illa est quae in sobolem culpam trajicit originalem, quatenus per illam generatur corpus cui dum conjungitur anima, in propriis potentiis ac viribus sic perturbatur, ut habitualiter avertatur a Deo et ad creaturas convertatur, ut sequenti capite exponemus.

CAPUT VII.

De modo quo originale peccatum contrahitur.

Quum modus quo originale peccatum in posteros Adae transfunditur mysterium sit humano captui prorsus impervium, quaestio haec non admodum necessaria videtur. Hinc S. P. Augustinus lib. 3. cont. Julian. cap. 24. num. 56. Juliano sciscitanti per quas rimas originale peccatum transiret ad posteros respondet: *Rimam quaeris inter tot innocentiae prae-*

sidia qua potuerit intrare peccatum: cum tibi ostendat Apostolus Paulus, non rimam, sed apertissimam januam, dicens, Per unum hominem etc. Ac si diceret: Hominem ex Adamo originale contrahere peccatum scio, quoniam id aperte affirmat Scriptura: quomodo autem id fiat ignoro. Quod serm. 294. de Baptismo, alias 14. de verb. Apost. cap. 7. luculentius repetit. *Ego istam quaestionem profundam sentio, et ad ejus fundum rimandum vires meas idoneas non agnosco ... Ubi ergo non invenio in profundo profundum, attendere debeo humanam infirmitatem, non damnare divinam auctoritatem. Ego prorsus exclamo, nec me pudet, Oh altitudo divitiarum* etc. Nihilominus quoniam nodi hujus solutio ad ea confirmanda non parum confert, quae hucusque tradidimus, non abs re erit totos intendere nervos ad illum extricandum atque solvendum; praesertim cum et ipse Augustinus post fassam propriam hac in re ignorantiam, Juliano questionis hujus solutionem importune petenti tandem lib. 5. adv. ips. cap. 4. responderit: *Quid fugis ad obscurissimam de anima quaestionem? In paradiso ab animo quidem coepit elatio, et ad praeceptum transgrediendum inde consensio ... Tunc est caro facta peccati, cujus vitia sanantur sola similitudine carnis peccati. Ut ergo et anima et caro pariter utrumque puniatur, nisi quod nascitur, renascendo emundetur; profecto aut utrumque vitiatum ex homine trahitur, aut alterum in altero tamquam in vitiato vase corrumpitur, ubi occulta justitia divinae legis includitur. Quid autem horum sit verum, libentius disco quam dico, ne audeam docere quod nescio.*

Ex quibus Augustini verbis apparet duobus modis posse propositam solvi quaestionem. Primo si dicamus animam ab anima generari, sicut corpus a corpore: ita ut quemadmodum vitium corpori parentum inhaerens in corpus filiorum transfunditur, quia hoc ab illo generatur; ita et vitium parentum animae insitum communicetur animae filii, quia haec spiritualiter generatur ab illa. Si certum esset filiorum animas ab animabus gigni parentum, nodus, ut per se patet, implexus non esset nec ad solvendum difficilis. Ast animam ex traduce fieri potius quam ex nihilo, numquam affirmate tradidit Augustinus, et modo contrarium omnes Theologi tenent. Quare hac uti non possumus solutione.

Alter solvendae controversiae modus ab Augustino traditus est; animam in corpore tamquam in vitiato vase corrumpi; hoc est, quum concupiscentia etiam a reatu soluta per se mala sit, atque ex illa seminatrice caro propagetur, haec caro proculdubio inficitur et contaminatur. Anima creatur quidem a Deo, sed est ad regendum corpus destinata: in quo cum ex Dei lege anima includitur, et ipsa corrumpitur ac vitiatur, sicque contrahit originale peccatum. Cumque singulorum hominum corpus seminaliter praeextiterit in lumbis Adae voluntaria praevaricatione corruptum, fit ut originale peccatum singulis sit originaliter voluntarium, sit proprium atque ab uno descendens Protoparente.

Tertia, quam recentiores nonnulli iniere, solvendae quaestionis ratio est, quod Deus in una Adami voluntate omnium posterorum ejus voluntates,

tamquam in morali capite incluserit: tum pactionem seu conventionem cum eodem Adamo Deus inierit, ut si staret ille omnes posteri quoque starent; si vero impositam sibi legem infringeret, peccatum illud non in ipso dumtaxat maneret, sed haereditario quodam jure ad singulos ejus transiret posteros. Nos opinionem hanc tamquam purum humanae mentis figmentum rejicimus, et secundam expansis ulnis amplectimur. Sit ergo

CONCLUSIO I.

Peccatum originale non transfunditur in posteros Adae vi pacti quondam a Deo cum primis nostris parentibus initi.

Prob. 1. Id de quo altum in Scripturis ac Patribus est silentium, nullo modo in sana Theologia admitti debet: Cumque hujusmodi sit pactum a recentioribus Theologis inventum, consequitur a sana Theologia esse omnino explodendum.

Prob. 2. S. P. Augustinus qui de hac praecise controversia contra Pelagianos disputans pertractavit, et praecipua scholarum lumina, doctor Angelicus, et Gregorius ariminensis pactum illud a Molinistis invectum apertissime excludunt. S. quippe Augustinus lib. 13. de Civ. Dei cap. 3. inquit. *Ut quod poenaliter praecessit in peccantibus hominibus primis, etiam naturaliter sequeretur in nascentibus ceteris.* S. autem Thomas 1. p. q. 81. a. 1. docet originale peccatum ab Adae posteris contrahi, *in quantum unusquisque recipit naturam a primo parente.* Noster denique ariminensis dist. 30. q. 1. a. 2. *Tale vitium*, inquit, *causatur in anima ex vitio carnis seu quadam morbida qualitate.* Jam vero si originale peccatum in posteros Adae transfunderetur vi pacti in sensu Molinistarum, caussa illius peccati proxima non naturalis, sed moralis esset. Laudati autem Theologiae magistri docent caussam illam naturalem esse, non moralem; unde pactum cum Adamo initum absqe ulla haesitatione excludunt.

Prob. 3. Pactum illud Recentiorum de quo modo loquimur, rectae rationi aperte repugnat. Nam 1. quodlibet pactum liberam exigit ex utraque contrahentium parte voluntatem, ita ut qui pactionem acceptat alicui se obliget conditioni: ast lex a Deo Adamo lata, quum absolutum fuerit praeceptum, nullum habuit ex his characteribus. *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris.* 2. Ut vi pacti illius contraherent homines Adae peccatum, necessarium fuisset ut hominum voluntates in protoparente aliquo modo extitissent, nempe vel physice vel moraliter: ast neutro modo voluntates nostrae in voluntate extiterunt Protoparentis. Non physice, quoniam tunc non existebamus: neque moraliter, quia unius voluntas in alterius est voluntate moraliter, quando propria libertate, vel monendo vel praecipiendo vel consentiendo in illam translata est, quod in casu nostro profecto non accidit. Est itaque opinio haec a sana Theologia ableganda.

CONCLUSIO II.

Anima peccatum contrahit originale ex consortio carnis quam per seminalem concupiscentiam a primo Parente qui communem vitiavit naturam accipit.

Prob. 1. Scripturis. Job cap. 14. v. 4. haec occurrunt: *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine?* Job itaque non aliunde originalis peccati immunditiam de qua ibi loquitur repetit, quam ab immundo semine. Unde Innocentius III. in ps. 50. v. 7. *Ex seminibus foedatis et corruptis concipitur corpus corruptum pariter et foedatum, cui anima tandem infusa corrumpitur et foedatur, non ab integritate et munditia, quam habuit, sed ab ea, quam haberet, si non uniretur foedato corpori et corrupto, quoniam et creando infunditur, et infundendo creatur.* En seminalis concupiscentia vitiatam generans carnem cui anima adhaerens et ipsa coinquinatur.

Prob. 2. ex variis Augustini nostri principiis. I. Juliano objicienti qui fieri possit ut parvuli sine propriae libertatis usu culpam contraherent, S. Doctor lib. 5. cap. 4. respondet id accidere vel quod utrumque, idest anima et caro vitiatum ex homine trahitur, vel quod alterum in altero tamquam in vitiato vase corrumpitur. Primum dici nequit, praesertim cum de animarum traduce nonnisi dubitans disputaverit Augustinus: Ergo dicendum est alterum. II. Affirmat S. Pater concupiscentiam proximam esse originariae culpae caussam. *Haec concupiscentia*, inquit, *quae solo Sacramento regenerationis expiatur, profecto peccati vinculum generatione trajicit in posteros*, lib. 1. De nupt. et conc. cap. 28. Et cap. 18. scripserat: *Propter hanc* (concupiscentiam) *ergo fit, ut etiam de justis et legitimis nuptiis filiorum Dei, non filii Dei, sed filii saeculi generentur: quia et ii qui generant, si jam regenerati sunt, non ex hoc generant quod filii Dei sunt, sed ex quo adhuc filii saeculi.* Concupiscentia itaque trajicit in genitos peccatum. III. Caussam afferens S. Doctor cur Christus absque originalis culpae noxa natus fuerit, lib. 5. cont. Julian. cap. 15. inquit: *Quod autem attinet ad peccati originalis in omnes homines transitum, quoniam per concupiscentiam carnis transit, transire in eam carnem non potuit, quam non per illam virgo concepit.* Reliqui igitur homines peccatum contrahunt originale, quoniam per concupiscentiam generantur. IV. Tradit non alia ratione originale peccatum esse singulis proprium nisi quia Adam *post peccatum exul effectus, stirpem quoque suam, quam peccando in se tamquam in radice vitiaverat, poena mortis et damnationis obstrinxit*, sic Enchir. cap. 26. Et in lib. 1. Op. imp. cont. Julian. cap. 48. *Non est magnum*, inquit, *quod vides non habere parvulos propriam voluntatem ad eligendum bonum, vel malum. Illud vellem videres, quod vidit qui scribens ad Hebraeos dixit, filium Israel Levi in lumbis Abraham patris sui fuisse, quando est ille decimatus, et ideo etiam istum in illo fuisse decimatum. Ad hoc si haberes oculum Chri-*

stianum, fide cerneres, si intelligentia non valeres, in lumbis Adam fuisse omnes qui ex illo fuerant per concupiscentiam carnis orituri. Idem repetit lib. 4. cap. 104. recitatis Ambrosii verbis lib. 7. in Lucam a nobis antecedenti capite allatis.

Prob. 3. ex Tridentina Synodo in cujus sess. 6. cap. 3. legitur: *Revera homines, nisi ex semine Adae propagati nascerentur, non nascerentur injusti; cum ea propagatione per ipsum dum concipiuntur, propriam injustitiam contrahunt*. Modus ergo transfusionis originariae culpae juxta Concilium est semen, est propagatio naturae quam Adam vitiavit. Hanc autem Concilii fuisse mentem per oppositionem ad pactum in Theologiam recenter invectum, patet ex Card. Pallavicino in hist. Conc. lib. 7. cap. 8. ubi narratur quod Paschalis Episcopus motulanensis quum ad transfusionis originalis peccati modum explicandum exemplum illud attulisset quod S. Thomas 1. 2. q. 81. a. 1. affert de peccato actuali per corporalia membra patrato, quod voluntarium non est voluntate membrorum, sed voluntate liberi arbitrii, atque ita culpa originalis voluntaria non est voluntate singulorum hominum, sed voluntate Adae qui naturam corrupit; quum hoc, inquam, exemplum esset prolatum, omnes summo plausu illud exceperunt. E contra vero quum Johannes Fonseca Episcopus stabiensis pactum, de quo supra, proposuisset, plerisque non satisfecit.

Prob. 4. ex S. Thoma qui loco proxime laudato tradit ideo nos originale contrahere peccatum, quoniam originem ex uno Adamo habemus, et respectu illius sumus tamquam unius corporis multa membra sub uno capite Adam qui est primus auctor, *Qui movet motione generationis omnes, qui ex ejus origine derivantur; et in quantum unusquisque recipit naturam a primo parente*. Et ibid. ad 2. *Per virtutem seminis traducitur humana natura a parente in prolem, et simul cum natura naturae infectio: ex hoc enim fit iste, qui nascitur consors culpae primi parentis, quod naturam ab eo sortitur per quamdam generativam motionem*. Et in resp. ad 1. jam scripserat, *Etsi culpa non sit actu in semine, est tamen in virtute humanae naturae quam comitatur talis culpa*. Suffragatur et noster Gregorius qui dist. 30. q. 1. a. 2. conc. 3. ita ratiocinatur: *Vel talis qualitas* (in qua originalis culpae natura consistit) *concreatur animae a Deo: vel acquiritur sibi actibus suis: vel causatur in ea ex carne, cui adjungitur. Primum non potest dici, quia Deus non creat animam vitiosam: nec secundum, quia nullus actus inest animae antequam in ipsa sit illud vitium seu originale peccatum. Relinquitur ergo tertium, quum non appareat quod aliud rationabiliter possit assignari pro causa illius qualitatis*.

Prob. 5. duplici ratione. I. In sacris litteris passim affirmatur originale peccatum manere in carne: quod alio modo nequit explicari, nisi dicamus gigni per seminatricem concupiscentiam carnem vitiatam cui anima adhaerendo inficitur. Ita Magister dist. 31. num. 4. ubi auctoritatem affert Ambrosii. II. Ea est ex Dei institutione naturae lex corpus inter et animam, ut ad motus hujus corpus moveatur et vicissim. Corpus pos-

se per seminalem concupiscentiam corrumpi facile intelligitur. Poterit itaque anima quae corpore velut instrumento utitur, malas induere habituales inclinationes quibus ex perturbatis corporis motibus sit adnexus reatus.

Adversariorum argutiae refutantur.

Obj. 1. adv. 1. thes. Gen. cap. 17. de eo qui legem transgreditur circumcisionis legitur, *Quia pactum meum irritum fecit*. Cujus nomine pacti conventio illa hoc in loco intelligitur quae a Deo inita fuit cum Adamo: atque idcirco originale peccatum. Quod clarius adhuc affirmat Oseas cap. 6. v. 7. *Ipsi autem sicut Adam transgressi sunt pactum*; Adeoque Deum inter et Adam pactum quoddam intercessit. II. Et revera, numquid non potuit Deus cum Adamo pactum illud inire? Potuit utique, tum quia supremum habet Deus in creaturas suas dominium: tum etiam quoniam sicut temporalis princeps arbitrium includere potest pupillorum in voluntate tutoris; ita et Deus arbitrium creaturarum potuit in Adami includere voluntate. III. Caput morale, ut princeps ac pater familias, legem condere potest et votum emittere, ut subditorum filiorumque voluntates ad peccatum obligentur, si legem non servant vel non reddunt votum; multo magis unius voluntas in voluntate alterius includi potuit a Deo nullo praevio consensu. IV. Neque quis dicat posse quidem principem poenam in reorum filios transfundere, non vero culpam. Nam si res ita se haberet, ex hujus vitae miseriis originalis culpae propagatio demonstrari non posset; quoniam facile reponi posset transmitti utique ad posteros poenam, minime vero culpam. V. Facilius intelligitur originalis peccati transfusio semel admisso Recentiorum pacto, praesertim cum doctrina haec de pacto a solo Jansenio explodatur.

Resp. ad 1. Nomine pacti intelligit sacra Scriptura absolutam legem seu praeceptum, non conventionem in sensu Molinistarum. Neque novum est in sanctis paginis ut lex et absolutum praeceptum pactum appelletur, ut ex innumeris locis patet et praesertim ex Levit. cap. 26. v. 15. ubi legitur: *Quod si non audieritis me, nec feceritis omnia mandata mea, si spreveritis leges meas, et judicia mea contempseritis, ut non faciatis ea, quae a me constituta sunt, et ad irritum perducatis pactum meum* etc. Quare cum legitur Adam ejusque posteros Dei transgressos fuisse pactum, idem est ac si legatur, transgressos fuisse Dei legem atque mandatum. Quae responsio confirmatur ex Oseae loco in argumento laudato. Ubi enim inquit Propheta, *Ipsi transgressi sunt pactum*, loquitur de Idolatris qui superstitione sua, non conventionem sed primum legis mandatum, *Non adorabis Deos alienos*, transgrediuntur. Praeterea pactum quod praevaricatus est Adam his exprimitur verbis, *Quocumque die comederis ex eo, morte morieris*: Ast verba haec absolutum sonant praeceptum, non conventionem; unde optime S. P. Augustinus lib. 16. De Civ. Dei cap. 27. *Testamentum autem primum, quod factum est ad hominem primum, profecto illud est: Qua die ederitis, morte morie-*

mini. Unde scriptum est in libro, qui Ecclesiasticus appellatur: Testamentum enim a saeculo, Morte morieris. Cum enim lex evidentior postea data sit, et dicat Apostolus, Ubi autem non est lex, nec praevaricatio: quo pacto quod legitur in Psalmo verum est, Praevaricatores aestimavi omnes peccatores terrae, nisi quia omnes legis alicujus praevaricatae sunt rei, qui aliquo peccato tenentur obstricti? Quamobrem si etiam parvuli etc. Vide ibi nullam occurrere mentionem de conventione, bene quidem de lege, de praecepto.

Ad 2. Etsi daremus potuisse Deum pactum illud cum Adamo inire, numquid proinde aliquid contra nostram sententiam sequeretur? Non enim quid facere potuerit, sed quid reapse fecerit Deus nunc inquirimus. Non constat autem pactum revera cum Adamo pepigisse. Ceterum falsum est potuisse Deum pactionem in sensu adversariorum cum Adamo inire. Nam pactum illud exigeret ut Adam ita posterorum morale caput esset, ut in ejus voluntate essent nostrae voluntates inclusae: Ast unius voluntas quum immanens sit et intrinseca, nequit in alterius voluntate sine proprio consensu et electione includi, ut per se manifestum est. Habet quidem Deus supremum in creaturas suas dominium, sed facere nequit quod repugnat: quae impotentia non ex parte Dei, sed ex parte rerum se tenet. Allatum autem exemplum ad rem minime facere vel ex eo patet, quod temporalis princeps potest utique in voluntate tutoris pupillorum includere voluntates in iis quae ad alienationem vel bonorum spectant permutationem: sed quis dixerit posse hoc in iis quae ad meritum pertinent vel demeritum? Hujus autem rei ratio est, quoniam princeps jurisdictionem habet quidem in bona pupilli quae extrinseca sunt, non vero in actus voluntatis qui intrinseci sunt et immanentes, nisi ille aliquo modo assentiatur. Hinc facere nequit princeps ut peccante tutore pupillus quoque peccet.

Ad 3. Potest proculdubio princeps legem condere quam si subditus transgrediatur peccet; potest etiam ob legis transgressionem, non praevaricatorem modo sed et filios ejus si scelus maximum sit, poena mulctare: ast princeps facere nequit ut transgressoris filius qui parentis sceleris puta rebellionis poenas luit, eadem et ipse culpa intrinsece sit commaculatus, nisi et ipse rebellioni assentiatur. Quare haec aliaque generis hujus exempla demonstrant poenae quidem, non vero culpae in posteros transmissionem. Unde Vellosillus ac post illum Edmundus Simonnet, qui principis ac reipublicae tantopere inculcant exemplum, operam penitus ludunt.

Ad 4. Supposita per primum peccatum corruptione naturae, potest in posteros peccati poena transfundi quin culpa ipsa transfundatur. Unde ratio cur modo filius ob parentis delictum potest citra injustitiam exilio v. g. mulctari quamvis ipse innocens sit, ex eo repeti debet quod in hoc rerum statu filius ille jus non habeat ad vitam, quoniam originaliter peccavit. Ast antequam Adam peccaret, et ipse et omnes posteri ejus si ipse non peccasset, et ad vitam et ad felicitatem jus habuissent. Quod si nunc

moriuntur si calamitatibus modo subditi sunt; argumento est illos peccasse, quia sub Deo justo judice nemo miser esse potest nisi mereatur.

Ad 5. Non quae facilius intelliguntur semper vera sunt: imo ubi de praedestinatione, gratia, peccato originali, aliisque generis hujus pertractatur, magis vera sunt quae difficiliora, quum sint mysteria. Magno Augustino qui adversus Julianum acutissimum de originali peccato diu multumque disputavit, ejusmodi pactum fuit omnino incognitum, et libentius confugit ad Apostolum exclamantem, *Oh altitudo divitiarum*! Ac denique falsum est facilius intelligi modum transfusionis per pactum; quum rationi repugnet ut aliena voluntas sit mea, me nolente aut minime cogitante. Postremo, antiquae neniae sunt Lojolitarum Jansenismi inurere censuram sententiis quibuslibet ab eorum novitatibus recedentibus. In hoc Jansenius laude dignus est qui S. Augustinum, Magistrum sententiarum, doctorem Angelicum, Gregorium ariminensem sequi maluit quam putidae subscribere opinationi a novitiis Scriptoribus recens excogitatae.

Obj. 2. cont. alt. prop. Si originale peccatum per seminalem concupiscentiam transfunderetur, etiam Christus peccatum illud contraxisset. Nam Christus *factus est ex semine David secundum carnem*, inquit Apostolus ad Rom. cap. 1. Id autem impiissimum est cogitare. II. Nec quidquam officit quod virtute Spiritus S. conceptus in utero fuerit Virginis; quum ejusdem Virginis corpus fuerit per seminalem concupiscentiam ex Adamo propagatum. III. Rationi prorsus repugnat modus ejusmodi transfusionis peccati. Nam nec in semine nec in concupiscentia est originale peccatum. Non in semine quia originariae culpae subjectum est anima, non res corporea; neque in concupiscentia, quoniam si duo conjuges absque illa concuberent, eorum filii originalem culpam contraherent. IV. Multo minus dici potest contrahi peccatum istud ab anima ex ejus cum corpore consortio. Numquid enim peccatum qualitas est aliqua corporea? Intelligi nullo modo potest quomodo peccatum cujus subjectum est anima, in illam per corpus transmitti possit. Exemplum quippe vulgo afferri solitum de aqua quae in vitiato vase corrumpitur, ad rem non facere vel ex eo solum patet, quod vas et aqua duae sint corporeae substantiae quae se invicem tangunt, quod de anima et corpore in homine dici nequit. V. Neque necessitudo quae animam inter ac hominis corpus intercedit, satis esse videtur ad intelligendum animam per corpus contrahere originale peccatum. Nam ut anima culpam contraheret per corpus, necesse foret ut corporea aliqua qualitas usque ad spiritum pertingeret, quod impossibile est, quum qualitates necessario inhaerere debeant subjecto, nec corporea qualitas spiritui tamquam subjecto possit inhaerere. VI. Denique anima quae ex nihilo a Deo creatur bona est: *Nihil enim odit Deus eorum quae fecit*. Corpus consortio suo non perficit nec illi bonitatem suam communicat, quamvis *bonitas sit sui diffusiva*. Unde neque corpus communicare poterit animae per suum consortium propriam malitiam.

Resp. ad 1. Christus Dominus conceptus est ex Virgine; non virili semine ut ceteri homines, sed virtute Spiritus S. Quid mirum ergo si

originale non contraxit peccatum? *Et hinc apparet illam concupiscentiam, per quam Christus concipi noluit, fecisse in genere humano propaginem mali: quia Mariae corpus quamvis inde venerit, tamen eam non trajecit in corpus, quod non inde concepit*, ait S. P. Augustinus adv. Julian. similia objicientem lib. 5. cap. 15.

Ad 2. Respondet S. P. lib. 4. Op. imp. cont. Julian. cap. 104. *Qui* (Christus) *licet sit etiam ipse secundum carnem semen Abrahae, eo quod virgo Maria, de qua carnem sumsit, ex ipso semine propagata est: non tamen est obnoxius eidem semini, qui virili non est conceptus ex semine, liber a nexu seminatricis concupiscentiae.*

Ad 3. Originale peccatum non continetur quidem in semine formaliter, sed ibi continetur caussaliter, quatenus scilicet per semen producitur caro corrupta: cui cum anima ex Dei lege sociatur, et ipsa corrumpitur ac vitiatur. Quoad concupiscentiam vero distinguendus est actus ejus ab animae potentiarum inordinatione. Concupiscentia haec, non illo modo considerata, caussa proxima est originariae culpae. Ast vero impossibile est ut conjuges absque ejusmodi virium inordinatione operam dent procreandae proli, quum ea remaneat etiam in renatis usque ad agonem.

Ad 4. Ex nostra sententia minime sequitur originale peccatum qualitatem esse corpoream, aut modum transfusionis esse inintelligibilem. Et en quomodo se res habet. Arctissimam constituit Deus animam inter ac humanum corpus legem per quam ad animae motum corpus moveatur, atque si malo vel bono afficiatur corpus, anima gaudeat vel doleat. Haec certa sunt nec ulla indigent demonstratione. Rursus ad actus suos eliciendos anima corpore utitur tamquam instrumento, quum illa sit substantia cogitans regendo corpori accomodata, ut ab Augustino definitur. Ex seminatrice concupiscentia perturbationem quamdam ac inordinationem in humanum transfundi corpus facile intelligitur; gignitur quippe corpus per semen quod in Adam ex perduelli concupiscentia in poenam praevaricationis contractam fuisse corruptum, certum est quoque per adversarios. Fac ergo corpus corruptum vitiatumque esse per semen. Anima a Deo condita ita corpori infunditur ut arctissimam cum eo habeat conjunctionem illoque tamquam instrumento ad actus suos eliciendos utatur. Et quoniam corpus quod vitiatum supponitur, ad turpia, hoc est ad malum suo modo propendet, anima quoque habitualiter avertitur a Deo et ad creaturas convertitur, sicque maculam contrahit originariam. Exemplum vero de vitiato vase afferri a nobis post Augustinum solet ad rem difficilissimam quodammodo explicandam, non quod eodem prorsus modo anima respectu corporis se habeat sicuti aqua respectu vasis. Inter aquam et vas ea sane proportio est, quae animam inter et corpus non reperitur: ast defectui proportionis satis abunde supplet arctissimum illud vinculum inter animam et corpus, quod inter aquam et vas non intercedit.

Ad 5. Ut anima per consortium carnis originalem contrahat culpam necesse utique est ut corporea qualitas usque ad spiritum pertingat: sed non modo quodam materiali ut corpus tangit corpus, verum modo illo

mirabili quem statuta a Deo lex animam inter ac corpus exigit. Quod ne in longum nimis abeat oratio, explico exemplis. Sonus sive ab animalis ore sive a corporum collisione aut a musico instrumento profectus, qualitas est corporea quae per aures percipitur; et nihilominus usque ad animam quae quidquid per sonum significatur intelligit pertingit. Item corporum formae quas carneis oculis conspicimus, non sunt materiales? Et tamen eas a corporibus quodammodo haurimus et recondimus in memoria. Ita discurrendum est de reliquis. Non est itaque impossibile ut corporea qualitas suo modo in anima recipiatur. In hoc enim arctissimus ille nexus inter animam et corpus consistit, ut mirabili quadam arte spiritualia in corpus et corporea transeant in spiritum. Quod autem additum est, qualitates haerere necessario subjecto, neque corporeas qualitates inhaerere animae tamquam subjecto et vicissim; nos ultro concedimus: attamen potest corporea qualitas spiritum afficere absque eo quod spiritui inhaereat tamquam subjecto: quod S. P. Augustinus lib. 5. cont. Julian. cap. 14. num. 51. similia objicientem explicat exemplo Æthyopum qui, *Quia nigri sunt, nigros gignunt, non tamen in filios parentes colorem suum velut tunicam transferunt; sed sui corporis qualitate corpus quod de illis propagatur afficiunt.*

Ad 6. Utique anima ex nihilo a Deo condita bona est; sed bona bonitate naturae, non bonitate quadam superaddita. Nam statim ac a Deo creatur, essentiam suam quae in esse spiritali et cogitante consistit, non donum aliquod recipit supernaturale. *Ast essentia seu natura est incommunicabilis alteri*, ut Philosophi docent; alioquin si anima communicaret corpori suam bonitatem naturae, corpus evaderet quid spirituale, quod repugnat. Nil igitur mirum si anima ex consortio quod cum corpore habet, non communicat illi suam bonitatem. Ast malitia quae corpori inest, est qualitas quaedam corporis superaddita naturae. Qualitates vero communicari quum possint, anima dum suo corpori jungitur, illius statim contrahit imperfectionem, peccatum videlicet originale.

COROLLARIUM

Multa ex dictis colligi possunt. I. Si Adam non peccasset, Deus illi talem forte contulisset gratiam per quam nec ipse nec posteri ejus deinceps a justitia defecissent. Ast vero nisi Deus Adamum ejusque sobolem ea gratia exornasset et aliquis ex filiis ejus, puta Cain, peccasset, transfunderetur adhuc iu filios primi praevaricatoris delictum; communem quippe per seminatricem concupiscentiam vitiasset naturam. II. Si Deus alium hominem ex limo terrae plasmaret, quoniam genitus per corruptum semen non esset, originalem noxam non contraheret. III. Si Heva tantum non Adam peccasset, probabile admodum est originale peccatum adhuc fuisse in mundum invectum. Ad illa enim Scripturae verba, *A muliere initium factum est peccati, et per illam omnes morimur*, ita Augustinus scribit lib. 1. De pecc. merit. cap. 16. *Sive autem a muliere, sive ab*

Adam dicatur, *utrumque ad primum hominem pertinet* : *quoniam*, *sicut novimus*, *mulier ex viro est*, *et utriusque una caro est*. *Unde et illud quod scriptum est*, *Et erunt duo in carne una*. *Igitur jam non duo*, *inquit Dominus*, *sed una caro*. Sed de hypoteticis hisce quaestionibus consulendus est Estius, qui illas pro dignitate versat.

CAPUT VIII.

An filii Fidelium contrahant originale peccatum.

Postquam adeo fuse in superioribus originalis peccati existentiam demonstravimus, superfluum hic modo esset inquirere, an illud contrahant etiam filii baptizatorum. Momenta quippe a nobis suo loco allata generatim demonstrant neminem qui ordinaria via nascatur, ab originaria culpa esse immunem. Sed dirimenda tamen haec controversia seorsim est, quoniam non desunt ex Novatoribus plures, qui post Calvinum, Zuinglium, Bezam, ac Vossium affirment filios fidelium ad novi Foederis haereditatem jure nativitatis pertinere: ac eo tantum fine sacro tingi baptismate, ut in Ecclesiam ingrediantur. Scio Chamierum nos arguere calumniae quasi Calvino imponamus: sed novi etiam ipsum potius calumnias in romanos Theologos ingeminare, quum constet legentibus Calvinum lib. 4. Inst. cap. 16. n. 24. Zuinglium in lib. de Bapt. Bucerum in cap. 3. Mat. Bezam in cap. 7. ep. I. ad Cor. Vossium Disp. 7. de Bapt. n. 21. Windelinum Exerc. 40. in Vind. theol. Chr. et Synod. Dortrect. cap. 1. art. 17. Novatores plurimos in pessimum hunc incidisse errorem. Contra hunc ergo Pelagianorum ramusculum sit

CONCLUSIO

Filii Baptizatorum et ipsi peccatum contrahunt originale.

Prob. 1. Omnia Scripturae Patrumque loca contra Pelagianos superius allata generalia sunt atque adstruunt neminem qui via nascatur ordinaria, ab originaria culpa esse immunem.

Prob. 2. peculiaribus aliquot Scripturarum testimoniis: Psal. 50. David de seipso inquit: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum*, *et in peccatis concepit me mater mea*. Apostolus item de se in ep. ad Eph. cap. 2. v. 3. scribit: *Eramus natura filii irae*, *sicut et ceteri*. Hi duo sane filii erant fidelium ille ex tribu Juda, ex tribu Beniamin hic. Et nihilominus originale a propriis parentibus contraxerant peccatum.

Prob. 3. ex PP. qui non solum expresse tradunt originale peccatum pervadere ad omnes nemine excepto; sed praeterea nominatim affirmant contrahi etiam a filiis baptizatorum. Cyprianus namque a Fido episcopo consultus an filii fidelium post octavum a nativitate diem essent baptizandi, respondet baptizandos esse quoniam, *Infans secundum Adam car-*

naliter natus contagium mortis antiquae prima nativitate contraxit. Hieronymus in ep. ad Laetam inquit Christianos non nasci, sed fieri. Augustinus innumeris in locis, sed praecipue lib. 2. De peccat. mer. cap. 9. Pelagianis objicientibus, si peccator genuit peccatorem, etiam justus justum gignere debuit, respondet, *Quasi ex hoc quisque carnaliter gignat quod justus est, et non ex hoc quod in membris ejus concupiscentialiter movetur, et ad usum propagandi lex peccati mentis lege convertitur*. Et lib. 3. ejusd. op. cap. 12. *Nec parvuli de quibuslibet sanctis justisque procreati, originalis peccati reatu absolvuntur, nisi in Christo fuerint baptizati*. Eadem habet in lib. De pec. orig. cap. 40. Hinc optime Tridentinum Concilium Sess. 5. Can. 4. ait: *Si quis parvulos recenter ab utero matrum baptizandos negat, etiamsi fuerint a baptizatis parentibus orti: aut dicit in remissionem quidem peccatorum baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro necesse sit expiari ad vitam aeternam consequendam, anathema sit*.

Prob. 4. Theologicis rationibus. Quicumque baptizatur quum in Christi morte baptizetur, Sacramentum suscipit in remissionem peccatorum: Filii autem fidelium baptizari debent, ipsis fatentibus adversariis: Adeoque peccatum aliquod habent, quod eis remittatur. II. Etiam filii baptizatorum dum regenerationis lavacro tinguntur, exorcizantur. Cumque fiat id ad eos liberandos e daemonis potestate, consequitur ante baptismum habere illos peccatum per quod sub daemonis sunt potestate. III. Qui non baptizatur in regnum caelorum intrare minime potest. Quare si filii fidelium ex hac vita sine baptismo decedunt, a regno caelorum profecto excluduntur: Ast vero nonnisi peccatum potest jus regni caelestis a filiis auferre fidelium, quum sit maxima poena: Ergo etc.

Reffelluntur Haereticorum argumenta.

Obj. 1. Gen. cap. 17. ita Deus alloquitur Abraham: *Statuam pactum meum inter me et te, et inter semen tuum post te in generationibus suis foedere sempiterno: ut sim Deus tuus, et seminis tui post te*. Quod si filii Abraham et qui in semine ejus reputantur originale contraherent peccatum, quomodo ad illud Dei pertinerent pactum? II. Etiam Paulus ad Hebr. cap. 7. v. 9. docet Levi ita in Abrahae lumbis quando obviavit ei Melchisedech fuisse decimatum, ut post nativitatem decimas minime solverit, sed acceperit. Similiter filii fidelium in lumbis parentum sic a peccato originali liberantur, ut illud nullimode contrahant. III. Clariora adhuc sunt quae Apostolus ad Rom. cap. 11. v. 16. habet: *Quod si delibatio sancta est, et massa: et si radix sancta, et rami*. Ubi massae ac radicis nomine parentes intelligit fideles; sicuti nomine delibationis et ramorum, filios qui ex ipsis nascuntur. Atque ita si massa et radix sancta sunt, videlicet si sancti sunt parentes, sancta quoque erunt delibatio et rami, nempe filii ex illis orti. IV. Iisdem insistere videtur vestigiis Apostolus in I. quoque ad Cor. cap. 7. v. 14. ubi sic inquit: *Sanctificatus*

est enim vir infidelis per mulierem fidelem , et sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem , alioquin filii vestri immundi essent , nunc autem sancti sunt . Si alter ergo ex conjugibus sit fidelis , filii qui nascuntur , jam sancti sunt : adeoque non habent originale peccatum . V. Denique nemo dat quod non habet : Cumque parentes baptizati originale non amplius habeant peccatum ; nequeunt plane illud filiis communicare .

Resp. ad 1. Pactum quod statuit Deus cum Abraham juxta Apostoli interpretationem ad Rom. cap. 4. et 9. in hoc consistebat, quod Deus Abrahae familiam elegerat , ut in aeternum ab ea coleretur ; non vero quod qui sunt ex semine Abrahae vel in semine ejus propter fidem reputantur , sancti sint ratione nativitatis : alioquin quid opus fuisset ut Abrahae semen circumcideretur ? Christiani modo deputantur utique in semine Abrahae : ast non quia ex Christianis nascuntur , sed quoniam per fidem quam in baptismo recipiunt justificantur . Legatur citatum cap. 4. ad Rom.

Ad 2. nego comparationem . Discriminis ratio est , quoniam ideo Levi ita in lumbis Abrahae fuerat decimatus , ut post ejus ortum decimatus non fuerit ; quoniam spoponderat Deus sacerdotium illi ac iis qui orti ex ejus semine fuissent : e contra vero non promisit Deus iis qui ex Christianorum semine nascuntur vitam aeternam , bene vero iis qui per baptismum regenerantur . Hinc S. P. Augustinus lib. 2. De peccat. mer. cap. 25. *Adtendant* , inquit , *non propterea Levi postea non fuisse decimatum , quia jam fuerat decimatus in lumbis Abrahae ; sed quia sic ordinatus est honore Sacerdotii , ut acciperet decimas non praeberet : alioquin nec ceteri fratres ejus , qui ei praebebant , decimarentur , quia et ipsi in lumbis Abrahae a Melchisedech jam fuerant decimati* . Confirmatur responsio ex eo quod Apostoli scopus ibi fuerit demonstrare Sacerdotium Christi secundum ordinem Melchisedech Sacerdotio levitico longe praestantius esse , quoniam Levi decimas in lumbis Abrahae solvit regi Melchisedech .

Ad 3. Massae et radicis nomine non parentes christianos intelligit Paulus , sed christianam religionem ; sicuti per delibationem et ramos non filios ex christianis parentibus ortos , sed illos qui christianam colunt religionem . Quod patet ex scopo quem eo in capite sibi proposuerat . Sciendum quippe est gentiles ad fidem recens conversos , aspernari coepisse Christianos qui venerant ex mosaica lege , quod Christus his reprobatis , miserit Apostolos ad gentiles . Volens itaque Paulus ad fraternitatem eos revocare , totus est ut demonstret non ex religione ex qua veniunt , sed ex religione quam colunt dimetiendos esse Christianos . Cumque religio sancta sit , sancti sunt quoque ipsius cultores , atque idcirco aspernandi non sunt : quemadmodum si massa et radix sancta sint , sancta quoque erunt delibatio et rami . Rem ita se habere constat legenti laudatum caput .

Ad 4. Sensus Apostoli in allato testimonio est , quod si alter ex conjugibus sit fidelis, filii sancti sunt ; hoc est , non immundi et tamquam spurii habiti , sed mundi atque legitimi ; neque enim de munditia et san-

ctitate loquitur quae habetur per baptismum. Nam vult Apostolus ne maritus fidelis ab uxore discedat infideli, et vicissim. 1. Quoniam alter ab altero suasione et exemplo adduci ad Christi fidem potest, sicque sanctificari. 2. Quoniam tunc illorum filii non habebuntur tamquam immundi et illegitimi 3. Demum quia iidem filii fidem ab alterutrius pravo exemplo parentis seducti, non amittent. Hanc esse Pauli mentem patet ex ejus scopo. Apud Corinthios quippe haec invaluerat consuetudo, ut uxor fidelis maritum dimitteret infidelem, et vicissim. Ex quo consequebatur filios alioquin legitimos, haberi consuevisse tamquam spurios ac illegitimos: consequebatur etiam non posse alterutrum infidelem conjugem exemplo ac suasione fidelis ad christianam adduci religionem: consequebatur denique eosdem filios, et quidem baptizatos, ab infideli conjuge domi detentos illius exemplo ad idololatriam declinare. Atque ad haec vitanda pericula hortatur eos ut simul cohabitent, vicissimque sustineantur. Ex quibus colligitur in Apostoli mente filios alterius conjugis fidelis non esse sanctos jure nativitatis: alioquin uxor etiam infidelis sancta foret sine baptismo in viro fideli, quod stultum est cogitare. Quare Augustinus De peccat. mer. lib. 2. cap. 26. scribit: *Non opinor, quisquam tam infideliter intelligit, quodlibet in his verbis intelligat, ut ob hoc existimet etiam maritum non Christianum, quia Christiana fuerit uxor ejus, neque jam baptizari oportere, et ad peccatorum remissionem jam pervenisse, et in regnum caelorum esse intraturum, quia sanctificatus dictus est in uxore*. Vide et serm. 295. In Nat. Apostolor. cap. 19.

Ad 5. respondeo cum S. Patre lib. 3. De peccat. mer. cap. 9. *Potuerunt parentes ad posteros transmittere, quod ipsi minime habuerunt; non solum sicut frumenta paleam, et praeputium circumcisus: sed etiam, quod et vos dixistis, fideles infidelitatem in posteros trajiciunt*. Habent ergo parentes baptizati concupiscentiam quam in filios trajiciunt, quaeque nisi per Sacramentum regenerationis a reatu solvatur, non modo paena peccati est; sed et *formaliter* peccatum.

SCHOLION.

Ubi in superioribus demonstravimus omnes homines nasci originaria culpa infectos, hanc aut consimilem saepe addidimus clausulam, *Qui via vel lege ordinaria nascuntur*. Et consulto quidem id fecimus. Nam quamvis lex illa peccati ad omnes pertingat, non adeo tamen universalis est quin aliqui, etsi paucissimi, ab ea eximi debeant. Et primo sane a generali illa lege peccati excipi debet Christus Servator noster, ut in praecedentibus non semel animadvertimus. Non enim ex virili semine, ut ceteri, sed opera Spiritus sancti in utero conceptus est purissimae Virginis; Deus quippe erat simul et homo; et in similitudinem venit carnis peccati damnare peccatum et opera diaboli solvere, ut inquit Johannes in I. ep. cap. 3. Sed nullum super hac re est inter Theologos dubium.

Paullo obscurior est alia controversia, an scilicet B. Virgo Maria et

ipsa ab originali fuerit culpa immunis. Pro cujus intelligentia observandum est, aliud esse peccatum contrahere quoad *actum*, aliud vero quoad *debitum*. Peccatum contrahit quoad actum qui peccati culpa ac reatu revera coinquinatur. Hoc modo originale peccatum contrahit hominum vulgus. Imo hoc modo Jeremias quoque et Johannes Baptista qui in matrum utero ante nativitatem fuere sanctificante gratia exornati, originariae culpae rei facti sunt; cum originali videlicet peccato concepti sunt, et per sanctificantem gratiam subinde ab illo mundati. Contrahere autem dicitur originale peccatum quoad debitum qui stante communi lege concipi cum illo deberet, sed per speciale Dei privilegium a communi illa lege eximitur. Tres ergo sunt Theologorum sententiae circa intemeratae Virginis Mariae conceptionem. Prima est S. Anselmi qui lib. 2. *Cur Deus homo* cap. 16. S. Bernardi in ep. ad canon. Lugdun. S. Thomae 1. p. in 3. q. 27. a. 2. et alibi, et Gregorii ariminensis in 2. Dist. 30. q. 2. a. 1. qui inter B. Virginis conceptionem ejusque nativitatem distinguentes, ajunt conceptam quidem illam cum originali fuisse peccato quoad *actum*, sed ante nativitatem fuisse sanctificatam. Sententiam hanc amplectuntur fere omnes Thomistae. Altera defenditur a plerisque Franciscanis autumantibus traditam illam fuisse a Johanne Scoto insigni doctore. Fert autem sententia haec B. Virginem originale non contraxisse peccatum neque *quoad actum*, neque *quoad debitum*. Dixi autumare opinionis hujus tutores illis praeivisse Scotum, sed frustra. Nam in 3. Sent. D. 3. q. 1. ita scribit: *Ad quaestionem dico quod Deus potuit facere, ut numquam B. Virgo fuerit in peccato originali: potuit etiam fecisse, ut ipsa tantum in uno instanti fuisset in peccato: potuit etiam facere, quod per tempus aliquod esset in peccato, et in ultimo instanti illius temporis purgaretur. Quid autem horum trium quae ostensa sunt esse possibilia, sit factum circa Mariam, Deus novit. Si autem auctoritati scripturae non repugnat, videtur probabile quod excellentius est tribuere Mariae:* Ex quibus apparet eam tradidisse Scotum sententiam tamquam mere probabilem ac veluti metuens ne adversaretur Scripturae. Tertia demum sententia inter Theologos communis, tradit B. Virginem contraxisse quidem originale peccatum quoad *debitum*, non contraxisse autem quoad *actum*. Nos subscribimus Augustino nostro in lib. De nat. et gr. cap. 36. dicenti: *Excepta itaque sancta virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus cum de peccatis agitur, haberi volo quaestionem*. Illud unum animadverto nullam ex relatis tribus sententiis esse de fide, et citra piaculum posse propugnari B. Mariam originale contraxisse peccatum etiam *quoad actum*. Legatur Constitutio Sixti Papae IV. an. 1483. edita et confirmata a Tridentinae Synodi Patribus ac subinde a Pio V. et Gregorio XV.

Immunes demum ab originariae culpae macula fuerunt Jeremias propheta et Johannes Domini praecursor; eo tamen sensu quod concepti utique fuerint cum originali peccato ut ceteri homines: sed ante nativitatem deletum in eis per sanctificantem gratiam fuerit, cum adhuc in matrum utero delitescerent. De Jeremia quippe cap. 1. suae prophetiae v. 4. le-

gitur: *Et factum est verbum Domini ad me, dicens: Priusquam te formarem in utero, novi te, et antequam exires de vulva, sanctificavi te.* De Johanne vero Baptista narrat Lucas cap. 1. v. 41. *Et factum est, ut audivit salutationem Mariae Elisabeth, exultavit infans in utero ejus: et repleta est Spiritu sancto Elisabeth.* De utroque demum scribit S. P. Augustinus lib. 4. Op. imp. cont. Julian. cap. 134. *Quia et Jeremias et Johannes, quamvis sanctificati in uteris matrum, traxerunt tamen originale peccatum ... Erant ergo illi et natura filii irae ab uteris matrum, et gratia filii misericordiae ab uteris matrum.*

CAPUT IX.

De poenis originali peccato in altera vita debitis.

Duplicis generis poenae originali peccato debitae recensentur. Aliae quae ob illud peccatum debentur hominibus in hac vita, et sunt mors concupiscentia ignorantia fames sitis lassitudo similesque aerumnae de quibus libro superiori egimus: Et aliae quae homini debentur in altera vita et sunt, exclusio a regno caelorum et ab aeterna vita, dolor ob eam exclusionem internus, ac poena sensus: de quibus hoc in capite acturi sumus.

Pelagiani, ut testis est pluribus in locis Augustinus, ab illa Christi sententia, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*, perterriti, fatebantur quidem parvulos sine baptismo decedentes excludi a regno caelorum: sed quoniam coinquinatos eos esse originali peccato negabant, ne Deum injustum facerent quasi innocentem hominem puniret, concedebant illis aeternam vitam quam a caelorum regno stulte distinguebant.

Vincentius quidam Victor apud Augustinum lib. 1. De anima et ejus origine, quamvis admitteret in parvulis originale peccatum, decedentibus tamen illis sine baptismo concedebat aliquando paradisum et regnum caelorum, aliquando vero solum paradisum, hunc forte confundens cum vita aeterna Pelagianorum.

Albertus Pighius et Ambrosius Catharinus etsi ejusmodi parvulis tum vitam aeternam tum regnum caelorum, hoc est, intuitivam Dei visionem denegaverint; nihilominus concesserunt illis beatitudinem quamdam naturalem post extremam judicii diem fruendam super terram. Sententiae huic subscripsit Cardinalis Sfondratus in lib. cui titulus, *Nodus Praedestinationis dissolutus*; nisi putare malis Cardinalem hunc amplissimum adhaesisse Pelagianis, quum crebro in eo volumine repetat pueros vita sine baptismo functos personalis innocentiae gaudere dono et immunitate a peccato: quae majoris esse pretii ait, quam regnum ipsum caeleste. Ignorabat forte regnum caelorum ipsum esse Deum; *Ego sum merces tua magna nimis*.

Gabriel, Sotus, Vasquez, aliique bene multi quibus Durandus praeiverat, docent parvulos absque regeneratione concedentes privari quidem intuitiva Dei visione: sed nullam ea de caussa animae percipere amaritudinem, nullum internum dolorem.

Bellarminus cui multi preiverant multoque plures subscripsere deinceps, arbitratur carere ejusmodi pueros intuitiva Dei visione, ex eaque carentia animi percipere dolorem : sed tamen immunes esse contendit a quavis poena sensus.

Augustinianae tandem scholae Theologi, post eorum Magistrum Augustinum et Fulgentium innumerosque alios Patres ac Theologos, firmissime tenent ac nullatenus dubitant, puerulos cum originaria culpa ex hac luce migrantes, non poena damni modo, hoc est Dei privatione quae maxima poena est, sed poena quoque sensus seu ignis plecti, quamvis poena illa in comparatione adultorum mitissima sit, ut Augustinus loquitur. His in antecessum praemissis, sit

CONCLUSIO I.

Pueri absque baptismo ex hac vita migrantes, non solum a regno caelorum, sed etiam a vita excluduntur aeterna.

Prob. prior th. pars. Johan. cap. 3. ita loquitur Christus: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*. Quid est autem regnum Dei, nisi regnum caelorum? II. Patet idipsum ex universali traditione quae constantissime docet Baptismum necessarium esse ad regnum consequendum caelorum necessitate medii. Quare qui Baptismum non suscipit quum medio careat necessario, in regnum caelorum non ingreditur. III. Vincentius Victor adversus quem nunc disputamus, fatebatur parvulos sine Baptismo decedentes reos esse originalis peccati. Qui autem hujus peccati reus est, quomodo ingredi in regnum caelorum potest? Inimicus enim Dei est utpote lethalis peccati macula contaminatus. In regnum vero caelorum nihil coinquinatum et abominationem faciens potest introire, inquit Johannes in Apocal.

Prob. altera pars prop. contra Pelagianos I. Johan. cap. 3. nuper laudato haec occurrunt: *Qui incredulus est Filio, non videbit vitam*. Et cap. 6. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*. Ac denique idem Johannes in I. ep. cap. 5. scribit: *Qui non habet Filium, vitam non habet*. Porro parvuli sine Baptismo migrantes increduli sunt Filio Dei, illius carnem ac sanguinem non manducant nec bibunt, nulloque modo eumdem Dei filium habent : atque idcirco vitam habere non possunt aeternam. Ita S. P. Augustinus lib. I. De peccat. mer. cap. 27. ratiocinatur, ubi haec inter cetera habet: *Et hoc est testimonium, quia vitam aeternam dedit nobis Deus; et haec vita in Filio ejus est. Qui habet Filium, habet vitam: qui non habet Filium, non habet vitam. Non solum igitur regnum caelorum, sed nec vitam parvuli habebunt, si Filium non habebunt, quem nisi per babptismum ejus habere non possunt*. II. Consonant omnes Patres. Superfluum est Augustini excribere testimonia, quum is ex professo Pelagianos hac in caussa refutaverit. Patres concilii Carthaginensis in ep. 90.

ad Innocentium I. Pelagianos damnant, quod *Parvulos etiam propter salutem, quae per Salvatorem Christum datur, baptizandos negant; et sic eos mortifera ista doctrina in aeternum necant; promittentes etiamsi non baptizentur, habituros vitam aeternam : nec pertinere ad eos, de quibus Dominus ait: Venit enim Filius hominis quaerere, et salvum facere quod perierat*. Milevitani Patres et ipsi in ep. ad eumd. Innocentium inter Augustinianas 92. pestiferam illam Pelagianorum doctrinam anathemate confodiunt, dicentes: *Pueros quoque parvulos, si nullis innoventur christianae gratiae Sacramentis, habituros vitam aeternam, nequam praesumptione contendunt*. Damnarunt ea de caussa Pelagianos Innocentius, Gelasius, aliique subsequentes summi Pontifices. III. Catholica haec veritas patet quoque argumentis ex Augustino depromptis quorum primum sic instrui potest. Quidquid in Ecclesia novum est, tamquam omnino falsum rejici debet: Porro Pelagiana sententia quam confutamus nova omnino est. *Hoc novum in Ecclesia, prius inauditum est, esse vitam aeternam praeter regnum caelorum, esse salutem aeternam praeter regnum Dei*, ita S. Pater serm. 294. de baptismo parvulorum, alias 14. de verb. Apost. cap. 3. Secundo, qui non habebit resurrectionem vitae, in vitam aeternam non ingredietur: Pueri autem e vita mortali absque Baptismo decedentes resurrectionem certe vitae non habebunt, quoniam resurrectio in incorruptibilem carnem effectus est resurrectionis spiritus per lavacrum quod proinde regenerationis appellatur: *Ad quam beatam perfectionem* (hoc est ad resurrectionem) *hujus, quod nunc datur, sancti lavacri gratia pervenitur, quia enim regeneratione spiritus modo fit, ut peccata omnia praeterita remittantur ejus merito fiet etiam regeneratio carnis in vitam aeternam*, scribit S. Doctor De pecc. orig. cap. 39. Terzio, ipsis fatentibus Pelagianis ab Evangelica sententia perculsis, *Nisi quis renatus fuerit* etc. parvuli sine Baptismo vita functi, regnum caelorum non possidebunt: Ast vero regnum caelorum ab aeterna vita non distinguitur, primo quoniam regnum caelorum iis qui in Dei Filium credunt conceditur: Sed iis qui credunt in Filium Dei datur vita aeterna; dicente Johanne cap. 3. v. 16. *Ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam*. Deinde, quoniam ovibus quae Christi vocem audiunt, alicubi tribuitur regnum caelorum, et alibi vita aeterna, juxta illud ejusdem Johannis, *Oves meae vocem meam audiunt: et ego cognosco eas, et sequuntur me: et ego vitam aeternam do eis: et non peribunt in aeternum*. Unde Augustinus lib. 1. De peccat. mer. cap. 27. concludit: *Quia ergo de ovibus ejus non esse incipiunt parvuli, nisi per baptismum, profecto si hunc non accipiunt, peribunt: vitam enim aeternam, quam suis dabit ovibus, non habebunt*.

SCHOLION.

Solent hoc in loco Theologi inquirere, quid aeternae vitae nomine quam pueris absque baptismo morientibus. Pelagiani concedebant, ipsi re-

vera intelligerent. Et fuere nonnulli in Veterum lectione parum versati, qui existimarunt per aeternam vitam intellexisse Pelagianos visionem Dei intuitivam. Sed illos apertissime decipi vel eo solum fit manifestum, quod nullam inter vitam aeternam ac regnum caelorum distinctionem posuissent. Dicendum itaque potius est aeternae vitae nomine intellexisse beatitudinem quamdam naturalem. Nam illorum profligator Augustinus cui eorum dogmata perspecta plane erant, in lib. De Haeres. Haer. 88. inquit: *Promittunt eis extra regnum quidem Dei, sed tamen aeternam, et beatam quamdam vitam suam*. Et De Praed. SS. cap. 13. *Hoc si auderent Pelagiani, non jam laborarent negando originale peccatum, quaerere parvulos extra regnum Dei, nescio cujus suae felicitatis locum*. Quae phrases indicant nomine aeternae vitae intellexisse beatitudinem non supernaturalem, sed mere naturalem. Quaestioni huic occasionem dedit nimia horum haereticorum vafrities, qui quamtumvis ab Augustino premerentur ut propriam explicarent circa vitam aeternam mentem, nihil umquam potuit obtinere.

CONCLUSIO II.

Infantes absque Baptismo decedentes nulla naturali fruuntur beatitate; imo interno animi dolore afficiuntur.

Prob. prima prop. pars. Sententia quam impugnamus, nullum habet neque in Scriptura neque in Traditione fundamentum: quinimo Augustini sententiae quae Ecclesiae doctrina est, aperte repugnat. Nam in lib. 1. De anima et ejus origine cap. 9. ita scribit: *Non baptizatis parvulis nemo promittat inter damnationem regnumque caelorum, quietis vel felicitatis cujuslibet atque ubilibet quasi medium locum. Hoc enim eis etiam haeresis Pelagiana promisit*. Felicitas autem illa naturalis Catharini, Pighii, et Cardinalis Sfondrati quid aliud est, nisi vita aeterna Pelagianorum diverso nomine nuncupata? Deinde vetat S. Doctor ne ulla parvulis hisce felicitas tribuatur nullusque locus assignetur extra damnationem; atque idcirco a veritate recedunt naturalis felicitatis defensores. II. Suffragatur sententiae nostrae ejusdem S. Patris luculentissima ratio. Nam parvuli antequam Baptisma recipiant sub daemonis degunt potestate; unde exsufflantur ac exorcizantur. Possuntne qui sub potestate daemonis sunt, naturali aliqua frui beatitate?

Prob. altera pars. thes. Parvuli nisi Baptismate regenerentur sunt filii irae, filii diaboli, immundi, peccatores, impii. *Nam nomina eorum*, inquit Augustinus lib. 1. De peccat. mer. cap. 27. *erant prius, filii carnis, filii saeculi, filii irae, filii diaboli, immundi, peccatores, impii: postea vero, filii Dei* etc. Jam vero nulla concipi potest ratione esse illos filios irae, et nullam ex Dei vindicta experiri tristitiam; esse filios diaboli, et non ingemiscere; immundos, peccatores, impios, et nullam dare poenam; neque enim peccatores et impii sunt secundum denominatio-

nem dumtaxat; sed vere ac proprie dictum peccatum habent, nempe originale. II. Non negant adversarii ejusmodi infantes excludi a regno caelorum: adeoque nec negare poterunt maximo affici dolore, quoniam a regno caelorum excludi per se maxima poena est; quod patet primo Chrysostomi et Augustini auctoritate, qui in Ench. cap. 112. inquit: *Perire a regno Dei, exsulare a Civitate Dei, alienari a vita Dei, carere tam magna multitudine dulcedinis Dei ... tam grandis est poena, ut ei nulla possint tormenta quae novimus comparari*. Deinde patet etiam ejusdem Augustini ratione quae est hujusmodi: Quum parvuli de quibus loquimur, facti et ipsi sint ad imaginem Dei conditi proculdubio sunt propter supernaturalem beatitudinem quae in intuitiva Dei visione consistit: atque adeo flagrantissimo amore illam desiderant. Ast non posse naturale ardentissimumque desiderium explere maxima poena est. Qui enim *appetit quod adipisci non potest, cruciatur*, ait Augustinus De Morib. Eccl. Cath. cap. 3. *Si hoc eis non erit malum*, prosequitur S. Doctor lib. 6. cont. Julian. cap. 10. *non ergo amabunt regnum Dei tot innocentes imagines Dei. Si autem amabunt, et tantum amabunt, quantum innocentes amare debent regnum ejus, a quo ad ipsius imaginem creantur, nihilne mali de hac ipsa separatione patientur?* Et Serm. 294. de baptismo parvulorum, alias 14. de verb. Apost. cap. 6. *Si amatur patria, magna poena: si autem non amatur patria, pejor est cordis poena. Parvum malum est in hominis corde, qui societatem non quaerit sanctorum, qui non desiderat regnum caelorum? Si non desiderat, poena est de perversitate: si autem desiderat, poena est de fraudata caritate*. Et in 3. cont. Julian. cap. 3. jam scripserat: *Vos excellentissimi amatores illius vitae, quae futura est aeterna cum Christo, nullam poenam putatis esse imaginis Dei, in aeternum exsulare a regno Dei: cum si parvam esse poenam diceretis, non esset haec vox beati amatoris illius regni, sed miseri contemptoris. Porro autem, si quod huic sufficit caussae, parvam saltem poenam fatemini esse, quae magna est, ut imago Dei non sinatur intrare in regnum Dei*. Ex quibus non modo propositi a nobis argumenti veritas demonstrata remanet, sed praeterea ex iisdem colligitur adversarios nostros aperte facere cum Pelagianis: qui denique si omnem ab ejusmodi parvulis removebant poenam, contendebant non esse in illis peccatum cui poena debetur; quum adversarii nostri fateantur esse in illis peccatum, et nullum eos experiri dolorem tamen contendebant.

CONCLUSIO III.

Infantes sine Baptismo decedentes aliqua puniuntur poena sensus, licet in comparatione adultorum mitissima.

Prob. 1. ex S. Litteris, ubi universale describitur judicium. Matth. cap. 3. haec de Christo habentur: *Cujus ventilabrum in manu sua: et permundabit aream suam, et congregabit triticum suum in horreum,*

paleas autem comburet igni inextinguibili. Et cap. 13. v. 30. *Colligite primum zizania, et colligate ea in fasciculos ad comburendum, triticum autem congregate in horreum meum*. Cap. vero 25. v. 31. absque parabolis. *Cum autem venerit Filius hominis in majestate sua ... tunc sedebit super sedem majestatis suae: et congregabuntur ante eum omnes gentes, et separabit eos ab invicem ... et statuet oves quidem a dextris suis, haedos autem a sinistris. Tunc dicet Rex his, qui a dextris ejus erunt: Venite benedicti etc. Tunc dicet his, qui a sinistris ejus erunt: Discedite a me maledicti in ignem aeternum, qui paratus est diabolo, et angelis ejus ... Et ibunt hi in supplicium aeternum: justi autem in vitam aeternam*. Ac denique Apoc. cap. 20. v. 12. *Et vidi mortuos magnos, et pusillos stantes in conspectu throni, et libri aperti sunt ... Et qui non inventus est in libro vitae scriptus, missus est in stagnum ignis*. Describens itaque relatis in locis S. Scriptura universale judicium, bonos comparat tritico et ovibus, aitque scriptos esse in libro vitae; malos autem comparat paleae, zizaniis, haedis, et esse ait extra librum vitae, hoc est, extra praedestinatorum numerum. Rursus, tradit Scriptura triticum congregandum esse in horreum, oves ac illos qui in libro vitae scripti sunt, futuros a dextris et regnum caelorum percepturos; paleas vero atque zizania inextinguibili igne comburenda; et haedos ac illos, qui praedestinati non sunt, futuros a sinistris, in ignem aeternum in stagnum ignis conjiciendos. Ast vero parvuli cum originali peccato ex hac vita migrantes non sunt triticum congregandum in horreum, non oves ac praedestinati a dextris statuendi et vocandi ad regnum; erunt ergo paleae ac zizania igne comburenda, haedi et reprobi statuendi a sinistris, atque in aeternum ignem in stagnum ignis mittendi; atque idcirco aliqua poena sensus cruciandi. Ita argumentatur S. P. Augustinus adversus Pelagianos medium quemdam iis infantibus statuentes locum, Serm. 294. de Baptismo parvulorum alias 14. de verb. Apost. cap. 3. *Venturus Dominus, et judicaturus de vivis et mortuis, sicut Evangelium loquitur, duas partes facturus est, dextram, et sinistram. Sinistris dicturus*, Ite in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus. *Dextris dicturus*, Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi. *Hanc regnum nominat, hanc cum diabolo damnationem. Nullus relictus est medius locus, ubi ponere queas infantes. De vivis et mortuis judicabitur: alii erunt ad dextram, alii ad sinistram: non novi aliud. Qui inducis medium, recede de medio ... In dextra ad regnum, utique aeternum; in sinistra in ignem aeternum. Qui non in dextra, procul dubio in sinistra: ergo qui non in regno procul dubio in igne aeterno*. Videant qui medietatem inducunt, an ab Augustino apertissime reprehendantur. Neque sibi suadeant S. Patrem peculiarem quamdam suam promere opinionem. Nam praeterquamquod crebro illud, *Procul dubio in igne aeterno*, inculcat, laudatum proxime sermonem jussu Aurelii totius Africae primatis publice recitavit in basilica Majorum, in Natali Martyris Guddentis, idest, coram universo populo carthaginensi, ut optime observat Norisius lib. 1. Hist. Pelag. cap. 5.

Mirum profecto est quantopere ab hoc argumento adversae sententiae patroni torqueantur; unde respondent. I. cum Ambrosio Catharino qui saepe Augustinum audacter nimis impugnat, parvulos cum originali decedentes peccato non esse a Christo judicandos: sicque allatum argumentum corruere. II. Respondent alii. Parvuli sine Baptismo morientes mittentur quidem in ignem aeternum, hoc est, in inferorum locum parvulis adultisque communem, sed ab igne non cremabuntur. III. Ajunt plerique cum Bellarmino argumentum ex universali judicio depromptum nullius ponderis esse, quoniam judicium in Scripturis describitur eorum qui sunt in Ecclesia: quod demonstrare conantur. 1. Ex quo boni ac mali ovibus comparentur et haedis quae sub uno eodemque sunt pastore. Ejusmodi autem grex non est nisi Ecclesia. 2. Quoniam caussa quam supremus affert Judex nequeat ad pueros pertinere, sed ad adultos dumtaxat: dicturus est enim, *Esurivi, et non dedistis mihi manducare* etc. 3. Quoniam Evangelium in quo judicium describitur, ad solos pertinet Fideles; quum parvuli sine Baptismo fideles non sint, quid eorum judicium in Evangelio describere? 4. Quoniam etiam Augustinus in hanc descendit sententiam serm. 354. De diversis, alias 53. de verb. Dom. cap. 1. ubi ita scribit: *Pene quidem sacramentum omnes corpus ejus dicunt, quia omnes in pascuis ejus simul pascunt: sed venturus est qui dividat, et alios ponat ad dexteram, alios ad sinistram. Et utraque pars dictura est,* Domine, Domine; quando te vidimus, et ministravimus tibi? *Vel,* Domine quando te vidimus, et non ministravimus tibi? *Pars utraque dictura est: Uni tamen dicet*, Venite benedicti Patris mei, percipite regnum: *alteri*, Ite in ignem aeternum. Describitur ergo ibi per Augustinum judicium adultorum atque Fidelium.

Verum vanae omnino sunt allatae mox responsiones. Atque ad 1. miserum illud mihi videtur effugium. Nam edisserens Christus zizaniorum parabolam inquit: *Ager est mundus: bonum vero semen, hi sunt filii regni: zizania autem, filii sunt nequam. Inimicus autem, qui seminavit ea, est diabolus. Messis vero consummatio saeculi est. Messores autem Angeli sunt. Sicut ergo colliguntur zizania, et igni comburuntur, sic erit in consummatione saeculi.* Nonne pueri sine Baptismo migrantes nati sunt in agro mundi? Utique: itaque vel erunt triticum in horreum congregandum, vel zizania igni comburenda. Praeterea Gelasius Papa in ep. ad Picenos in qua non res ad eruditionem, ut Moraines ait, sed res pertractat ad Fidem pertinentes, inquit: *Et quia nonnisi dextram partem legimus et sinistram, non illos faciant in sinistra regione sine Baptismate remanere, sed baptizatos sinant ad dexteram salutarem sacra regeneratione transferri.* Demum eos omnes Christus in mundi fine judicabit quos sanguine suo redemit. Nam *potestatem ei dedit* (Pater) *judicium facere, quia Filius hominis est.* Verum parvulos etiam qui Baptismum non percipiunt redemit. Hinc S. P. Augustinus in ep. 217. alias 107. ad Vitalem, duodecim tradens regulas Fidei, in septima et octava apertissime docet parvulos quoque non regeneratos judicatum iri in fine mun-

di, quum dicat Apostolus, *Omnes adstabimus ante tribunal Christi*. Videant ergo qui cum Catharino faciunt, cujus illorum sit ponderis responsio.

Ad 2. Exceptionem istam minime moror. Nam paleae ac zizania quibus parvuli absque Sacramento mortui comparantur, igne comburentur inextinguibili: qui sistendi a sinistris erunt, inter quos erunt ejusmodi infantes, ibunt *in supplicium aeternum*, *in ignem aeternum*, atque adeo comburentur. Deinde ubinam in Scripturis vel Traditione invenerunt ituros parvulos in ignem, sed non comburendos? Augustinus certe in lib. De Fide et Oper. cap. 15. contrarium demonstrat dicens: *Neque illud dici potest*, *in quo nonnulli se ipsos seducunt dicentes*, *ignem aeternum dictum*, *non ipsam poenam aeternam ... cum et hoc praevidens Dominus*, *tamquam Dominus*, *sententiam suam ita concluserit*, *dicens*, Sic ibunt illi in combustionem aeternam, justi autem in vitam aeternam.

Ad 3. Non minus ceteris vana est Bellarmini responsio. 1. Quoniam si allata a nobis testimonia de solis intelligenda forent Fidelibus, jam nullus esset in Scriptura et in Traditione textus ex quo demonstrari posset ad Judicis praesentiam sistendos esse parvulos de quibus loquimur, infideles, et haereticos; neque enim clariora loca in quibus judicium describitur universale habemus: sicque pari fidentia negari posset parvulos, infideles, et haereticos venturos ad judicium. 2. Quoniam in laudatis a nobis testimoniis talia leguntur quae de parvulis sine Baptismo decedentibus, de infidelibus, ac haereticis sumi debeant. Nam Christus parabolam edisserens inquit, non, *Ager est Ecclesia*; sed, *Ager est mundus*. Et Matthaeus subdit: *Congregabuntur ante eum omnes Gentēs*. Et Johannes: *Vidi mortuos magnos*, *et pusillos*. Et, *Qui non est inventus in libro vitae scriptus*, *missus est in stagnum ignis*: quae phrases etiam parvulos cum originali culpa mortuos complectuntur. 3. Quoniam allatae a Bellarmino animadversiones ad rem facere minime videntur. Ad I. enim responderi potest gregis nomine hoc in loco Scripturam totum intelligere mundum: quia, *Congregabuntur ante eum omnes Gentes*; vel potius comparationem ab Evangelio institutam in hoc dumtaxat consistere quod sicut pastor segregat oves ab haedis, ita Christus in extrema judicii die dividet electos a reprobis qui in universo mundo sunt ab initio ad finem. Cumque pueri sine Baptismo electi non sint sed reprobi, eam subibunt sortem quae reprobis debetur. Ad II. Argumentum nimis probat; demonstrat nimirum neque ad omnes fideles adultos Judicis pertinere sententiam; quum non de singulis verificari possit, *Esurivi enim* etc. Quot enim erunt reprobi qui misericordiae opera exercuerunt? Ponet ergo Judex unam eamque praecipuam bonorum operum speciem pro toto genere. Ad III. Indignum Bellarmino hoc argumentum videtur. Christus quippe judex universorum est: atque adeo gentilium, haereticorum, fidelium, puerorum etc. proindeque hoc Evangelii caput pertinet etiam ad infideles; praesertim cum ipsis quoque annunciandum foret, sicuti factum est, Christi Domini Evangelium. Ad IV. Quod e vestigio ex Augustino subdit, responsione non indiget. Satis enim ex dictis atque dicendis constat quae-

nam S. Patris sententia fuerit de poenis parvulorum. Illud unum animadverto, quod in Serm. 5. de verb. Dom. et alibi cum ait Judicis sententiam bonos, ac malos respicere fideles, non excludit parvulos sine Baptismo morientes. Quis ignorat unum eumdemque Scripturae textum posse pro rerum opportunitate modo restringi, modo ampliari in sua significatione, dummodo expositio una aliam non excludat?

Prob. 2. ex constanti Ecclesiae Traditione. Quid sancti trium priorum saeculorum Patres de infantium sine regeneratione pereuntium poenis senserint non est curiosius perscrutandum; quum enim Pelagiani medium quemdam locum dexteram inter ac sinistram statuentes nondum orti essent, securius in Ecclesia loquebantur. Talia nihilominus de originalis transfusione peccati tradiderunt ex quibus colligi non subobscure possit nostram plane illos tenuisse sententiam. Relege illorum testimonia in superioribus a nobis recitata. Primi ergo qui enucleatius de originali scripsere peccato fuerunt Hieronymus et Augustinus. Subinde celebris controversia illa evasit in tota occidentali Ecclesia. Hieronymus itaque in fine Dial. contra Pelagianos diserte affirmat non esse injustum Deum quod *infantibus praematura morte abreptis aeternae miseriae cruciatus praeparaverit*, quoniam originaria sunt infecti labe. Perperam autem de cruciatibus qui ex carentia visionis Dei proficiscuntur, Hieronymus explicatur: tum quia Pelagiani illam concedere pueris sine Baptismo ex hac vita sublatis non audebant: tum quia ibi respondet haereticis Catholicos irridentibus quod poenam sensus infantulis assignarent. S. P. Augustini, praeter ea quae superius attulimus, innumera sunt. Clariora seligenius. In lib. De dono Persev. cap. 12. legitur: *Absit ut caussam parvulorum sic relinquamus, ut esse nobis dicamus incertum, utrum in Christo regenerati, si moriantur parvuli, transeant in aeternam salutem; non regenerati autem transeant in mortem secundam*. Quid autem secundae mortis nomine S. Doctor intelligat, pluribus in locis exponit ac praecipue in lib. 13. De Civ. Dei cap. 2. ubi inquit: *Hanc Salvator significavit, qui ait*, Eum timete, qui habet potestatem et corpus et animam perdere in gehennam. Et in ep. 166. alias 28. ad Hieronymum cap. 2. scribit: *Certus sum, animam ... quaecumque sine gratia Mediatoris et Sacramento ejus, in qualibet corporis aetate, de corpore exierit, et in poena futuram, et in ultimo judicio recepturam corpus ad poenam*. Ne haec de poena damni intelligantur ab adversariis haec postrema verba vetant, *recepturam corpus ad poenam*; poena quippe corporis est poena sensus. Tum et illa quae in serm. 294. de Baptismo, alias 14. de verb. Apost. supra commemorato cap. 4. habet: *Ecce exposuit tibi quid sit regnum, et quid sit ignis aeternus; ut quando confiteris parvulum non futurum in regnum, fatearis futurum in igne aeterno*. Et infra: *Ut cum viderint se perdere spem regni, non viderent esse consequentem nisi poenam ignis aeterni*. Similia occurrunt in lib. 5. cont. Julian. cap. 10. ubi parvulos non renatos ait, *ignibus aeternis arsuros*. Et in 3. Op. imp. cap. 199. *Si non eruitur a potestate tenebrarum, et illic remanet parvulus; quid miraris in igne aeterno cum diabolo futurum, qui in Dei regnum intrare non sinitur?*

Nonnulli ex adversae sententiae patronis ad vim elevandam argumenti respondent fuisse hanc peculiarem Augustini opinionem, proindeque nihil ad auctoritatem valere.

Sed tantos talesque habuit Augustini sententia patronos ut si quis inter dogmata Fidei vellet illam recensere, non esset proinde temeritatis accusandus; adeo falsa est allata ab adversariis responsio. Sed magisterio Ecclesiae Fidei dogmata declarare relinquamus. Interim verba dabo S. Patris ex quibus colligitur sententiam de poenis parvulorum a se traditam non fuisse tamquam opinionem mere probabilem. Praeterquamquod sermonem 14. De verb. Ap. coram Aurelio totius Africae primate recitavit ad populum qui ad eum audiendum convenerat, ut non in subtilibus adiaphorisque opinionibus, sed in Fidei dogmatibus a Pelagianis tunc pessime deformatis erudiretur; praeter hoc, inquam, in lib. De Praed. SS. cap. 12. inquit: *Cum moriuntur infantes, aut merito regenerationis transeunt ex malis ad bona, aut merito originis transeunt ex malis ad mala. Hoc catholica fides novit*. Lib. 5. Op. imp. cap. 64. *Inter quos* (reprobos) *sunt certe plurimi, qui si ex hac vita abriperentur infantes, secundum falsam vestram haeresim, penitus ab omni; secundum autem catholicam fidem, a damnatione gravissima tollerentur*. Ex his apparet quaestionem hanc quam versamus, tenuisse Augustinum tamquam de Fide. Nec quisquam regerat S. Doctorem de Fide dumtaxat habuisse quod parvuli non regenerati intuitiva Dei priventur visione. Nam quae recitata sunt profert eximius Doctor ut sese nomine Ecclesiae opponat Pelagianis. Pelagiani autem pueros sine Baptismo abreptos eximebant a poena sensus. Quapropter S. Pater utramque poenam parvulos mereri affirmat. *Videris enim tibi misericors*, ait S. P. Serm. 294. de Baptismo parvulorum, alias 14. de verb. Apost. cap. 5. *quia non ei aufers vitam: damnas tamen, quem separas a regno caelorum. Damnas: non eum percutis, sed in exilium mittis*. Nota autem verba, *Non eum percutis*: En immunitas a poena sensus juxta Pelagianos; *Sed in exilium mittis*: En poena damni. Hinc lib. 2. Op. imp. cap. 113. ita Pelagianos alloquitur: *An tandem aliquando extra regnum Dei infelices futuros confitemini parvulos non renatos? Dicite ergo hujus infelicitatis meritum, verbosi et contentiosi, qui negatis originale peccatum*. Vides ergo Pelagianos asserere pueros sine Baptismo migrantes intuitiva Dei carere visione. Sed praeter hanc visionis carentiam aliam poenam, juxta catholicam Fidem assignat Augustinus illis infantibus. Quare de poena hac non probabiliter, sed tamquam de dogmate Fidei disputat Augustinus.

Praeterea sententiam illam quae ab adversariis singularis opinio dicitur Augustini, tamquam Fidei dogma universa tradidit africana Ecclesia, et cujus definitio a Romanis fuit Pontificibus approbata. Sic enim Numidiae Provinciae Patres in ep. ad Innocentium I. inter Augustinianas 176. alias 92. loquuntur: *Pueros quoque parvulos, etsi nullis innoventur Christianae gratiae sacramentis, habituros vitam aeternam, nequam praesumptione* (Pelagiani) *contendunt*. Quibus Innocentius ep. 182. alias 93. pariter inter Augustinianas ita respon-

det: *Illud vero quod eos vestra fraternitas asserit praedicare, parvulos aeternae vitae praemiis etiam sine baptismatis gratia posse donari, perfatuum est*. Jam vero Pelagianos aeternae vitae nomine immunitatem intellexisse a poenis, per se perspicuum est ut saepe monuimus. Quare *perfatuum est*, *et nequam praesumptio* affirmare pueros de quibus in caussa, immunes esse a sensibili poena. Sed clarius adhuc loquuntur Patres Concilii IV. carthaginensis: *Item placuit ut si quis dicit ideo dixisse Dominum, In domo Patris mei mansiones multae sunt, ut intelligatur quia in regno caelorum erit aliquis medius aut ullus alicubi locus, ubi beate vivant parvuli qui sine baptismo ex hac vita migrarunt, sine quo in regnum caelorum, quod est vita aeterna, intrare non possunt, anathema sit. Nam cum Dominus dixit, Nisi quis renatus fuerit etc. quis catholicus dubitet participem fore diaboli qui cohaeres esse non meruit Christi? Qui enim dextra caret, sinistram proculdubio partem incurret*. Qua in sententia carthaginenses Patres non modo eos damnant qui vitam aeternam a regno caelorum distinguunt, sed insuper et illos qui parvulos sine Baptismo morientes sub daemonis esse potestate nec in sinistra futuros negant. Ast vero qui sub potestate daemonis sunt, quique sinistram partem in judicii die obtinebunt, poena proculdubio sensibili cruciantur.

Bizaceni Patres quindecim in Sardiniam caussa Fidei relegati, a Monachis orientalibus Petro diacono, Johanne Leontio, ceterisque interrogati quid de libro *De Incarnatione et Gratia* a se ipsis conscripto sentirent, cap. 14. haec habent: *Quae justitia est ut imago Dei quae nihil potuit per seipsam delinquere, si non redimatur sanguine filii Dei, in regnum Dei non permittatur intrare? Quo utique quisquis non ingreditur, interminabilibus ignis aeterni cruciabitur poenis? Qua igitur justitia* etc. Et cap. 30. *Item alios quomodo sine baptismate mortuos aeternis cruciatibus damnat, cum in eis nullam culpam malae voluntatis inveniat?... Ubi nulla interveniente vel bonitate, vel malitia voluntatis, alios vident potiri regno, alios interminabili deputatos incendio?* Haec lectore, non interprete indigent. Liber hic De Incarn. et Grat. est inter opera Fulgentii quod ab ipso fuerit dictatus. Ceterum approbatus fuit a Concilio quindecim episcoporum, ut ex libri constat initio, ubi singula episcoporum nomina recensentur. Idem Fulgentius a Petro diacono doctissimo rogatus ut brevem ad se mitteret Fidei synopsim qua munitus, haeresum quae per universum Orientem tunc temporis grassabantur vitare posset pericula, libellum *De Fide ad Petrum* composuit, in quo 40. dogmata Fidei recitavit quae omnia hac formula incipiunt, *Firmissime tene et nullatenus dubites*. Cap. autem 27. de peccato loquens originali sic inquit: *Firmissime tene, et nullatenus dubites, non solum homines jam ratione utentes, verum etiam parvulos, qui sive in uteris matrum vivere incipiunt, et ibi moriuntur, sive cum de matribus nati sine sacramento sancti baptismatis, quod datur in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, de hoc saeculo transeunt, ignis aeterni sempiterno supplicio puniendos: quia etsi propriae actionis peccatum nullum habuerunt,*

originalis tamen peccati damnationem carnali conceptione et nativitate traxerunt. Dogma istud juxta Fulgentium de fide esse satis constat ex dictis et ex iis quae post recitata quadraginta capitula habet, magis apparet. Nam cap. 44. ita scribit: *Haec interim quadraginta capitula ad regulam verae fidei firmissime pertinentia fideliter crede, fortiter tene, veraciter patienterque defende. Etsi quem contraria his dogmatizare cognoveris, tamquam pestem fuge, et tamquam haereticum abjice*. Jam vero nemo sibi suaserit sanctissimum doctissimumque ruspensem Antistitem tamquam Fidei dogma venditare voluisse meram Scholae opinionem; praesertim cum ad orientalem scriberet Monachum veram Fidei doctrinam ab eo postulantem.

Sed non in africana modo Ecclesia, verum etiam in Ecclesia romana doctrina illa viguit; Gelasius quippe summus Pontifex in ep. ad Episcopos picenos ita loquitur: *De parvulis autem quod asserit* (Seneca pelagianus) *sine baptismo pro solo originali peccato non posse damnari, satis impia, satis profana propositio est*. Addit subinde in epistolae conclusione: *Dicant igitur in morte perpetua constituti, si non aestimentur esse damnati. Tollant ergo de medio, nescio quem ipsi tertium, quem decipiendis parvulis faciunt locum*. Damnat ergo Gelasius illos qui pueros sine Baptismo abreptos non damnari affirmantes, in medio quodam loco a regno caelorum ac inferis diverso constituunt. Nonne in idem recidit adversariorum sententia? Post Gelasium Gregorius M. romanae Sedis Antistes idipsum docuit in lib. 9. Moral. cap. 16. his verbis: *Perpetua tormenta percipiunt qui nihil ex propria voluntate peccaverunt*. Florentinum denique Concilium in Fidei definitione inquit, *Illorum autem animas qui in actuali mortali peccato vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere; poenis tamen imparibus puniendos*. Est enim parvulorum poena comparate ad adultos, ut Augustinus inquit, mitissima. Et quomodo eorum qui in lethali decedunt, poenae dispares sunt; ita et illorum qui moriuntur cum originali dumtaxat, impares sunt a poenis illorum qui cum actuali decedunt.

Jam aliarum testes Ecclesiarum breviter attingamus. Isidorus hispal. lib. 2. Diss. Spir. 2. 26. sic inquit: *Illud tamen tenendum est, parvulorum animas nexu peccati originalis esse adstrictas, quae nisi percipiant baptismatis sacramentum regni caelestis participes esse non possunt; sed cum carne et commune habebunt peccatum, et pari judicio damnabuntur in ignem aeternum*. Prudentius tricassinus lib. de Praed. cap. 16. de parvulis scribit: *Extra baptismi gratiam morientes, non suo, sed protoplasti peccato, perpetua perplexione damnantur*. Anselmus lib. De concept. Virg. et pecc. orig. cap. 22. *Post diem judicii*, inquit, *nullus erit Angelus aut homo, nisi aut in regno Dei, aut in inferno*. Sed ante omnes commemorandi erant utpote antiquiores, Alcimus Avitus, et Auctor Hypognosticon. Ille in Carm. ad Fuscinam soror. ait:

. Tristes tunc edita nolunt ...
Quae flammis tantum genuerunt pignora matres.

Hic autem lib. 5. cap. 5. *Finge*, ait, *Pelagiane locum ex officina perversi dogmatis tui ubi alieni a Christi gratia, vitam requiei, et gloriae possidere parvuli possunt. Dextera est justi Judicis sedentis, et sinistra: regnum et gehenna: vita et mors: justi et iniqui. In dextera igitur justi sunt constituti, in sinistra operarii iniquitatis: in regno requies baptizatorum, in gehenna poena incredulorum: vita ad laetitiam gloriae, mors ad fletum et stridorem dentium: justi in regno Patris cum Christo, iniqui in igne aeterno parato diabolo et angelis ejus*. Quid magis ad rem desiderari potest? Claudat ecclesiasticorum agmen Scriptorum S. Ælredus B. Bernardi contemporaneus qui lib. 1. Speculi charitatis cap. 10. ad hanc objectionem, *Parvulos, quae ratio adducit damnationi, quos nec creatio malos, nec propria voluntas facit injustos?* ita respondet: *Injustum aestimas, ut lignum inutile et infructuosum ignis depascat? Cogita, quaeso, totum humanum genus quasi lignum aridum, lignum infructuosum, lignum in ipsa radice vitiatum, utpote veneno antiqui serpentis inficiatum, justissimis addictum flammis, igni destinatum, adjudicatum damnationi. Quid ergo ingratum te praebes* etc. Quis ergo nunc dicere audeat sententiam nostram peculiarem praejudicatamque esse S. Augustini ejusque discipulorum opinionem?

Prob. 3. rationibus. I. Parvuli originali culpa rei sub diaboli sunt potestate. Qui sub diaboli potestate est, etiam poena sensus ab eo torquetur; unde parvulum in hac vita iste *spiritus vexat immundus, animamque ejus et corpus affligit, sensus sanitatemque pervertit*, ut Augustinus observat in 2. Op. imp. cont. Julian. cap. 87. et experientia docet. II. Pueri absque regeneratione migrantes maculam habent in anima originalis peccati. Ast quis neget originali peccato poenas etiam deberi sensus? Propter illud enim innumeris homines in hac vita sensibilibus subjiciuntur aerumnis. III. Pueri qui nihil boni propria voluntate patrarunt, si ex hac vita regenerati decedant, bonis corporis, dotibus scilicet Beatorum post extremam judicii diem fruuntur. Quare si absque Baptismo moriantur, corporis poenis subjiciuntur. IV. Contraria a nostra sententia in sententiam recidit Pelagianorum qui delirabant ejusmodi infantes intuitiva quidem carere Dei visione quae in regno caelorum habetur, sed in aeternam recipi vitam; in locum videlicet ubi nulla poena sensus inveniatur. Verum hoc idem, ut ajebam, affirmare videntur adversae sententiae patroni quamvis non eodem animo eademque pertinacia. Quare sententia illa abjicienda omnino est.

Prob. modo brevissime quod ejusmodi parvulorum poena futura sit in comparatione adultorum mitissima. S. P. Augustinus in 5. cont. Julian. cap. 11. inquit: *Ego autem non dico parvulos sine Christi baptismate morientes tanta poena esse plectendos, ut eis non nasci potius expediret; cum hoc Dominus non de quibuslibet peccatoribus, sed de scelestissimis et impiissimis dixerit. Si enim quod de Sodomis ait, et utique non de solis intelligi voluit, alius alio tolerabilius in die judicii punietur: quis dubitaverit parvulos non baptizatos, qui solum habent originale peccatum, nec ullis propriis aggravantur, in damnatione omnium*

levissima futuros? Habes in hac sententia pro levissima parvulorum poena sensus, comparate ad adultos, Augustini auctoritatem et rationem.

CAPUT X.

Adversariorum contradictiones dispelluntur.

Obj. 1. Originale peccatum quod impedit ne parvuli sine Baptismo migrantes naturali fruantur beatitudine, in extrema judicii die tandem a reatu solvetur; Christus enim qui ad solvendum venit peccatum, si in hac vita per Baptismum non solvit, solvet tandem in fine mundi. II. Hinc Johannes in Apoc. promittit caelum novum et terram novam: *Vidi caelum novum, et terram novam*; quibus cum nec Beati nec damnati fruantur, sequitur esse pro parvulis absque Baptismo migrantibus. III. Et revera ejusmodi infantes non aliud habent peccatum nisi originale. Ast originale peccatum non avertit hominem a Deo tamquam a fine naturali, sed tamquam a fine dumtaxat supernaturali. Quare beatitudine tantum supernaturali, non naturali privabuntur.

Resp. ad 1. Christus in mundum venit non ad actu solvendum ab omnibus originale peccatum, sed ad media exhibenda pro solvendo in omnibus peccato, et praecipue originali. Nam venit ut plenissimam exhiberet Patri pro peccatis satisfactionem. Verum non omnibus ac singulis satisfactio haec per Sacramenta applicatur; atque adeo non in omnibus peccatum solvetur originale vel in hoc vel in futuro saeculo. Animadvertant interim adversarii argumentum illud nimis quam par sit demonstrare. Si namque in judicii die solvi debet originaria culpa, jam pueris, de quibus loquimur, media applicabuntur ad illam solvendam. Cumque aliud medium ad id praestandum non sit nisi Baptismus, ibunt ejusmodi parvuli in regnum caelorum.

Ad 2. Verba libri Apoc. accipienda sunt metaphorice, non litteraliter. Vult enim illis verbis exprimere Johannes omnia in die judicii futura esse nova; praeteribit quippe figura hujus mundi: et homines qui modo mortales sunt et corruptibiles, induent incorruptionem fientque immortales. Hinc S. P. Augustinus in lib. 20. De Civ. Dei cap. 16. laudatum textum exponens, inquit caelum novum et terram novam futura pro iis qui veterem hominem exuerunt: quod de parvulis vetustatem originalis peccati habentibus non verificatur.

Ad 3. Peccatum originale peccatum est lethale. Peccatum autem hoc hominem a Deo tamquam a supernaturali ac naturali fine avertit; quoniam a Deo avertit tamquam ab ultimo fine illumque convertit ad creaturam: quod fit in parvulo non actu sed habitu, quum originale peccatum sit habituale.

Obj. 2. cont. 4. thes. Gregorius nazianzenus orat. 40. quae est in S. Lavacrum, de parvulis qui absque lavacro moriuntur loquens, inquit: *Postremi, nec caelesti gloria, nec supplicio a justo Judice afficientur,*

utpote qui licet baptismo consignati non fuerint, improbitate tamen careant; atque hanc (baptismi) jacturam passi potius fuerint quam fecerint. Si nullo afficientur supplicio, nullam plane habebunt animi tristitiam. II. Eadem habet alter Gregorius, nempe nyssenus Orat. 1. ubi inquit ejusmodi parvulos *in doloribus ac tristitia non esse*. III. Nec mirari subit. Nam parvuli hi praematura morte correpti, ignorant penitus illorum beatitudinem in intuitiva sitam esse Dei visione; neque enim fidem habent per quam id valeant cognoscere. Ferri autem in incognitum non possunt; unde ex frustrato desiderio et amore nulla in iis oriri potest tristitia.

Resp. ad 1. Nullo juxta Gregorium afficiuntur hi parvuli supplicio ob neglectum praecise vel despectum Baptisma. Nam tria hominum genera distinguit ibi S. Pater, qui sine Baptismo moriuntur. Alii, inquit, Baptisma contemnunt, alii negligunt, alii vero nec contemnunt nec negligunt, ut infantes nonnulli sunt, et adulti illum desiderantes: sed ex aliorum negligentia illud non percipiunt. Primi generis homines gravissimas, homines alterius generis graves dabunt poenas, quum utrique actualis peccati omissionis et contemptus rei sint: ast tertii generis homines caelestem quidem gloriam ob originale peccatum non percipient; sed neque habebunt supplicium quod praecise Baptisma non receperint, quoniam illud nec contempserunt nec neglexerunt. Hanc esse Gregorii mentem, ex integra illius sententia patet quae ita se habet: *Existimo futurum ut primi quidem tum aliorum scelerum tum etiam baptismi contempti poenas luant; alii autem poenas quidem, sed leviores pendant, ut qui non tam animi pravitate quam stultitia a baptismo oberraverint; postremi denique nec caelesti gloria nec supplicio a justo Judice afficiantur, utpote qui licet baptismo consignati non fuerint, improbitate tamen carent*; intellige non recepti Baptismi quo eos carere affirmat. Quod si textum hoc modo non intelligamus, argumentum ex eo desumptum nimis probat: demonstrat videlicet, hujusmodi infantes originali carere peccato: et ideo nec caelestem gloriam promereri quum Baptismum non habeant; sed neque supplicium quod ab originaria sint culpa immunes. Nazianzeni igitur auctoritas adversariorum caussam non juvat. Deinde quum hoc testimonio etiam illi utantur qui negant pueros cum originali reatu morientes plecti poena sensus, sed ex poena damni maximam ajunt percipere tristitiam; animadvertant quaeso an Gregorii verba in eorum sensu accepta excludant a pueris quamcumque tristitiam.

Ad 2. Respondet Norisius noster Gregorium nyssenum dubitanter, non absolute ibi loqui. Nam ibidem quaestionem hanc de parvulis sine Baptismo abreptis difficilem vocat multumque perplexam. Ait quippe se nescire an ejusmodi parvuli sisti ante Judicis tribunal debeant; quum jam nunc sit id definitum, dicente Beda Proëm. Cantic. *qui negat parvulos judicandos, contradicere catholicae Fidei*. Ceterum ubi de parvulorum poenis pertractatur adversariis grecorum Patrum testimonia objicientibus respondere merito possumus, quod olim S. P. Augustinus Massiliensibus si-

milia de praedestinatione ac reprobatione objicientibus respondit in lib. De Praed. SS. cap. 14. *Quid opus est, ut eorum scrutemur opuscula, qui prius quam ista haeresis* (pelagiana) *oriretur, non habuerunt necessitatem in hac difficili ad solvendum quaestione versari? quod procul dubio facerent, si respondere talibus cogerentur*.

Ad 3. Nimis argumentum illud probat, videlicet neque adultos qui nihil de Evangelio audierunt, ex visionis Dei carentia percepturos fore dolorem; neque enim Fidem umquam habuerunt. Homo itaque quum ad imaginem Dei factus sit, in Deum ipsum intuitive videndum naturaliter fertur. Solutus a corpore in quavis sit constitutus aetate, illico sciet ad supernaturalem percipiendam beatitudinem se fuisse destinatum: atque idcirco illum ardentissimo prosequetur desiderio et amore. Quod si culpam quae illum a beatitudine arcet, impressam in seipso habeat, jam desiderium ejus frustrabitur: atque en tristitia en dolor.

Obj. 3. adv. 3. prop. Job cap. 3. postquam maledixit diei in qua natus erat, peroptat se in utero periisse matris vel statim post nativitatem, ut quiete sua frueretur: *Nunc enim dormiens silerem, et somno meo requiescerem*. Quomodo vero quiete potiri potuisset, si in utero matrum praefocati infantes poenae subduntur in altera vita sensibili? II. Apostolus in ep. II. ad Cor. cap. 5. v. 10. *Omnes enim*, inquit, *nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum*. III. Apoc. cap. 18. v. 7. legitur: *Quantum glorificavit se, et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, et luctum*. Ast nihil in proprio corpore gesserunt parvuli, numquam in deliciis fuere: non ergo sensus poenam dabunt.

Resp. ad 1. Periisse optabat Job vel in utero matris vel statim in lucem editus, non quod existimaret nullam infantes qui in originali pereunt peccato manere poenam, sed ut ab hujus vitae calamitatibus liberaretur. De homine quippe misero quamvis scelestissimo, dum moritur, dici vulgo solet: tandem aliquando miser esse desiit. De aerumnis autem ac poenis hujus saeculi loquimur. Hoc sensu etiam Job puerorum mortem dormitionem appellat ac quietem, ut integrum caput legenti aperte patet. Nam v. 17. inquit: *Ibi* (nempe in sepulcro) *impii cessaverunt a tumultu, et ibi requieverunt fessi labore. Et quondam victi pariter sine molestia non audierunt vocem exactoris. Parvus et magnus ibi sunt*. Praeterea si Jobi verba in sensu accipiantur adversariorum, non modo demonstrant pueros sine Baptismo decedentes poena sensus, sed quovis etiam dolore, quavis expertes esse amaritudine.

Ad 2. et 3. Miramur in primis quod adversarii ad illorum firmandam opinionem non vereantur argumenta desumere ex Juliano pelagiano cujus haeretici esse allatam ratiocinationem patet ex Augustino lib. 6. adv. Julian. cap. 10. Sed hoc misso, retorquetur in eos argumentum hoc modo: Parvuli ex hac vita regenerati Sacramento migrantes quamvis nihil boni in proprio corpore gesserint, nec corporis delicias despexerint et carnalia oblectamenta; nihilominus quoniam consignati sunt Baptismate, regnum cae-

lorum percipient. Quare si absque lavacro moriantur, etsi nihil mali in proprio corpore gesserint nec saeculi fuerint experti delicias, quoniam originaria contaminati sunt culpa, cur poena sensus plecti non possunt? Sed exponamus Scripturae sententias. Laudata in argumento testimonia intelligenda sunt de gradu poenarum quibus in altera vita subjicientur peccatores. Qui namque magis peccavit, acrius punietur; et ideo inquit Apostolus loquens de adultis absque puerorum exclusione, *Ut referat unusquisque* (coram Judice) *propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.* Et Johannes in Apoc. *Quantum in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, et luctum*. Quod si pertinaciter adversarii contendunt allata Scripturae testimonia non de solis adultis, sed de parvulis quoque esse accipienda; tunc animadvertant, argumentum inde deductum demonstrare pueros sine Baptismo migrantes non fore judicandos nec ulla tristitia afficiendos; nihil quippe in proprio corpore gesserunt neque in deliciis fuerunt. Praeterea dici potest parvulos quoque aliquid non quidem actualiter sed originaliter in proprio gessisse corpore; quum originale peccatum culpa sit cuique propria, et per seminatricem concupiscentiam in posteros Adae transfusa. Similiter non improprie dici etiam potest pueros, de quibus est quaestio, fuisse in deliciis quatenus peccarunt in voluntate Protoparentis qui in deliciis fuit. Interim animadvertant tyrones hanc quam modo solvimus objectionem, unum esse ex praecipuis adversariorum argumentis; indeque colligant quam levi nitatur illorum opinio fundamento.

Obj. 4. S. P. Augustinus lib. 3. De lib. arb. cap. 23. ita scribit: *Huic autem disputationi objici ab imperitis solet quaedam calumnia de mortibus parvulorum, et de quibusdam cruciatibus corporis, quibus eos saepe videmus affligi. Dicunt enim, Quid opus erat ut nasceretur, qui ante quam iniret ullum vitae meritum excessit e vita? aut qualis in futuro judicio deputabitur, cui neque inter justos locus est, quoniam nihil recte fecit, neque inter malos, quoniam nihil peccavit? Quibus respondetur, ad universitatis complexum, et totius creaturae vel per locos vel per tempora ordinatissimam connexionem non posse superfluo creari qualemcumque hominem* etc. Sicque priorem solvit objectionis partem. Tum alteram partem ita diluit: *Neque enim metuendum est, ne vita esse potuerit media quaedam inter recte factum atque peccatum, et sententia judicis media esse non possit inter praemium atque supplicium*. Per Augustinum igitur sententia Judicis relate ad parvulos sine Baptismo morientes media esse potest inter praemium atque supplicium. Hi ergo non habebunt regnum caelorum tamquam praemium, sed neque inferorum ignem tamquam supplicium. II. Neque in libris dumtaxat De lib. arb. sed in aliis quoque operibus de poenis dubitat parvulorum. Nam in ep. 166. alias 28. quae est ad Hieron. cap. 6. ita loquitur: *Sed cum ad poenas ventum est parvulorum, magnis, mihi crede, coarctor angustiis, nec quid respondeam prorsus invenio*. III. Et in lib. 5. cont. Julian. cap. 11. ait: *Ego autem non dico parvulos sine Christi baptismate morientes tanta poena esse plectendos, ut eis non nasci potius*

expediret ; cum hoc (Melius erat homini illi non nasci) *Dominus non de quibuslibet peccatoribus , sed de scelestissimis et impiissimis dixerit .* Quod certe affirmare non potuisset si existimasset tales parvulos plectendos esse post mortem poena sensus . IV. Et in Serm. 294. de baptismo parvulorum , alias 14. de verb. Apost. cap. 6. *Haec illis* , inquit , *sola poena est , non esse in patria* . V. Et Tract. 19. in Johan. sententiam illam Judicis , *Ite in ignem aeternum* , dictam esse affirmat *de quibusdam sinistris* .

Resp. ad I. 1. Argumentum hoc desumptum est ex Semipelagianis , ut epistolam Hilarii ad Augustinum legenti constat . *Parvulorum autem caussam ad exemplum majorum non patiuntur afferri : quam et tuam sanctitatem dicunt eatenus attigisse , ut incertum esse volueris , ac potius de eorum poenis malueris dubitare . Quod in lib. 3. de lib. arb. ita posuisse meministi , ut hanc eis occasionem potuerit exhibere* . Videant ergo ex quo fonte aquas suas hauriant adversarii . 2. Etiamsi S. Pater de parvulorum poenis eo in libro dubitasset , quod tamen falsum est , quid inde colligi posset ? Nam libros de libero arbitrio dum adhuc laicus esset Romae inchoavit , et perfecit in Africa . Eo autem tempore Semipelagianorum , ut ipsemet fatetur , errore detinebatur , neque hisce in controversiis plenissime versatus erat . Ita in lib. De dono Persev. cap. 12. scribit : *Frustra itaque de illius libri mei vetustate praescribitur , ne agam caussam sicut debeo agere parvulorum ... Si enim quando libros de libero arbitrio laicus coepi , presbyter explicavi , adhuc de damnatione infantium non renascentium liberatione dubitarem ; nemo ut opinor , esset tam injustus atque invidus , qui me proficere prohiberet , atque in hac dubitatione remanendum mihi esse judicaret* . Haec S. Doctor arguendi gratia respondet Massiliensibus . Ceterum fatetur ibidem numquam se dubium de parvulorum caussa extitisse ; prosequitur enim : *Absit ut caussam parvulorum sic relinquamus , ut esse nobis dicamus incertum , utrum in Christo regenerati , si moriantur parvuli , transeant in aeternam salutem ; non regenerati autem transeant in mortem secundam* . Plura alia hujus generis habet eo in capite . Non est ergo quod Bellarminus dicat sententiam illam in argumento allatam numquam retractasse Augustinum . 3. Dum Augustinus ait , *Et sententia judicis media esse possit inter praemium atque supplicium* , non in proprio sed in sensu loquitur Manichaeorum qui , ut omnes norunt , praeter Deum O. M. caussam omnium bonorum , admittebant etiam principium malum malorum omnium caussam . Quod ut demonstrarent , duplici ac utroque a parvulis deducto utebantur argumento . Primum illis continetur verbis : *Quid opus erat ut nasceretur , qui antequam iniret ullum vitae meritum excessit e vita?* Ex quo inferebant talem puerum natura sua malum esse , sic a Deo malo conditum . Hoc argumentum facile solvisset Augustinus si pessimi illi haeretici peccatum admisissent originale . Respondet itaque primo , *Ad universalitatis complexum , et totius creaturae vel per locos vel per tempora ordinatissimam connexionem , non posse superfluo creari qualemcumque hominem ... sed*

sane superfluo quaeri de meritis ejus, *qui nihil meruerit*. Secundo supponens S. Pater pueros ab Herode necatos a Manichaeis tamquam martyres coli ac venerari, propterea quod novi Testamenti admittebant auctoritatem, ita illos refellit: *Quis ergo novit quid ipsis parvulis in secreto judiciorum suorum bonae compensationis reservet Deus?* Haec Augustinus ad primum Manichaeorum argumentum; ubi cum locus aptissimus esset doctrinam de originali peccato explicare, nec fecerit tamen; si adversariorum more argumentari fas esset, inferri inde posset Augustinum de peccati quoque originalis dubitasse existentia. Alterum haereticorum argumentum exprimitur illis verbis: *Qualis in futuro judicio deputabitur*, *cui neque inter justos locus est*, *quoniam nihil recte fecit*, *neque inter malos*, *quoniam nihil peccavit?* Unde subsumebant: Hi parvuli mali sunt ex institutione naturae. Uno verbo et objectionem hanc solvere potuisset Augustinus, si dari in pueris originariam culpam fassi illi fuissent. Quare eos refellere coactus est ex ipsis illorum principiis dicens: *Non enim metuendum est* etc. ac si diceret: Datur per vos media vita inter recte factum atque peccatum: Dari ergo poterit etiam media sententia inter praemium atque supplicium; ac proinde ex parvulorum caussa dari non sequitur Ens natura sua malum quod a malorum principio fuerit creatum. Haec est S. Patris ratiocinatio ex qua quid adversarii possint inferre non video. Legatur Augustini ep. 166. ad Hieron. ubi allata mox responsio apprime confirmatur.

Ad 2. Non dubitat Augustinus ad Hieronymum scribens de parvulorum poenis in nostra sententia. Absit, sed de illis dubitat seu potius difficilius exponi posse affirmat, supposita Hieronymi de animarum origine sententia. Volebat quippe Hieronymus animas hominum creari ex nihilo; anceps autem erat Augustinus an ex nihilo vel potius ex traduce fierent; unaque ex caussis suae dubitationis erant poenae quibus parvuli subjiciuntur. En illius verba: *Sed cum ad poenas ventum est parvulorum*, *magnis*, *mihi crede*, *coarctor angustiis*, *nec quid respondeam prorsus invenio*: *non solum eas poenas dico*, *quas habet post hanc vitam illa damnatio*, *quo necesse est trahantur*, *si de corpore exierint sine Christianae gratiae sacramento*, *sed eas ipsas*, *quae in hac vita dolentibus nobis versantur ante oculos*; *quas enumerare si velim*, *prius tempus quam exempla deficient*. Quae luculentissime innuunt de origine quidem animae ob parvulorum poenas, non autem de earumdem poenarum loqui existentia.

Ad 3. Statuerat jam Augustinus puerorum sine Baptismate mortuorum poenas in comparatione adultorum esse levissimas. Subinde inquirens cujus gradus poena sensus pro illis futura sit, nihil definite audet pronuntiare: imo dubitat an illa Domini sententia, *Melius erat si homo ille* etc. quae de scelestissimis peccatoribus in proditoris Judae persona prolata videtur, de hisce dicta sit parvulis. Quare de ea quaestione, an pueri sine Baptismo decedentes poena sensus plectantur, nullum vel minimum menti ejus dubium insedit. Quaestionem vero alteram, an de infante qui sine rege-

neratione migrat, illa Domini enuntiari possit sententia, *Melius erat homini illi si natus non fuisset*, utpote ad rem minime pertinentem indefinitam reliquit. Hinc ita caput illud absolvit: *Si enim quod de Sodomis ait, et utique non de solis intelligi voluit, alius alio tolerabilius in die judicii punietur: quis dubitaverit parvulos non baptizatos, qui solum habent originale peccatum, nec ullis propriis aggravantur, in damnatione omnium levissima futuros? Quae qualis et quanta erit, quamvis definire non possim, non tamen audeo dicere, quod eis ut nulli essent quam ut ibi essent, potius expediret*, putans videlicet sententiam illam de scelestissimis peccatoribus a Domino prolatam.

Ad 4. Ea profert verba Augustinus ex concessis Pelagianorum quos allato sermone insectatur. Fatebantur videlicet haeretici parvulos non renatos si morte praeveniantur excludi a regno caelorum. Subsumebat S. Doctor: Ast solum non esse in patria poena est: atque adeo ejusmodi parvuli in poena sunt. Cumque Deus neminem nisi mereatur puniat, sequitur pueros illos peccatum per quod exclusionis a regno caelorum promereantur habere.

Ad 5. Augustinus eos qui damnationis sententiam a supremo Judice audient, quosdam appellat sinistros comparate ad omnes gentes quae universali aderunt judicio; alioquin dicendum foret parvulos non esse judicandos.

Obj. 5. S. Ambrosius lib. 2. de Abraham cap. ultimo ad illa Christi verba, *Nisi quis renatus fuerit etc.* scribit: *Utique nullum excipit, non infantem, non aliqua praeventum necessitate. Habeant tamen illam apertam poenarum immunitatem; nescio an habeant regni honorem*. II. S. Bernardus serm. 3. De Resur. *Quid enim*, inquit, *odit aut punit Deus praeter propriam voluntatem? Cesset voluntas propria, et infernus non erit. In quem enim ignis ille deseviet, nisi in propriam voluntatem?* Hanc autem non habent parvuli. III. Innocentius IV. sub Tertii nomine vulgo citatus lib. 3. Decret. tit. de Bapt. cap. *Majores*, ait: *Poena originalis peccati est carentia visionis Dei: actualis vero poena peccati est gehennae perpetuus cruciatus*. En contraria sententia in terminis definita.

Resp. ad 1. Existimant Eruditi complures librum 2. de Abraham ab haereticis fuisse corruptum; quum finis postremi capitis cum initio haud cohaereat. Paullo quippe ante dixerat Ambrosius pueros non baptizatos absolute a regno caelorum excludi. Quomodo ergo paullo post de eadem a regno dubitat exclusione? Sed admissa textus Ambrosii integritate, quid inde? Verba illa non sunt absolute affirmantis, sed tantum ex abundantia concedentis, ac si dicat: Etiamsi concederem habere illos poenarum immunitatem, concedere tamen non possem participes esse regni caelorum. De Commentariis in epist. Pauli, unde aliud desumere solent adversarii argumentum, nemini dubium quin alicujus sint haeretici pelagiani. Nam non solum elevat testimoniorum S. Scripturae quibus Augustinus Praedestinationem et gratiam demonstravit auctoritatem, sed praeterea in cap. 5. ep. ad Rom. ad illa verba, *Sicut enim unius delicto etc.* ait: *Plures enim gra-*

tiam consequuntur, *quam mortui sunt delicto Adae*. Quae Pelagianismum aperte sapiunt. Reliquas animadversiones vide apud Norisium.

Ad 2. S. Bernardus eo in sermone loquitur tantum de adultis in quibus sane propria punitur voluntas. Sed dato etiam quod de omnibus nemine excepto loquatur, dici citra errandi periculum potest nomine voluntatis intelligere Bernardum illam quae communis non est Deo et hominibus. Sic enim ibidem ait: *Voluntatem dico propriam*, *quae non est communis cum Deo*, *et hominibus*, *sed nostra tantum*. Ast Adae voluntas in quo parvuli peccaverunt propria est, non cum Deo communis.

Ad 3. Per illa verba, *Poena originalis peccati est carentia visionis Dei*, non excluditur poena sensus: tum quia in Decreto non legitur particula, *tantum*: tum etiam quoniam sicuti cum inquit, *Actualis poena peccati est gehennae perpetuus cruciatus*, poenam non excludit damni; ita originalis poenam peccati in carentia visionis Dei reponit absque exclusione poenae sensus. Praeterea laudata in argumento verba addita ab imperito secretario videntur, ut legitur in Glossa. Nam Decreti scopus est definire pueros baptizandos esse ante usum rationis, quoniam *Originale quod sine cousensu contrahitur*, *sine consensu per vim remittitur Sacramenti*: *actuale vero quod consensu contrahitur*, *sine consensu minime relaxatur*. Quaeritur deinde illo in Decreto cur etiam amentes ac dormientes non baptizentur, si ad originale tollendum peccatum non est necessarius consensus; in amentibus quippe ac dormientibus tolleretur originale peccatum quamvis actuale remaneret. Quaestionem summus Pontifex hac ratione solvit, quod Dominus qui totum hominem sanum fecit in Sabbato, opus imperfectionis non novit, et ob hoc peccata non ex parte sed ex toto remittit. Haec est prima responsio summo Antistite digna. Additur deinceps et altera: *Poena originalis peccati est carentia visionis Dei*, *actualis vero poena peccati est gehennae perpetuus cruciatus*: *unde si dimitteretur alicui primum*, *non dimisso altero*, *talis non careret visione Dei propter originale dimissum*, *et cruciaretur in gehenna propter reatum criminis actualis*. Quae secunda responsio ab aliquo non satis docto addita, ut dixi, videtur; falsum est enim etiam per adversarios poenam actualis peccati consistere tantum in perpetuo gehennae cruciatu. Denique in eisdem Decretalibus dist. 4. de Consecr. cap. 3. definitur, *Originale peccatum* plecti *ignis aeterni sempiterno supplicio*.

Obj. 6. Innumeri Theologi tenent parvulos absque Baptismo decedentes sola puniri poena damni. Nam hanc tenuere sententiam in primis Magister Sententiarum, tum B. Thomas; deinde S. Bonaventura, et Richardus, Durandus, Scotus, Gabriel, Marsilius, Alexander, Soto, Catharinus, Vasquez, Bellarminus, uno verbo plerique Scholastici qui a sexcentis fere annis scripsere. Verum quod innumeri tenent Theologi nonne tutius est?

Resp. Etsi ab innumeris teneatur contraria a nostra sententia Theologis, non proinde tutior illa nostra existimanda est quae a sanctis Ecclesiae Patribus et a compluribus traditur magni nominis Scriptoribus. Et

1. quidem pro nostra sententia stant luculentissima Scripturae testimonia a sanctis Patribus explicata quorum vis nullo conatu ab adversariis eludi possunt, ut in superioribus vidimus. 2. Traditur non subobscure a Patribus trium priorum saeculorum, ubi existentiam adstruunt originalis peccati; et luculentissime et ex professo innumeris in locis ab Augustino, ab africana Ecclesia in Conciliis congregata, ab Innocentio I. Gelasio, Gregorio M. aliisque summis Pontificibus, a Hieronymo, Prospero, Prudentio, Tricassino, Anselmo, Avito viennesi, Alredo, Bernardo, aliisque Patribus non dissentientibus. 3. Hanc eamdem sententiam sequuti postea sunt Gregorius noster ariminensis, *homo*, ut Rainaudus inquit, *in Augustini lectione versatissimus*, Albertus M. Polmanus duacensis, Sonnius, Driedo, Estius, Sylvius, Petavius qui definitam illam existimat in Concilio Florentino, Macedo, Conrius, Jouvenin, Habert, l' Hermenier, ac omnes fere religiosissimae Cassinensis Congregationis viventes Theologi ex externis. Ex nostratibus vero, praeter Gregorium, Augustino subscripsere Musaeus, Paludanus, Carolus Morau, Poncius, Manso, Gavardi, Girken, Norisius, Guerrero, Vanroy, Piette, Berti, uno verbo, omnes, exceptis Argentina et Ægidio. Imo jam multis abhinc annis penes singulos Augustinianos Theologos religio est ne latum unguem hac in parte a Majorum recedere vestigiis. Ubi est ergo immensus Theologoram numerus a nostra sententia recedentium? 4. Caussa assignari potest cur Scholastici complures ab hac nostra sententia quae communis antiquitus erat penes Catholicos, recesserint. Sed verbis utar Scriptoris vere Eminentissimi Cardinalis Norisii qui in Vindiciis Augustinianis cap. 3. §. 5. ita ad rem nostram loquitur: *Haec itaque Ecclesiae ac sanctis Patribus de infantium poenis sententia stetit, donec post ducentesimum supra millesimum annum christianae epochae novae opiniones a Scholasticis procusae sunt. Qui si in Patrum voluminibus tantum studii ac laboris posuissent, quantum Aristoteli explicando impendere, profecto S. Augustini sententiam non obduxissent, neque eorum plerique Pelagianorum opinionem, quod naturalem illam puerorum beatitatem attinet, hominum mentibus alte infixissent. Verum tanta fuit vis veritatis, ac tantum Augustini auctoritas valuit, ut plerique etiam Scholasticorum pedibus in Augustini sententiam iverint. Primus fuit Gregorius ariminensis* etc. 5. Quum veritas simplex unaque sit, nostrae sententiae assertores omnes uno ore unoque consensu affirmant parvulos cum originali culpa migrantes poena damni ac sensus puniri, quae postrema in comparatione adultorum levissima sit. E contra vero adversae sententiae advocati raro admodum inter se conveniunt. Quidam enim ejusmodi parvulis subterraneum quemdam locum assignant ubi mansuri sint in aeternum. Alii eum locum infernum non esse definiunt, sed ut ab eis appellatur, Limbum: de quo se incertos esse fatentur, quum nihil de Limbo in Scripturis occurrat. Putant alii mittendos esse pueros in infernum, sed non in ignem. Alii censent qualibet expertes esse animi amaritudine etiam ex Dei visionis carentia. Nec defuerunt qui beatitudinem illis concesserint naturalem, quod dogma videtur

Pelagianorum. 6. Denique S. Thomas qui maxime est inter Scholasticos auctoritatis, licet suae aetatis seotentiae subscripserit, in suis tamen operibus semiua ubique sparsit nostrae seotentiae. Collegit ea loca Sylvius affirmans quod si S. Thomas Summam theologicam absolvisset, priorem traditam opinionem proculdubio retractasset. Videaot ergo adversarii, quid valeat allatum mox ab eis argumentum.

Obj. postremo a ratione. Poena seosus debita non est originali peccato. Nam I. Poena sensus debetur peccato propria voluntate patrato: Parvuli vero originale peccatum non patrarunt per propriam voluntatem. II. Peccatum originale, ut post Augustinum B. Thomas inquit, est peccatum naturae. Poeoa vero sensus cadit in singularem personam. III. Peccatum originale ordinem tollit dumtaxat supernaturalem, quum sit tantum aversio a Deo: Igitur sola visionis Dei privatio illi debetur. IV. Nemo puniri potest pro quo nec potest vituperari, poena namque quaedam est reprehensio: Parvuli autem pro peccato originis vituperari non possunt; neque enim est in eorum potestate: Adeoque nec puniri. V. Pro origioali peccato noo injungitur poenitentia. VI. Sententia quae parvulis poenam seosus adscribit Deum facit crudelem; uode illius assertores dicuntur passim *tortores puerorum*: Ergo abjicienda est.

Resp. falsum esse non deberi originariae culpae poenam sensus. Nam talis culpa vere et proprie peccatum est animae parvulorum inhaerens donec per Sacramentum renascantur: et est peccatnm vere lethale. Ast propriae dicto lethali peccato, non poena damni modo, sed et poena sensus debetur, dicente vel ipso S. Thoma io 2. D. 42. Q. 1. a. 5. ad 2. quod peccato lethali debetur, si Deus velit, poena infinite acerba si dari possit. Sed singula solvamus.

Atque ad 1. Allatum argumentum nimis probat; demonstrat scilicet originali peccato nec poenam damni deberi. Nam non est potior ratio ut qui propria voluntate non peccavit eximatur a poena seosus, et non a poena damni. Deinde etsi parvuli originale non patraverint peccatum per propriam voluntatem actualem, patrarunt tamen per propriam voluntatem originaliter; quum tale peccatum sit uoicuique proprium, et illius reatus singulis hominum animabus antequam renascantur iohaereat et intrinsece adhaereat. Unde S. P. Augustinus in lib. 1. De peccat. mer. cap. 10. scribit: *Alia esse propria cuique peccata, in quibus hi tantum peccant, quorum peccata sunt; aliud hoc unum, in quo omnes peccaverunt; quando omnes ille unus homo fuerunt*. Hinc quemadmodum peccatum illud quod in Adamo actuale fuit poenam sensus promerebatur, ita et in parvulis quamvis originale sit poenam promeretur sensus.

Ad 2. Quando originale peccatum dicitur peccatum naturae, non sic id intelligitur quod nullo modo inficiat personam, sed quatenus originaliter descendit ab Adam qui communem vitiavit naturam. Quod si personam non inficeret, sed naturam dumtaxat, jam non esset illud unicuique proprium, atque ita nullus homo ante Baptismum dici posset peccator, nec damni poenam promereretur.

Ad 3. In primis retorquetur in adversarios argumentum. Nam si parvuli sese a Deo non avertuot per actum propriae voluntatis, poena damni illis noo debetur. Originale ergo peccatum non solum animam avertit a Deo, sed etiam convertit illam ad creaturas, non quidem per actum sed per habitum propriae cujusque voluntatis. Qui enim origioalis reus est peccati, habet concupiscentiam quae quum sit poteotiarum aoimae perturbatio, avertit illam a Deo et ad creaturas convertit.

Ad 4. Et argumentum hoc io caput recidit adversariorum. Si namque nec reprehendi nec vituperari parvuli queunt propter originale peccatum, cur ergo damoantur ac poena plectuntur damni? Numquid tantum malum, ut intuitivae Dei visionis carentia est, dici nequit repreheosio et vituperatio? Qui ergo reus est originariae culpae, vituperari quidem noo potest quod malus sit per actum propriae voluntatis, sed vituperari utique ac reprehendi potest quod a nativitate peccaverit in eo in quo omnes peccaverunt.

Ad 5. Eodem laborat vitio argumentum quoque istud, eoque admisso sequitur nullam habere pueros ex originali peccato poenam. Nam videntur adversarii affirmare mortem, concupiscentiam, ignorantiam, aliasque vitae calamitates non esse loco durissimae poenitentiae in iis qui originale contraxere peccatum. Itaque parvuli juxta adversarios ex Dei visionis carentia magnum dolorem concipiunt: agunt igitur internam poenitentiam. Falsum est denique non injungi pro originali reatu poenitentiam. De Cathecumenis quippe adultis scribit S. Pater lib. De Corr. et Grat. cap. 6. *Corripiatur ergo origo damnabilis, ut ex dolore correptionis voluntas regenerationis oriatur*. De Cathecumenis autem infantibus in lib. 1. De peccat. mer. cap. 19. inquit: *Dicet aliquis: Quomodo ergo et ipsi vocantur in poenitentiam? Numquid tantillos potest aliquid poenitere? Huic respondetur, si propterea poenitentes dicendi non sunt, quia sensum poenitendi nondum habent, nec fideles dicendi sunt, quia similiter sensum credendi nondum habent. Si autem propterea recte fideles vocantur, quoniam fidem per verba gestantium quodam modo profitentur, cur non prius etiam poenitentes habentur, cum per eorumdem verba gestantium diabolo et huic saeculo renuntiare monstrantur?*

Ad 6. Dico hanc veterem esse Juliani quaerimoniam, ut ex Augustini lib. 5. Op. imp. cap. 13. patet. Deinde si argumeotum valeret, Deus crudelis esset quod morte aliisque vitae hujus miseriis et careotia suae visionis parvulos ob originale plectat peccatum. *Si autem crudele esse arbitramini, damnari parvulos, quos originale peccatum trahere non putatis: crudele vobis videatur, non rapi ex hac vita parvulos, secundum vos, nullum habentes omnino peccatum, quos Deus utique novit in multis magnisque peccatis sine ulla in melius mutatione morituros*. Ita S. Pater loco mox laudato. Tandem habent parvuli origioale peccatum, propter quod et damni et sensus poenam promerentur. Quod vero nostrae sententiae assertores tortores puerorum appellentur ab adversariis, id nullam meretur responsionem: argumenta enim solvere nos parati sumus, non

contumelias. Judex talium puerorum est Deus; tortores sunt daemones qui Dei praecepta exequuntur. Id unum scio, S. Gelasium summum Pontificem in ep. ad Episc. picenos contra Senecam delirum senem pelagianum scriptam ita haereticos illos hortari: *Tollant ergo de medio nescio quem ipsi tertium, quem decipiendis parvulis faciunt locum*. Quibus in verbis tertii cujusdam loci defensores, *deceptores* appellantur *puerorum*. Atque haec de originali peccato pro instituti nostri ratione disseruisse sufficiat. Tempus enim est de iis pertractemus quae Deus noster misericors ob nimiam charitatem qua mundum dilexit, facere in illius peccati remedium dignatus est; nimirum de Verbi divini Incarnatione. Quod erit sequentium Tractationum nostrarum argumentum.

FINIS TERTII TOMI.

INDEX

LIBER DECIMUS SEXTUS

In quo adversus Judaeos, ac veteres et novos Haereticos de divinarum Personarum distinctione disputatur.

CAPUT I.

LIBER DECIMUS SEPTIMUS

Pertractatur de Sanctissimae Trinitatis consubstantialitate.

CAPUT I.

LIBER DECIMUS OCTAVUS

In quo praecipuae attinguntur scholasticae quaestiones ad recte dogmaticas assequendas de Trinitate controversias necessariae.

CAPUT III.

CAPUT IV.

CAPUT V.

CAPUT POSTREMUM

LIBER DECIMUS NONUS

De Angelis.

CAPUT I.

CAPUT II.

CAPUT III.

CAPUT IV.

LIBER VIGESIMUS

De Deo hujus Universitatis Creatore.

LIBER VIGESIMUS PRIMUS

In quo disseritur de primo Homine.

LIBER VIGESIMUS SECUNDUS

Qui est de Peccato originali.

ERRATA	CORRIGE
Pag. 8 lin. 1 aliaquae	alia quae
» 25 lin. 15 apponimus	opponimus
» 27 lin. 8 verbi	Verbi
» 30 lin. 3 Verbi	verbi
» 31 lin. 40 ligneum	lignum
» 36 lin. 29 systhemate	systemate
» 37 lin. 9 systhema	systema
» 39 lin. 4 systhemate	systemate
» 47 lin. 24 habet	est
» 49 lin. 2 perritdicula	perridicula
» 50 lin. 11 gavitus	gavisus
» 60 lin. 31 χαί	καί
» 71 lin. 5 Jerosolimitanum	Jerosolymitanum
» 84 lin. 1 *aperuit*	*asseruit*
» 88 lin. 38 Sinod	synod.
» 90 lin. 28 *ita fatur*	ita fatur
» 93 lin. 41 consensit ab	consensit, ab
» 94 lin. 4 ἀχῶν	ἀρχῶν
» 95 lin. 26 λόγος quam	λόγος, quam
» 96 lin. 7 Filium duos	Filium, duos
» 98 lin. 42 Somit sonum	sumit, sonum
» 102 lin. 1 ὁμοοιούσιον	ὁμοιούσιον item pag. 105 lin. 28. 30. 38. pag. 107. lin. 8 pag. 112 lin. 26 pag. 118. lin. 31.
» 106 lin. 31 ὁμοουσιον	ὁμοιούσιον
» 111 lin. 34 potuerunt	potuit
» 114 lin. 18 saecula volebant	saecula; volebant
» 118 lin. 16 Theophilactus	Theophylactus
» 120 lin. 36 *chritas*	*charitas*
» 150 lin. 19 vocem. *Filioque*	vocem, *Filioque*
» 151 lin. 8 Chaalcedunensi	Chalcedonensi
» 151 lin. 43 Euthychianorum	Eutychianorum
» 188 lin. 5 alia: *Vere*	alia, *Vere*
» 188 lin. 9 γος	λόγος
» 190 lin. 11 hypoteticis	hypotheticis
» 192 lin. 29 attribuntur	attribuuntur
» 199 lin. 34 Machabeorum	Machabaeorum
» 204 lin. 25 Chysostomus	Chrysostomus
» 204 lin. 36 Theophilactus	Theophylactus
» 208 lin. 34 *egyptiacas*	*aegyptiacas*
» 211 lin. 34 Hypotetice	Hypothetice
» 211 lin. 38 hypotesi	hypothesi
» 236 lin. 10 quam	qua
» 250 lin. 23 propria	propriam
» 303 lin. 9 Neque dici	Neque dici potest
» 307 lin. 11 universalem	universale
» 328 lin. 35 Charthaginense	Carthaginense
» 332 lin. 7 Paelag.	Pelag.
» 337 lin. 12 impenitentiae	impoenitentiae
» 337 lin. 37 Adaes ubsequntae	Adae subsequntae
» 357 lin. 13 illo duo	illa duo
» 358 lin. 23 *illamquae*	*illam quae*
» 376 lin. 31 *Ecva*	*Eva*
» 380 lin. 38 *peteret*	*pateret*
» 400 lin. 14 miserium	*miserum*
» 403 lin. 41 *vicit*	*vincit*
» 405 lin. 42 propugnas	propugnans
» 415 lin. 38 difficilissimam	difficillimam
» 416 lin. 10 corpus	corpus

» 417 lin. 4 hypoteticis	hypotheticis
» 420 lin. 29 paena	poena
» 423 lin. 1 preiverant	praeiverant
» 426 lin. 36 contendebant	contendant
» 433 lin. 6 *Etsi*	*Et si*
» 436 lin. 15 illum	illud
» 436 lin. 44 grecorum	graecorum
» 441 lin. 28 *deseviet*	*desaeviet*
» 445 lin. 34 quaerimoniam	querimoniam

IMPRIMATUR

Fr. Dominicus Rambaldi
Lector, et Vicarius S. Officii Fulginiæ.

IMPRIMATUR

Pro Illmo, ac Revmo D. D. Episcopo Fulginatense
Nicolaus Prim. Rossi Revisor Deputatus.